DE EXPLICATIONE
LITTERAE
MAGISTRI PETRI
Lombardi,

IN QVATVOR SENTENTIARVM LIBROS vtilissimus Sacræ Theologiæ Tractatus, nouissimè in gratiam, & studiosorum commodum editus.

In quo summa cum facilitate, ac breuitate ea omnia ordinatè explicantur, quæ ab alijs prolixè declarari solent.

PAVLO FRANZOSO Benacense, nec non Tridentinæ diœcesis, in Collegium Patauinum sacræ Theologiæ cooptato Auctore.

In huius etiam operis fine ponuntur Articuli, in quibus Magister Sent. ab omnib. communiter non tenetur.



PATAVII, Apud Petrum Bertellum. 1606.

Superiorum Permissu.

[illegible]

[illegible]

EXPOSITIONVM IN OMNES MAGISTRI PETRI LOMBARDI Sententias Index.

IN PRIMVM LIBRVM.

INDEX
IN SECVNDVM Librum.

Expos.

Expos.

IN

INDEX
IN TERTIVM
Librum.

IN QVAR-

EXPOSITIONVM

IN QVARTVM Librum.

Expos.

FINIS.

MAGISTRI PETRI LOMBARDI

IN LIBROS SENTENTIARVM, Prologi Expositio.

PROLOGVS.

LITTERA.

Cupientes aliquid de penuria, ac tenuitate nostra cum paupercula in gazophylacium Domini mittere, ardua scandere, opus vltra vires nostras agere præsumpsimus, &c.

Diuiditur (Studiosi Lectores) hoc proœmium in tres partes principales. In quarum prima Magister reddit studentem beneuolum. In secunda verò reddit eum docilem. In tertia autem facit eum attentum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Per hoc quòd Magister ad huius libri compilationem magis à causis attrahentibus, quàm retrahentibus moueretur, ipsius libri auditor beneuolus efficitur. Quæ quidem conclusio probatur sic. Quilibet bonus discipulus debet tantum beneuolentiæ alicuius doctrinæ studio impendere, quantùm Magister suus studet beneuolè tradere, quia alias esset ingratus, & per consequens non bonus discipulus: Sed Magister tam beneuolus ad traditionem huius libri doctrinæ extitit, quòd causas retrahentes non ponderans, vt doctrinam traderet, hunc librum compilauit: igitur per hoc quòd causis retrahentibus causas attrahentes Magister in huius voluminis editione prætulit,

quemlibet eius studentem per suam beneuolentiam beneuolum ad eius studium efficit. Maior huius rationis patet. Minorem autem ponit Magister in littera dicens, quòd ipsum cupientem aliquid mittere de penuria, ac tenuitate scientiæ, & ingenij in gazophylacium Domini, (.i. in doctrinam sacræ scripturæ) in quo omnes sancti Patres sua opera exposuerũt, attrahit eum desiderium proficiendi, sed retrahit eum defectus scientiæ, & ingenij, vel retrahit eum alia causa.s. altitudo materiæ huius operis, & magnitudo laboris. Per oppositum autem statim subiungit causam in contrarium mouentem, & attrahentem, quæ est confidentia Diuini auxilij, & præmium à Christo promissum. Sed prædictas causas Magistrum ad huius operis compilatione retrahentes uincit amor intensus, quem Magister ad Ecclesiam habet, quo inflammatus opus aggreditur. Et suam intentionem principaliter dicit circa tria versari, s. circa fidei defensionem, catholicæ veritatis explanationem, & sacramentorum manifestationem. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Per assignationem quatuor causarum, istius libri auditor efficitur docilis Quæ quidem conclusio hunc in modum probatur. Tantò cuiuslibet scientiæ, seu doctrinæ auditor redditur magis docilis, quantò ipsa scientia habuerit causas, finalem, scilicet fructuosiorem, efficientem ineffabiliorem, materialem certiorem, & formalem aptiorem: sed huius libri scientia habet causam finalem fructuosissimã, efficientem ineffabilissimam. materialem certissimam, & formalẽ aptissimã: ergo causarũ huius scientiæ assignatio, eius auditoribus est docibilitatis ministratio. Maior huius rõnis est euidẽs. Minorẽ ponit Magister in littera, cũ dicit (Horũ igitur Deo odibilẽ &c.) ponit.n. primò causam finalẽ duplicem, s. destructione erroris, & manifestationẽ veritatis. Secundò ponit causam efficiẽtem similiter duplicem, scilicet, principalẽ, sicuti Deum & instrumentalem, sicuti seipsum. Tertiò materialem, scilicet, exempla, & auctoritates. Quartò causam formalem, scilicet, formam tractatus, quæ consistit, in huius operis distinctione, in libros, distinctiones, & capitula: & etiam formam tractandi, quę est quidam modus agendi. i. diuidendi,

vel

vel exempla ponendi. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Per expressionem vtilitatis doctrinæ huius libri, discipulus eius attentus constituitur. Quæ quidem conclusio sic probatur. Quantò maioris vtilitatis existit doctrina alicuius libri, seu scientiæ cũctis eius auditoribus, eosdẽ reddit magis attentos: sed huius libri scientia, seu doctrina, est maximæ vtilitatis: igitur per huiusmodi vtilitates suos auditores reddit attentos: Maior huius rationis est nota. Minor verò probatur in littera, in qua Magister dicit, quòd ille labor non est superfluus, sed est necessarius, eoquòd illa quæ alibi sparsim, & diffuse dicuntur, in ipso breuiter tractantur: ita quòd non sit necesse librorum numerositatem percurrere, cum breuiter ea quæ collecta sunt, in hoc libro reperiantur, quasi sine labore.

Et hæc de hoc proœmio dicta sufficiant. Si autem quæratur, quare iste liber ita dictus sit sententiarum? Respondetur facilimè, quia, scilicet, sententias antiquorum Patrum Doctorum de catholicis veritatibus hincinde collectas summatim comprehendit.

LITTERAE PRIMI LIBRI

MAGISTRI SENTENTIARUM, Expositio.

DE MYSTERIO TRINITATIS. Lib. I. Distinct. I.

TEXTUS.

Veteris, ac nouæ legis continentiam, diligenti indagine, etiam atque etiam considerantibus nobis præuia Dei gratia, innotuit sacræ paginæ tractatum circa res, vel signa præcipuè versari, &c.

EXPOSITIO.

ANtequam ad litteræ explicationem accedamus, libet prius ordinem, quem nos in hoc opere seruare debemus, in medium proponere. Ordo (studiosi mei in Domino) erit iste. Primò distinctiones adinuicem connectemus. Secũdò eas in suas partes breuiter diuidemus. Tertiò partes diuisas summatim, ac lucidè exponemus. Hic itaque (fratres mei dilectissimi) incipit prima primi libri sententiarum distinctio, in qua Magister, determinato prohœmio, incipit tractatum suum in quatuor libros diuidere. In quorum primo, secundo, & tertio agit de rebus, in quarto verò de signis. Vel dicamus quòd in primo agit de Deo absolutè secundum rationẽ suæ naturalis perfectionis. In secundo verò

agit

agit de Deo inquantum eius potentia relucet in effectu creationis. In tertiò autem agit de ipso inquantum claret eius sapientia in opere redemptionis. In quarto verò, & vltimo agit de eo, inquantum eius bonitas, seu clementia refulget in fructu glorificationis. Quantum igitur spectat ad primum, dicimus quòd iste primus liber diuiditur in duas partes principales. In quarum prima Magister determinat de re fruibili.i. de Deo secundum suam perfectionem in essendo, scilicet, de essentiæ Diuinæ vnitate, ac personarum distinctione. In secunda autem agit de Deo secundum suam perfectionem in causando, scilicet de attributis Diuinis, & appropriatis, scientia, nempe, voluntate, & potentia, & bonitate, & huiusmodi. Hæc autem prima distinctio huius libri diuiditur in tres partes. In quarum prima Magister ostendit totam sacram scripturam circa res, & signa versari. In secunda verò solo Deo esse fruẽdum demonstrat. In tertia autem, & vltima ponendo usus, & fruitionis distinctionẽ, mouet quæstiones quasdam, & soluit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Totam sacram paginam constat specialiter circa res, & signa versari. Quam quidem cõclusionem Magister probat auctor. Beati Aug. in lib. de doctr. Chr. dicentis. Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum. Per signa intelligit hic, non terminos significantes ad placitum ipsius instituentis, sed quasdam res exteriores ex Diuina ordinatione aliquid significantes, cuiusmodi sunt sacramẽta cum suis materijs tam veteris, quã nouæ legis. Per res verò intelligit res absolutas per terminos significabiles, quæ, scilicet, ita cadunt sub determinatione consideratione sacræ scripturæ, quòd vlterius nihil specialiter designant: vt est Deus, Christus, creatura, & huiusmodi. Quod autem sacramenta tam veteris, quàm nouæ legis aliquid significent, patet, quia sacramenta veteris legis, significabant gratiam inuisibilem, quam non conferebant. Sacramenta verò nouæ legis, significant gratiam inuisibilem, quam etiam conferunt, quantum, scilicet, est ex parte ipsorum, vt rectè, & optimè, nec non plenius patebit in quarto lib. Et subdit quòd omne signum est res aliqua, quia quod non est res aliqua, omninò nihil est, vt dicit Aug. & non è conuerso omnis res est signum,

gnum, quia aliquæ sunt res nihil significantes. Finaliter subinfert quòd primò sit determinandum de rebus, vt in primis tribus libris, postea verò de signis, vt in quarto. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio, Sola Trinitate increata propriè est fruendum. Quæ quidem conclusio licèt de se pateat varijs Sanctorum Doctorum auctoritatibus, tamen ratione sic probatur. Quod propter se, & nullum alium finem est diligendum, illo propriè, & solo est fruendum: sed sola Trinitas increata, est illa que propter se, & nullum alium finem est diligenda: igitur sola Trinitate increata est propriè fruendum. Maior huius rationis patet per descriptionem fruitionis in littera, quæ dicit. Frui est rei alicui amore inhærere propter seipsam. Minor verò probatur sic. Quod potest nos, & nil aliud beatos reddere, illud solum propter se, & finaliter est diligendum: sed nil aliud quàm sola Trinitas, potest nos beatos reddere: igitur sola Trinitas propter se, & finaliter est diligenda: igitur propositio vera, nam res quibus fruendum est, sunt Pater, & Filius, & Spiritussanctus: & secundum Beatum August. ea re nos fruimus, quam diligimus propter se, & similiter ea re solùm nos fruimur, qua efficimur beati. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Vsus, & fruitionis distinctionem accipimus penes relatiuam, & absolutam dilectionis inhæsionem. Quæ quidem conclusio patet in littera per terminorum descriptionem, in qua dicitur, quod frui est rei amore inhærere solùm propter seipsam. Sed vti est rei amore inhærere, non finaliter propter seipsam, sed inquantum ordinata est ad illam, qua fruendum est: igitur propositio vera. Consequenter Magister tria mouet dubia, quorum primum est, an hominibus sit fruendum. Et respondens Magister, dicit, quòd secundum Aug. vtendum est, non fruendum; cuius ratio est, quia homines non sunt propter se deligendi, cuiusmodi est Deus, qui propter se, & nullum alium finem diligitur, vt supra dictum fuit. Ad illud autem quod dicit Apost. ad Philemonem. Itaque frater ego te fruar in Domino. Respondet Magister secundum Aug. quòd non dicit, Ego fruar te, sed addit in Domino. Sed homine sic in Deo
fru-

frui, potius est Deo frui, quàm homine. Non enim dici potest, homo fruitur homine, sed benè Deo fruitur in homine. Secundum est, an Deus vtatur nobis, an fruatur. Et respondens Magister, dicit, quòd non fruitur, sed vtitur: sed tamen differenter quàm nos: quia nos vtimur alijs rebus propter nostram vtilitatem: Deus autem nobis vtitur non ad suam, sed ad nostram vtilitatem. Tertium est, an Virtutibus sit fruendum. Et respondens Magister dicit, quòd non, nisi instrumentaliter: eo quòd non quæruntur propter se, sed propter beatitudinem, & propter Deum. Et hæc de tertia, & vlt. parte huius distinctionis satis dicta sint. Vltimò autem Magister recapitulat ea, quæ dicta sunt, ostendens secundum quē ordinem de eis sit tractaturus, quia prius de rebus, quàm de signis: & prius de rebus fruibilibus, vt in hoc primo libro. Postea de vtibilibus, vt in secundo. Deinde de vtibilibus ordinatis ad fruibilia agit in tertio. Finaliter de signis agit in Quarto.

DE MYSTERIO TRINITATIS, & Vnitatis.

DISTINCT. II.

TEXT.

Hoc quoque vera, ac pia fide tenendum est, quòd Trinitas vnus sit, & solus verus Deus, vt ait Aug. in 1. lib. de Trinitate, scilicet, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: & hæc Trinitas vnius eiusdemque substantiæ vel essentiæ dicitur, creditur, intelligitur, &c.

Connectitur hæc secunda distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister sententiarum in superiori distinctione inquisiuerit de qua materia agendum sit; incipit modò secundùm ordinem præmissum in præsenti distinctione tractare de rebus fruibilibus. Diuiditur hæc distinctio in tres partes principales: In quarum prima Magister ostendit modum inuestigandi Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate. In secunda verò ostendit, nullum catholicum debere de hoc dubitare. In tertia autem declarat vnitatem essentiæ diuinæ, & pluritatem personarum auctoritate noui, & veteris testamenti. Pro declaratione itaque primæ partis, ponitur hæc conclusio. Necesse est quemlibet catholicum sola, & etiam pia fide æternam Trinitatem in summa vnitate affirmare. Quæ quidem conclusio probatur tali modo. Quod non sine fide sciri, vel inuestigari potest, hoc oportet quemlibet catholicum sola; & pia fide affirmare: sed æternam Trinitatem in summa vnitate, nullus sine fide scire, vel inuestigare potest: igitur æternam Trinitatem in summa vnitate oportet quemlibet catholicum sola, & pia fide affirmare. Maior non indiget probatione, quia illam Magister ponit in primo capitulo huius distinctionis. Minorem similiter Magister probat ibidem transsumendo auctoritatem beati Aug. dicentis, quòd Trinitas est vnus solus Deus Pater, & Filius, & Spiritussanctus: hæc Trinitas vnius, & eiusdem substantiæ vel essentiæ dicitur, creditur, & intelligitur. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Nullus bonus catholicus debet in distinctione diuinarum personarum vllatenus dubitare. Quæ quidem conclusio virtualiter sic probatur. In illo nullus bonus catholicus debet, propter materiæ arduitatem dubitare, in quo videt omnes catholicos Doctores ex intentione vnanimiter concordare: Sed talis est diuinarum personarum distinctio, quam omnes catholici Doctores pia fide affirmant, & vnanimiter confitentur: igitur nullus bonus catholicus debet in distinctione diuinarum personarum aliquo modo dubitare. Tenet argumentum. Maiorem autem, & minorem ponit Magister in secundo capitulo huius distinctionis:

igitur

igitur conclusio vera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Clarum est quemlibet catholicum pluralitatem diuinarum personarum, & vnitatem essentiæ diuinæ auctoritatibus veteris, ac nouæ legis posse comprobare. Quæ quidem conclusio probatur primò auct. vet. testamenti. Dicitur enim in gen. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. In hoc quod dicit faciamus, pluraliter, ostenditur pluralitas personarum. Per hoc autem quod dicit imaginem, singulariter, ostenditur vnitas essentiæ. Et ideò Pater æternus dixit (loquendo cum Filiò, & Spiritusancto) faciamus ad nostram, & non facio ad meam: similiter imaginem, & similitudinem, & non imagines, & similitudines, ad hoc vt ostenderetur pluralitas personarum, & vnitas essentię diuinę. Similiter hoc idem probat Magister auctoritatibus noui testamenti, quę patent in textu. Dicitur enim Math. vlt. Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Dixit Christus Dominus noster, in nomine, & non in nominibus, ad hoc vt ostenderet nobis vnitatem essentię diuinę. Dixit deinde Patris, & Filij, & Spiritussancti, ad hoc vt ostenderet nobis distinctionem, & pluralitatem personarum. Similiter Ioan. in epistola Canonica ait. Tres sunt qui testimonium perhibent in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritussanctus: & hi tres vnum sunt. Et hęc de tertia, & vlt. parte huius distinctionis dicta sint satis.

INCI.

INCIPIT OSTENDERE quomodo per creaturam poterit cognosci Creator.

DISTINCT. III.

TEXT.

Apostolus nanque ait, quòd inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius, et Diuinitas, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc tertia distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in præcedenti distinctione ostenderit vnitatem essentiæ, & Trinitatem personarum per authoritates: hoc idem modò in hac distinctione ostendit per rationes, & creaturas. Diuiditur præsens distinctio in quatuor partes principales. In quarum prima Magister ostendit per rationes naturales Diuinę essentiæ vnitatem. In secunda verò inquirit per similitudinem vestigij pluralitatem Diuinarum personarum. In tertia autem ostendit vtrumque per assimilationem imaginis mentis creatæ. In quarta autem, & vltima manifestat omnes similitudines, vel repræsentationes creaturarum ad Deum, per insufficientiam, & inæqualitetem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Vnitas Diuinæ essentiæ potest per rationes naturales quodam modo indagari. Quam quidem conclusionem probat Mag. primò auctoritate Apost. dicentis, Quòd inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Exponit, quòd per creaturam mundi significat

ficat hominem propter naturæ dignitatem, & conuenientiam quam habet cum omni creatura. Habet enim homo esse cum lapidibus, viuere cum plantis, sentire cum brutis, & etiam intelligere cum Angelis. Vnde proponit Magister, quòd homo auxilio naturalis rationis, & inspectione creaturarum, in cognitionem Dei Optimi Maximi peruenire potest. Secundò probat vnitatem Diuinæ essentiæ quatuor rationibus. Quarum prima sic formari potest. Quicunque fecit quod nulla creatura facere potest, ille est potentissimus: sed qui ex nihilo fecit cœlum, & terram, fecit quod nulla creatura facere potest. igitur ille solus est potentissimus. Sed nullus fecit cœlum, & terram ex nihilo, nisi solus Deus: igitur solus Deus est potentissimus. Hanc rationem confirmat Magister auct. Ambr. dicentis. Deus qui natura inuisibilis est, vt à visibilibus sciri posset, opus fecit, quod opificem visibilitate sui manifestauit: vt per certum incertum posset sciri, &c. vt videre est in textu, in quo intellectus rationis prædictæ apertè explicatur. Secunda rô est ista. Qui fecit omnia mutabilia, immutabilissimus est: sed qui fecit corpora, & spiritus mutabiles, ille fecit omnia mutabilia: igitur ille est immutabilissimus. Quoniam autem nullus hoc fecit nisi Deus, sequitur dicendum, quòd solus Deus sit immutabilissimus. Illam rationem confirmat Magister auctoritate beati Aug. Dicentis. Viderunt summi Philosophi nullum corpus esse Deum, ideò cuncta corpora transcenderunt quærentes Deum. Viderunt etiam nullum mutabile posse esse summum bonum omniumque principium, sed quodlibet tale oportet esse ab alio. Tertia ratio formatur sic. Qui fecit omnia bona, & meliora optimus est. sed qui fecit omnia spiritualia, & corporalia est huiusmodi: igitur ille est optimus. Sed nullus fecit ea nisi solus Deus: sequitur ergo quòd ipse solus Deus sit optimus. Hanc rationem Magister in littera clarè confirmat. Quarta autem ratio est ista. Qui fecit omnia pulchra, & pulchriora ille est pulcherrimus, sed qui fecit omnia corporalia, & spiritualia est huiusmodi: igitur ille est pulcherrimus. Sed nullus hoc fecit, nisi solus Deus: igitur solus Deus est pulcherrimus. Hanc rationem ponit Magister fundamentaliter in quinto capitulo huius distinctionis.

Ec

Et ex his quatuor rationibus Magister nititur arguere, & probare vnitatem diuinæ essentiæ: quod patet sic, nam ipsæ quatuor rationes Deum esse concludunt potentissimum, immutabilissimum, optimum, & pulcherrimum: sed impossibile est, quòd sint plures potentissimi, vel plures immutabilissimi, optimi, aut pulcherrimi, quàm solus Deus: quia si essent duo tales, vnus esset superfluus, & alter diminutus: quorum vtrunq; est inconueniens. Relinquitur igitur ex his rationibus, quòd non sit nisi vnus Deus. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Trinitas diuinarum personarum potest per vestigales similitudines à nobis quodammodo inuestigari. Quam quidem conclusioné Magister sententialiter ponit in sexto capitulo huius distinctionis, vbi transumit dictum beati Aug. dicentis. Oportet vt creatorem per ea, quæ facta sunt intellectu conspicientes Trinitatem intelligamus. Huius enim Trinitatis vestigium in creaturis apparet. Hæc enim, quæ arte diuina facta sunt, & vnitatem quandam in se ostendunt, & speciem, & ordinem: quæ tribus personis appropriantur. Nam quodlibet horum creatorum & vnum aliquid est: sicuti sunt natura corporum, & animarum. Et aliqua specie formatur: sicut sunt figuræ, & qualitates corporum, & Doctrinæ, ac artes animarum. Et ordinem aliquem habet: sicuti sunt pondera, collocationes corporum, & amores, vel delectationes animarum. Hæc autem tria tribus personis appropriantur, & ita in creaturis relucet vestigium Trinitatis. Deniquè subdit quod per creaturarum cognitionem sufficiens Trinitatis cognitio haberi non potest, sine interioris inspirationis reuelatione. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis ponitur hęc conclusio. Vnitatem essentiæ diuinæ, ac Trinitatem personarum per imaginem creatæ mentis possumus expresśe contemplari. Quæ quidem conclusio probatur sic. Quæcunq; possunt in imagine creata cognosci, illa etiam de imagine increata possunt ductu luminis rationis naturalis speculari: sed in mente nostra, in quantum est Deitatis imago, possumus quodammodo cognoscere vnitatem in Trinitate, ac Trinitatem in vnitate: igitur in mente nostra possumus expresśe contemplari Trinitatem

tatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate: Maior nota est. Minorem autem probat Magister diffusè sic dicens. Sicuti in Deo est diuina essentia, & tres personæ inter se distinctæ: & sicuti istæ tres personæ distinguuntur secundum varias earum processiones, quia pater intelligendo se, producit verbum, (scilicet per modum naturę, vel intellectus generat filium) pater autem cum filio diligendo seipsos mutuo per modum voluntatis, simul spirant Spiritumsanctum: ita etiam mens nostra, cùm seipsam actualiter intelligit ex memoria producit intellectum; & tandem ex memoria, & intellectu producit voluntatem. Et sicuti personæ diuinæ inter se sunt æquales, ita quòd vna non est minus, quàm omnes neq; omnes sunt magis, quàm vna: sic quælibet harum potentiarum capit omnes tres, & omnes tres capiunt vnamquamque ipsarum, & sic de similibus. Et hæc de tertia parte sufficiant. Pro declaratione autem quartæ & vltimæ partis, ponitur hæc conclusio. Nulla imago Trinitatis creatæ, est representatiua sine magna dissimilitudine Trinitatis increatæ. Quæ quidem conclusio sic probatur. Inter quæcunque est realis differentia cum notabili dissimilitudine, inter ea non potest esse similitudo sine magna deformitate: sed inter omnem imaginem Trinitatis creatæ, & Trinitatem increatam, est realis differentia cum notabili dissimilitudine: igitur inter ea non potest esse similitudo sine magna deformitate, & per consequens non pōt adequatè alterius esse representatiua, vt asserit conclusio probanda. Maior de se nota est. Minorem ponit Mag. in textu, assignans duas diuersitates, in quibus Trinitas creata differt à Trinitate increata. Quarū prima est, quòd Deus, Trinitas, quæ est Pater, & Filius, & Spiritussanctus, (cui homo secundū has tres personas assimilatur per tres vires animæ suæ, cuiusmodi sūt memoria intellectus, & voluntas) illæ tres personæ sunt vnus Deus essentialiter, & è conuerso vnus Deus est illæ tres personæ. Homo aūt, qui per istas tres potentias aīæ suæ, imago Dei dicitur, nō est illæ tres potentię, sed dicitur eas habere: cuiusmodi Deus, Trinitas, est tres personæ, non aūt eas habere dicitur. Secunda dissimilitudo est, s. quòd Pater, & Filius, & Spiritussanctus, sunt tres personę, sed memoria, intellectus, voluntas non sunt personæ,

sed

sed bene sunt tres potentiæ vnius personæ. Si sic igitur nulla imago Trinitatis creatæ est sine magna dissimilitudine Trinitatis increatæ repræsentatiuæ. Alia patent in littera. Et hæc de quarta, & vlt. parte huius distinctionis satis dicta sint.

HIC QVÆRITVR VTRVM concedendum sit, quòd Deus se genuerit.

DISTINCT. IIII.

TEXT.

Hic oritur Quæstio satis necessaria. Constat enim, & irrefragabiliter verum est, quòd Deus pater genuit filium. Ideò quæritur, vtrum concedendum sit, quòd Deus genuit Deum, &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc quarta distinctio huius primi libri cũ superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister Sententiarum superius ostenderit, quòd vnitas essentiæ,& Trinitas personarum in Diuinis potest inuestigari quodammodo ex vtriusque testamenti auctoritate, ac per vestigium,& imaginem repertas in creaturis: consequenter nunc in hac distinctione incipit determinare de personarum origine,& distinctione incipit. Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarum prima determinat per quandam quæstionem, Deum patrem nec se, nec alium à se essentialiter Deum genera sse. In secunda verò ostendit, Deum patrem genuisse Deum filium alium à se in persona, opponendo etiam

etiam contra determinata, & soluens obiectionem. In tertia autem, & vltima parte ostendit, vnum Deum esse tres personas, & tres personas esse vnum Deū, reprobando etiam quandam contrariam opinionem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio, Deum seipsum genuisse, vel à se alium Deum essentialiter generando produxisse, omninò est negandum. Quæ quidem conclusio sic probatur. Illud quo concesso sequeretur idem genuisse seipsum, vel plures esse Deos, apud fideles simpliciter est negandum, sed Deum se, vel à se essentialiter alium Deum genuisse, est huiusmodi; igitur Deum se, vel alium Deum essentialiter à se generasse, apud fideles simpliciter est negandum. Maior patet, sed minorem probat Magister in textu, quærens, an hæc sit vera. Deus genuit Deum. Et dicit quòd sic, quia Deus pater genuit Deum filium, & tamen non sequitur, ergo genuit se Deum, vel aliū Deum. s. alium in Deitate, sed benè alium in personalitate, seu in persona. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Deum patrem originasse in æternitate vnicum Deum filium à se patre alium sola personalitate, apud catholicum simpliciter est affirmandum. Quæ quidem conclusio tali ratione probatur. Illud quo negato sequeretur in essentia plures esse Deos, apud catholicum simpliciter est affirmandum, sed Deum patrem originasse in æternitate vnicum Deum filium à se patre alium sola personalitate, est huiusmodi: igitur Deum patrem originasse in æternitate vni cum Deum filium à se patre alium sola personalitate, apud catholicum simpliciter est affirmandū. Maior est euidens. Minorem autem probans Magister, (supposita tamen determinatione quæstionis præmissę, qua dicebatur, quòd Deus genuit Deum, & tamen nec se, nec alium essentialiter à se) sic procedit. Si Deus genuit Deum, aut igitur Deus pater genuit Deum, qui est Deus pater, & sic idem genuit seipsum, aut Deus pater genuit Deum, qui non est Deus pater, & sic genuit alium Deum, & per consequens hoc modo erunt plures Dij. Ad quod respondens Magister, dicit, quòd illa propositio quæ dicit: Deus pater genuit Deum, qui non est Deus pater: potest duos habere sensus, quorum

primus

primus est. Deus pater genuit Deum, qui non est Deus pater .i. Deum filium, qui Deus filius non est Deus pater. Dicitur .n. in symbolo, alia est persona Patris, alia Filij, & alia Spiritus sancti. Et iste sensus verus est, quia ibi non notatur alietas essentiæ, sed solùm personæ. Alius autem sensus est. Deus pater genuit Deum, qui non est Deus pater .i. alium Deum in essentia, & in natura. Et sic iste sensus falsus est, quia in ea denotatur alietas essentiæ, seu naturæ, ad quem quidem sensum sequitur plures esse Deos, quod omninò est impossibile. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Tres personas esse vnum Deum, & vnum Deum esse tres personas, est à quolibet catholico firmissimè tenendum. Quæ quidem conclusio probatur sic. Illud quo dubitato esset in fide, & auctoritatibus Sanctorum hæsitandum, est firmissimè tenendum: sed tres personas esse vnum Deum, & vnum Deum esse tres personas, est huiusmodi: igitur tres personas esse vnum Deum, & vnum Deum esse tres personas, est à quolibet catholico firmissimè tenendum. Maior est vera. Minoris autem euidentiam ponit Magister in textu, proponens opinionem quorundam dicentium, quòd nomen essentiale in Diuinis, cuiusmodi est hoc nomen Deus, potest prædicari de nomine personali, cuiusmodi est Pater, dicendo, pater est Deus: non tamen econuerso nomen personale potest prædicari de nomine essentiali, dicendo, Deus est Pater. Vnde concedebant istam. Tres personæ sunt vnus Deus. Negabant autem istam. Vnus Deus est tres personæ. Quam quidem opinionem reprobat Magister in textu, dicens, quòd secundum catholicam fidem vtraque istarum est vera, scilicet, tres personæ sunt vnus Deus, & vnus Deus est tres personæ. Et confirmat dictum suum in auctoritatibus Sanctorum, alia patent in littera. Et hæc de tertia & vlt. parte huius distinctionis dicta sint satis.

HIC QVÆRITVR, AN PAter genuit diuinam essentiam, vel ipsa filium: an essentia genuerit essentiam, vel ipsa nec genuit, nec genita est.

DISTINCT. V.

TEXT.

Post hæc quæritur, vtrum concedendum sit, quòd Pater genuit Diuinam essentiam, vel quòd diuina essentia genuit filium, vel essentia genuit essentiam, an omninò non genuit, nec genita est Diuina essentia, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc quinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm.n. Magister Sent. in superiori distinctione ostenderit, q̃ in diuinis sit generatio: hic consequenter inquirit, an essentia sit terminus generationis. Diuiditur præsens dist. in tres partes principales. In quarum prima Magister ostẽdit, diuinam essentiã nullo mõ posse esse terminum gñationis. In secunda verò determinat, filium, & Spiritumsanctũ realiter esse productos. In tertia aũt, & vlt. par. declarat, eos nõ de nihilo, sed de aliquo immaterialiter esse productos. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc cõclusio, Diuina essentia nõ est generans, neq; genita. Quæ quidẽ conclusio sic probatur. Illud quo cõcesso sequeretur Diuinam essentiam non esse essentiam, vel eandem rem generasse seipsam, apud catholicum firmissimè est negandum: sed Diuinam essentiam generare, vel esse genitam, est huiusmodi: igitur Diuinam essentiam

generare, vel esse genitam apud catholicum firmissimè est negandum; & per consequens Diuina essentia non est generans, neque genita. Maior huius rationis patet. Minorem autem probans Magister in textu, quærit. Vtrum huiusmodi propositiones sint concedendæ. Pater genuit Diuinam essentiam. Diuina essentia genuit filium. Diuina essentia non est generans, nec genita. Et respondens inquit, quòd Diuina essentia non est genita, nec generat. Quod probat tribus rationibus, quarum prima est talis. Omne quod generatur relatiuè dicitur; igitur si essentia Diuina generatur, relatiuè diceretur; quod est falsum, quia tunc non significaret absolutè substantiam. Secunda ratio est talis. Pater est Diuina essentia, si igitur Pater genuit Diuinam essentiam, tūc genuit seipsum; quod similiter est falsum, & impossibile. Tertia ratio est talis. Pater per Diuinam essentiam habet esse: si igitur Pater genuit Diuinam essentiam, tunc pater habet esse ab illomet quod genuit. Quod est falsum, quia generatum à generante habet esse, & non generans à genito. Addit ét Magister, quòd simili modo probat Aug. quòd, scilicet, Pater non est sapiens sapientia genita, cuius ratio est, quia si pater esset sapiens per illam sapientiam, quam genuit, sequeretur, quòd (cùm idem sit ei sapere, & esse) haberet esse per illud, & ab illo quod genuit, quod similiter est impossibile, & maximam cōtradictionem implicat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Quanquam Filius, & Spiritussanctus, non sint aliud, quàm ipsa Diuina essentia, tamen ambo producti sunt realiter. Quamquidem conclusionem Magister inuestigat obijciendo contra hoc quod dictum est, scilicet, quòd Pater non genuit Diuinam essentiam. Nam dicit. Pater genuit illud quod ipse est: sed illud quod ipse est, est Diuina essentia: igitur pater genuit Diuinam essentiam. Et respondens ait, quòd illa propositio quæ dicit: Pater genuit illud quod ipse est: sic debet intelligi, s. pater genuit filium, qui est eiusdem naturæ, vel essentiæ cum ipso. Tandem ostendo, quòd non est concedendum, quòd essentia genuit filium, eo quòd sequeretur idem generasse seipsum, Magister exponit aucto-

auctoritates Sanctorum, scilicet August. & Hilarii, quæ videntur prædictis obuiare, dicens, quòd essentia filij sit de essentia patris. Hæ auctoritates sunt sic exponendæ, seu intelligendæ. Filius qui est essentia, est de patre qui est essentia, & sic de aliis. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hęc conclusio. Filius, & Spiritussanctus sunt producti, non tamen de nihilo, sed de aliquo, licèt non de aliquo materialiter. Quam conclusionem probat Magister exponendo auctoritates dicentes, patrem de sua substantia filium genuisse. Et dicit, quòd huiusmodi auctoritates, sunt sic exponendę. Pater genuit filium de sua substantia, & non de nihilo eum genuit, sed genuit talem, qui est eiusdem naturę cum ipso. Quam expositionem Magister confirmat per multas auctoritates, quę patent in littera. Et hęc de tertia, & vlt. parte huius distinctionis dicta sint satis.

VTRVM PATER VOLVNTAte genuit Filium, an necessitate, & an volens, vel nolens sit Deus.

DISTINCT. VI.

TEXT.

Prætereà quæri solet, Vtrum Pater genuerit Filium voluntate, an necessitate. De hoc Orosius ad Augu. ita ait. Voluntate genuit Pater Filium, vel necessitate: sed nec voluntate, nec necessitate: quia necessitas in Deo non est, præire voluntas sapientiam non potuit, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc distinctio, cum superiori hunc in modum. Cùm enim Magister in præcedenti distinctione ostenderit, quòd essentia diuina non pôt esse terminus generationis: consequenter nunc in præsenti distinctione incipit agere de potentia generantis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarum prima Magister ostendit, quomodo p̄ter nec voluntate, nec necessitate Filium genuit. In secunda verò determinat, quòd licèt natura, & voluntas diuina sint idem, non tamen p̄ hoc dicere valemus filium natura esse filium voluntate. In tertia autem, & vltima parte declarat, quomodo necessitas incommutabilitatis, & voluntas communicabilitatis ad ḡnationē filij æternam cōcurrant. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Non est catholicè sentiendū Deū patrem genuisse filiū necessitate cogente, aut voluntate præcedente. Quæ quidem conclusio probatur sic. Illud quo cōcesso sequitur Deum aut esse miserum, aut mutabilem, & filium Dei non esse naturalem filium, non est catholice sentiendum: sed Deū patrem genuisse filiū necessitate cogente, aut voluntate præcedente, est huiusmodi: igitur nō est catholicè sentiendum Deum patrē genuisse filium necessitate cogente, aut voluntate præcedente, quod erat probandum. Maior est clara. Minorem aūt ponit Magister in textu, respondendo ad quæstionem illam. Vtrum pater genuit filiū ex necessitate, aut voluntate. Magister r̄ndendo, dicit, ꝙ nec necessitate, nec voluntate. Necessitate non, quia si sic genuit, ꝙ non potuerit eum non generare, tunc sequeretur ꝙ necessitas coactionis caderet in Deum, quod non est dicendū, cùm ipse sit summè liber: nec voluntate, scilicet antecedente, nempè, quòd prius voluerit filium generare, eo ꝙ ipsum genuit quia si staret in eius libera potestate, vt generaret si vellet & non generaret si nollet, tunc caderet mutabilitas in Deū, quod est inconueniens. Quæ omnia clara sunt in littera auctoritate Beati Aug. Et hæc de prima parte sufficiāt. Pro declara

claratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Ex diuinæ naturæ, & voluntatis identitate, argui non potest filii si natura, esse filium voluntate. Quam quidem conclusionem Magister probat in littera soluendo argumentum hæreticorum, quod faciunt in ista materia, dicentes. In diuinis natura, & voluntas sunt idem: si igitur pater genuit filium natura, videtur etiā quòd genuit ipsum voluntate. Ad quod Magister respondendo, dicit, quòd natura & voluntas, in diuinis sunt idem per se, distinguuntur tamen ratione: sunt idē absolutè, distinguuntur formaliter. cuius ratio est, quia aliquid potest conuenire naturæ, quod non conuenit voluntati; & per consequens non est inconueniens filium esse filium natura, & non filium voluntate. Et confirmat hoc à simili, dicendo, quòd voluntas Dei, & scientia eius sunt idem, & differunt: idem per se, differunt verò ratione, vel connotatione. Scientia enim connotat aliquid esse in Deo, quod nō connotat voluntas, & econtra: quia ratione scientię suæ cōuenit Deo scire, & cognoscere malum, non tamen ratione voluntatis suæ conuenit sibi velle, & approbare malum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Solùm necessitas incommutabilitatis, & voluntas communicabilitatis concurrunt ad æternam filii Dei generationem. Quæ quidem conclusio sic probatur. Illa, sine quibus impossibile est Deum esse Deum, necessariò concurrunt ad æternam filii generationem: sed necessitas incommutabilitatis, & voluntas communicabilitatis sunt huiusmodi: igitur solùm necessitas incommutabilitatis, & voluntas communicabilitatis ad æternam filii generationem concurrunt. Maior est euidens. Minorem autem ponit Magister in textu saltem sententialiter, vbi reprehendit quendam hæreticum, qui dixerat patrem generasse filium voluntate præcedente, & sic prius fuisse volentem, quàm generantem, quòd omninò falsum est. Et hec de tertia, & vlt. parte huius distinctionis dicta sint satis.

HIC QVÆRITVR AN PAter potuerit, vel voluerit gignere filium.

DISTINCT. VII.

TEXT.

Hic solet quæri à quibusdam. Vtrum pater potuerit, vel voluerit generare filium. Si enim (inquiunt) potuit, vel voluit generare filium, ergo potuit aliquid, & voluit, quod nec voluit, nec potuit filius, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc septima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius ostenderit, qualiter pater genuit filium quo ad virtutem, seu potentiam intellectualem: hic consequenter tractat de potentia eius generandi naturali. Diuiditur hæc distinctio in tres partes. In quarum prima Magister determinat, an potentia generandi sit in filio. In secunda verò ostendit, quòd non generare, non sit impotentia in ipso filio. In tertia autem, & vltima parte ostendit, qualiter eadem sit potentia, qua pater potest generare, & qua filius potest generari. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Patrem posse, aut velle filium generare, non est simpliciter aliquid, sed ad aliquid. Quam quidem conclusioné Magister probans, quærit, an pater potuit, & voluit filium generare. Si sic, (dicit Magister) ergo pater voluit, & potuit aliquid,

aliqd quod nō potuit, nec voluit filius. Vel oportet & filiū posse, & velle generare, quod est inconueniens. Vel oportet dicere, quòd filius sit impotens. Cui difficultati respondent Magister, dicens, dato etiam quòd pater posset generare, & non filius, adhuc nō sequeretur patrem aliquid posse, quod non posset filius, quia posse, & velle patrem generare, non est propriè aliquid, sed ad aliquid: ergo non posse, & non velle generare, non arguit impotentiam in filio. Pro cuius argumenti euidentia sciendum est, quòd quicquid est in Diuinis, est essentia, vel relatio. igitur quęd conuenit Deo, hoc cōuenit sibi vel ratione essentiæ, vel ratione relationis. Si ratione essentiæ, tunc est commune tribus personis. Si ratione relationis, tunc hoc non est commune tribus personis. Cùm ergo posse generare, non sit aliquid in Diuinis, i. aliquid spectans ad essentiam, sed potius ad aliquid. i. pertinēs ad relationem scilicet, ad paternitatē: non est inconueniēs, quòd non conueniat filio, quia illa proprietas, scilicet, paternitas, non spectat ad filium. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quòd filius non possit, nec velit generare, hoc non debemus sibi ad impotentiam, sed potius ad condētionis proprietatem imputare. Quamquidem conclusionē Magister probat auctoritate beati August. dicentis, quòd filius potuit generare, sed non oportuit ipsum generare, eo quòd tunc inordinata, & superflua fuisset generatio in Diuinis, si filius genitus generaret patri nepotem. Et dicit postea Magister, quòd ista verba Aug. sunt sic intelligenda: non enim non potuit, sed non opportuit. i. non conueniebat proprietati eius, qua est filius, & non pater, vt generaret, quia statim desineret proprietas eius. Et concludit, quòd sicut non arguit impotentiam in patre, quod nō possit esse filius: ita econtra non est impotentia in filio, quòd non possit esse pater. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Vnam, & eandem, & æqualem potentiam generandi esse in patre, & filio affirmare possumus. Quam quidem conclusionem Magister inuestigat inquirendo, an potentia generandi in patre, sit

aliqua potentia in filio. Et respondet quòd vna, & eadem sit potentia, qua pater potest generare, & qua filius potest generari, cum in patre, & filio non sit nisi vna sapientia, natura, & potentia. Vel sic respondet Magister, quòd potentia generandi, non tantum dicit naturam, sed etiam proprietatem. Referendo igitur intellectum ad proprietatem, non est potentia generandi in filio, quia sic est aliud posse generare, & posse generari. Referendo verò ad naturam idem sunt. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis satis dicta sint.

DE VERITATE ET PROprietate, & incommutabilitate, & simplicitate essentiæ Dei.

DISTINCT. VIII.

TEXT.

Nunc de veritate siue proprietate siue incommutabilitate, atque simplicitate Diuinæ naturæ, siue substantiæ, siue essentiæ agendum est, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista octaua distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius ostenderit quid tenendum sit de veritate generantis: nunc consequenter in hac distinctione agit de natura cōicata per actum generationis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit veritatem essentiæ Diuinæ. In secunda verò eius naturæ immutabilitatē. In tertia aūt ostendit eius simplicitatē. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Solus Deus

proprie

propr è habet veritatem essentiæ sine alicuius non actualitatis admixtione. Quæ quidem conclusio sic probatur. Illud cuius esse repertum est semper esse, (.i.æternaliter) & qđ est sine præteritione, & futuritione, habet propriè essentiæ veritatem sine alicuius non actualitatis admixtione, sed solus Deus est hmōi: igitur ipse solus habet essentiæ veritatē sine alicuius non actualitatis admixtione. Maior patet. Minorem aūt probat Magister in textu per hoc, q̄ essentia à verbo essendi nomen proprium habet. Essentia.n. derivatur à verbo sum es est. E ostendit, quòd esse Dei non novit præteritum, neque futurum.i.nec cœpit, nec desijt, nec desinet esse, quia semper fuit, est, & erit in æternum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Solus Deus habet æternæ permanentiæ stabilitatem sine vlla mutatione. Quæ quidem conclusio sic probatur. Illud quod est ipsum suum esse, & quod impossibile est ipsum mutari, habet stabilitatē æternæ permanentiæ sine vlla mutatione, sed solus Deus est huiusmodi: igitur solus Deus habet æternæ permanentiæ stabilitatē sine vlla mutatione. Maior est euidens. Minorem autem probat Magister in litte ra dicens esse Dei omninò esse immutabile, quod tripliciter probat. Primò per hoc quòd esse diuinum est verissimum, quod non esset si posset mutari. Secundò per hoc quòd in Deo non sunt accidentia, per quæ mutatio in rebus contingit. Tertiò per comparationem Dei ad creaturas. Nam omnis creaturæ mutatio fit, vel per locum, vel per tempus, vel per affectiones: sed neutrum istorum modorum cadit in Deo, vt patet per diuersas Sanctorum au ctoritates in textu: igitur suum esse est omninò immutabile, quod erat probandū. Et hæc de secūda par. sufficiant. Pro declaratione aūt tertiæ partis, ponitur hæc conclusio, Solus Deus simplicitatē essentiæ sine cuiuscūq; multiplicitatis cōpositione. Quæ quidē cōclusio sic probatur. Qđ non solū corporis, vel spirituū, aut multiplicitati pdicamentorū nō subijcitur, sed ēt illudmet est quod in eo esse dicitur, hēt essentiæ simplicitatē sine cuiuscunq; multiplicitatis cōpositione: s.d solus Deus est hmōi: igi solus Deus hēt simplicitatē essētiæ

sine

sine cuiuscunque multiplicitatis compositione. Maior patet. Minorem autem probans Magister in litterâ, proponit, quòd Diuina essentia verè, & propriè simplex est, eo quòd in Deo nulla est diuersitas partium accidétium so: marum, & huiusmodi. Secundò probat idem per comparationem ipsius ad multiplicitatem creaturæ spiritualis, in qua licèt non sit diuersitas partium, sicut in creatura corporali, propter eius simplicitatem, cùm tota sit vbicunque sit, (sicut anima rationales, quæ dicitur esse tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte) est tamen in ea diuersitas accidentium, sicuti Magister declarat per exemplum de diuersis animæ affectionibus. Postea ostendit, quòd huiusmodi simplicitati non repugnat multiplicitas nominum, quæ de ipso dicuntur, eo quòd omnia vnum significant, & quòd nulla accidentia sint in ipso ostendit discurrendo per singula prædicamenta accidentis, & etiam quòd substantia impropriè dicitur de Deo ostendit, quia accidenti substat ipsa substantia. Vltimò addit, quòd ipsa Dei simplicitas personarum pluralitatem non excludit, & quòd non sit aliquid in Deo quod non sit Deus. Et hæc de tertia, & vlt parte huius distinctionis satis dicta sint.

DE DISTINCTIONE Trium personarum.

DISTINCT. IX.

TEXT.

Nunc ad distinctionem tria personarum accedamus. Teneamus ergo, vt docet Aug. in lib. de fide ad Petrum, Patrem, & Filium, & Spiritumsanctum vnum esse Deum naturaliter, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur hæc nona distinctio cum superiori, hûc in modum. Cum enim Magister superius determinauerit de pertinentibus ad essentiam: consequenter in hac distinctione tractat de pertinentibus ad personã. Diuiditur præsens distinctio, in tres partes principales. In quarum prima Magister ostendit Patris, & Filij coęternitatem. In secunda verò ostendit æternæ generationis filij inefabilitatem. In tertia autem, & vltima parte concludit filium potius debere dici semper natum, quam nasci. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Dei filius genitus est simpliciter ab æterno Patre coęternus Patri. Quæ quidem conclusio sic probatur. Illud sine quo Deus nunquam fuit, nec esse potuit, est Deo coæternum: sed hic est filius genitus à patre: igitur filius genitus est patri coęternus. Maior patet. Minorem autem probans Magister in textu, proponit primò, quòd tres personæ in Diuinis idem sunt in natura, sed distinctæ in personalitate. Vnde infert, quòd licet filius sit alius à patre, cùm sit ab eo genitus, non tamen ante fuit pater, quàm filius, cùm personæ Diuinæ sint sibi inuicem coæternæ. Postea excludit errorem cuiusdam hæretici dicentis, quòd si filius natus esset, principium haberet, & per consequens æternus non existeret. Quem errorem excludit Magister per auctoritatem Augu. dicentis, si filius non esset coæternus patri, pater fuisset aliquando sine sapientia, cùm filius sit sapientia patris. Vel pater si fuisset aliquando sine filio, & postea habuisset filium, tunc mutatus fuisset: quæ omnia stare non possunt. Relinquitur ergo, quòd filius sit genitus ab æterno patre coæternus patri, vt amplè videre est in littera. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Aeterna generatio filij, est ineffabilis. Quę quidẽ conclusio sic probatur, Quod superat sensum non solùm hominum, sed etiam Angelorum, ineffabile est: sed æterna filij generatio superat sensum non solum hominum,

num; sed etiam Angelorum: igitur æternæ filij generatio ineffabilis est. Maior nota est. Minor verò patet in littera, in qua Magister diuersis auctoritatibus Sanctorum insinuat, q̃ patrem non esse priorem filio, omnem intellectũ creatũ excellit, quamuis quidam malè præsumant q̃ posset per intellectum creatum cõprehendi. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione aũt tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Filius in diuinis congruentius dicitur semper natus, quàm nasci. Quæ quidem conclusio sic probatur. Quod perfectionem sine imperfectione exprimit, potius de generatione filij in diuinis affirmandũ est, quàm illud quod imperfectionem de se non excludit: sed filium semper esse natum, perfectionem sine imperfectione exprimit, & filium semp nasci, imperfectionẽ de se non excludit: igitur in diuinis filius congruentius dicitur semper natus, quàm nasci. Maior, & minor patent in littera, in qua habetur, q̃ expressio generationis per verbum prǽteriti perfecti temporis, cuiusmodi est ly, natus, denominat actum generationis transisse, & terminum eius actualiter in cõpleto stare. Sed expressio generationis per verbum præsentis temporis, cuiusmodi est ly, nascitur, denominat adhuc gñationis actum fieri, quod de se imperfectionẽ non excludit. Alia clarè patent in littera. Et hæc de tertia, & vlt. par. huius distinctionis satis dicta sint.

HIC DE SPIRITV SANCTO agitur: & prius quid sit amor patris, & filij dicitur.

DISTINCT. X.

TEXT.

Nunc post filij æternitatem de Spiritusancto, quantum Deo donante videre conceditur, disseramus. Spiritussanctus amor est, siue charitas, siue dilectio patris, & filij, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc decima distinctio cum superiorib. hunc in modum. Cum enim Magister Sent. in superioribus distinctionibus egerit de generatione filij à patre: nunc consequenter incipit in hac distinctione agere de processione spiritussancti ab vtroque, scilicet, à patre, & filio. Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarum prima Magister ostendit, qualiter amor Spirituisancto appropriatus, toti cõiter conueniat Trinitati. In secunda verò subdit, qualiter amor personalis soli propriè conueniat personæ Spiritussancti. In tertia autem, & vltima par. concludit, qualiter Spiritussanctus conuenienter nominetur nomine communi. scilicet, conueniens tam patri, quã filio. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc cõclusio. Charitas, seu amor essentialis Spiritusancto appropriatus, est communis toti Trinitati. Quæ quidem conclusio sic probatur. Sicut se habet sapientia ad totam Trinitatẽ, & ad filium: ita se habet amor ad Trinitatem, & ad Spiritumsanctum, sed sapientia essentialiter sumpta, conuenit toti Trinitati, & tamen appropriatur filio: igitur charitas, seu amor conuenit toti Trinitati, & tamen appropriatur Spirituisancto. Maior patet. Minorem autem probans Magister in textu, proponit primò, quòd Spiritussanctus sit amor, vel dilectio patris, & filij, quòd probat auctoritate beati Aug. dicentis, quòd Spiritussanctus nec patris est solius, nec filij est solius, sed amborum. Et ideo commune, quo pater, & filius seinuicem diligunt, insinuat nobis charitatem. Postea Magister remouet quandam dubitationem exortam ex dicto Ioan. in prima sua canonica, vbi dicitur. Deus charitas est. Dicet aliquis, si Spiritussanctus est amor, siue dilectio, & charitas, cur tunc Ioan. non dixit, Spiritussanctus charitas est, sed dixit, De⁹ charitas est, relinquẽs nobis sub dubio, an intẽdat ibi de tota Trinitate loqui, aut de aliqua psona in speciali. Ad quod rñdet Magister, quòd charitas, dilectio, seu

amor licèt sit communis toti Trinitati, tamen specialiter appropriatur personæ Spiritussancti, sicuti etiam sapientia communis est omnibus personis, tamen specialiter appropriatur filio, sicuti etiam nomen legis commune est toti veteri testamento, tamen appropriatur legi Moysi. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secūdę partis, ponitur ista alia conclusio. Charitas, seu amor personalis nulli alteri propriè conuenit, quàm tertiæ personæ in Diuinis, scilicet Spirituisancto. Quę quidem conclusio sic probatur. Qui solus per modum dilectionis procedit, illi propriè & non alteri conuenit charitas, seu amor personalis, sed Spiritussanctus, est ille qui solus per modum dilectionis procedit: igitur charitas, seu amor personalis, soli Spirituisancto propriè conuenit. Maior patet. Minorem autem probans Magister in littera, inducit tale dubium. Beatus Ioannes in sua canonica dicit, (loco supra citato) quòd dilectio ex Deo est: cum ergo tam filius, quàm Spiritussanctus sit ex Deo vnus per natiuitatem, alius verò per processionem, dubitatur quis illorum dilectio dici debeat. Et respondens Magister dicit quòd Spiritussanctus, quod probat in eadem Epistola per textum sequentem, vbi postquam dixit: dilectio, quæ facit nos in Deo manere, in Deo est: subdit: in hoc cognoscimus quòd in Deo manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritusancto dedit nobis. Spiritussanctus itaque de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere: insinuans per hoc Spiritumsanctum facere illam dilectionem, quæ est ex Deo. Et illud confirmat Magister per auctoritates sanctorum. Alia patent in littera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus ratione communis originalis principij, est nomine Spiritussanctus nominatus non obstante, quòd illud nomen sit commune omnibus tribus personis. Quæ quidem conclusio sic probatur. Quodcunq; cōiter, & æqualiter hēt originē à duob. conuenienter habet denominationem eis cōem: sed Spiritussanctus habet communem originem à patre, & filio: igitur Spiritussanctus conuenienter habet denominationem eis communem. Maior patet. Minorem verò pro-

bat

bat Magister in littera auctoritate Beati August. Et hæc de tertia, & vlt. parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVOD SPIRITVSSANCTVS procedit à Patre, & Filio.

DISTINCT. XI.

TEXT.

Hic dicendum est Spiritumsanctum à patre esse, & filio, & procedere à patre, & filio, quod multi hæretici negauerunt, &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur hæc vndecima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de modo, quo Spiritussanctus procedit, consequente in hac distinctione agit de principio, à quo procedit. Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarum prima Magister ostendit, Spiritumsanctum à patre, & filio procedere. In secunda, verò ostendit, quid sentiant Græci circa processionem Spiritussancti. In tertia autem, & vltima parte subdit in quo Græci, & Latini conueniant. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur hec conclusio. Veritas Euangelii approbat patrem, & filium simul produxisse Spiritumsanctum. Quę quidem conclusio probatur sic. Quod veritas noui testamenti approbat, debet secundum veritatem Euangelicam teneri: sed veritas nouę legis approbat patrem, & filium simul produxisse Spiritumsanctum: igitur patrem, & filium simul produxisse Spiritumsanctum, debet

debet secundum veritatem Euangelicam teneri. Maior est nota. Minorem verò probat Magister in textu, & primò quo ad hoc, quòd filius Spiritumsanctum produxit, probat auctoritate Apostoli dicentis. Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra. Et iterum. Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Secundò probat Spiritumsanctum procedere à patre auctoritate Euangelica Matth. dicentis. Non enim estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et alibi dicitur, Quem mittet pater in nomine meo. Et iterum. Qui à patre procedit. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Græci falso motiuo inducti, negauerunt Spiritumsanctum à filio procedere. Quæ quidem conclusio sic probatur. Negantes quod malè intellexerunt, dicuntur falso motiuo inducti negare veritatem: sed Græci negantes Spiritumsanctum à filio procedere, negarunt, quod malè intellexerunt: igitur Græci negantes Spiritumsanctum à filio procedere, falso motiuo inducti dicuntur negare veritatem, quæ est quòd Spiritussanctus procedat à Patre, & Filio. Maior patet. Minorem verò probat Magister in littera, proponendo errorem Græcorum, qui est, quòd Spiritussanctus à filio non procedat. Probant enim Græci Spiritumsanctum à filio non procedere per illud Euangelij Ioan. Qui à patre procedit. Et idem cantatur in missa in symbolo fidei, vbi agitur de processione Spiritussancti; & tñ nulla fit ibi mentio de filio, & quòd ibi loquitur de filio, hoc Latini apposuerunt. Propter quam quidem opinionem Græci dicunt nos esse anathematizatos, quia Leo Papa III. secundum traditionem cõciliorum apud eos celebratorum, anathematizauit omnes aliud dicētes de Trinitate, quàm quod erat determinatum in eorum conciliis, quod dicunt huius idem facere quandam tabulam argenteam Romæ retro altare Sācti Petri, & Pauli positam: in qua post symbolum habetur in ea scriptum. Qui aliud docuerit, vel prædicauerit anathema sit. Magister verò nos saluando, dicit, quòd nos non dicimus aliud illi contrarium, sed solū Sanctorum doctrinam explicamus. Vndè illa verba debent
sic

sic intelligi. Qui aliud docuerit, vel aliter prædicauerit anathema sit, id est qui contrarium docuerit, vel contrario modo prædicauerit anathema sit, vt dicit Apost ad Galat. Si quis aliud Euangelizauerit (idest contrarium) anathema sit. Non dicit, si quis addiderit. Ad illud verò quod dicit Christus in Euangelio, scilicet, Spiritumsanctum à patre procedere. Respondet Magister, quòd non hoc ideò dicit, et Spiritusst inctus non pcedat à filio, sed quia moris sui suit ad patrem referre quicquid habuit: & ideò quia non dixit Spiritumsanctum à solo patre procedere, non neget eum etiam à se procedere. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Græci concedentes spiritumsanctum esse spiritum filii, non videntur sensu, sed verbis à nobis differre. Quæ quidem conclusio de se patet, quia si Spiritussanctus est spiritus filii, etiam procedit à filio. Magister etiam dicit Athanasium, Didimum, Cirillum, & Ioannem Chrysostomum, qui fuerunt Doctores eorum, affirmasse Spiritumsanctum à patre, & filio procedere, vt patet ex eorum auctoritatibus. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

VTRVM SPIRITVS SANCTVS prius, vel plenius procedat à patre, quàm à filio.

DISTINCT. XII.

TEXT.

Item quæritur cum Spiritussanctus à patre procedat, & filio, Vtrum prius, vel magis processerit à patre, quàm à filio. &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur præsens distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de principio à quo Spiritussanctus procedit: consequenter hic agit de ordine processionis eius. Diuiditur hæc distinctio in tres partes. In quarum prima Magister in processione Spiritussancti excludit ordinem temporis, In secunda verò excludit ordinem dignitatis. In tertia autem, & vltima ponit ordinem naturalis originis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus duratione temporis nec prius, nec posterius processit à patre, quàm à filio, nec econuerso. Quæ quidem conclusio sic probatur. Vbi penitus nullum interuenit tempus, ibi temporis duratione neque est prius, neque posterius, sed in processione Spiritussancti à patre, & filio, nullum omninò interuenit tempus: igitur Spiritussanctus neque prius, neque posterius procedit à patre, quàm à filio. Maior est euidens. Minorem verò probans Magister in littera quærit, an Spiritussanctus prius procedat à patre, quàm à filio. Et arguit ad hanc quæstionem hæreticus sic. Si Spiritussanctus procedit à patre, vel ergo procedit iam nato, vel non dum nato filio: si nato filio, igitur natiuitas filii præcessit processionem Spiritussancti. Si non dum nato filio, igitur processio Spiritussancti præcessit generationem filij, & per consequẽs Spiritussanctus prius processit à patre, quàm à filio. Cui Magister respondet per remotionem temporis ab huiusmodi materia ita dicens, quòd huiusmodi quæstio in proposito non potest habere locum, quia in Diuinis omnia sunt æterna, & per consequens nullus potest ibi esse ordo temporis, vel prioritatis durationis, quod probat auctoritate beati Augu. ut facilè videre est in littera. Et hæc de prima parte sufficiant, pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Ordine perfectionis, & dignitatis Spiritussanctus non procedit plenius à patre, quàm à filio. Quam quidem conclusionem Magister probat in textu quærens.

Verum

Verum Spiritussanctus plenius, vel perfectius procedat à patre, quàm à filio. Et respondens dicit, quòd non; cuius ratio est, quia sicuti Spiritussanctus non prius procedit à patre, quàm à filio: similiter nec plenius, nec perfectius procedit à patre, quàm à filio. Aequaliter enim æqualitate omnis perfectionis spiritussanctus procedit à patre, & filio, tanquam ab vnico, & solo principio. Et hæc de secunda parte sufficiant. pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. spiritussanctus, qui æquè perfectè simul à patre, & filio procedit, principaliter à patre esse per filium dicitur. Quæ quidem conclusio sic probatur. Spiritussanctus ab illo principaliter est, & procedit, qui hoc habet à se, & à nullo alio quod ipse mittit, & quod ab ipso procedat, sed solus pater est huiusmodi: igitur spiritussanctus principaliter dicitur procedere à patre, quàm à filio. Maior patet. Minorem autem probat Magister in textu permultas auctoritates, quæ videntur sonare, quòd pater plus habeat in processione quàm filius, & quòd spiritussanctus procedat a patre per filium. Quas auctoritates Magister dicit debere sic intelligi, non quòd spiritussanctus minus plenè, vel minus perfectè procedat à filio, quàm à patre, sed quòd filius non habet hoc à seipso, scilicet, vt spiritussanctus ab ipso procedat, sicuti hoc habet pater à se, sed benè filius hoc habet à patre. Et hęc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVARE SPIRITVSSANCTVS cùm sit de substantia Patris, non dicatur genitus, vel filius, sed tantùm procedens.

DISTINCT. XIII.

TEXT.

Post hæc considerandum est, quantum à talibus qua-

les nos sumus intelligi potest, cùm Spiritussanctus procedat de patre, & sit de substantia patris, cur non dicatur esse natus, sed poticus procedere, et cur non dicatur filius? &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc decimatertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de modo, principio, & ordine processionis Spiritussancti: consequenter hic agit de differentia processionis, & generationis in Diuinis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarum prima Magister ostendit, quòd Spiritussanctus non procedit à patre, & filio, vt eorum filius. In secunda verò subdit differentiam inter generationem, & processionem. In tertia autem, & vltima declarat, qualiter Spiritussanctus non debeat dici genitus vel ingenitus. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus procedens simul à patre, & filio, nullatenus illorum filius est dicendus. Quæ quidem conclusio sic probatur. Illud quo posito sequeretur tanta absurditas, scilicet, inter Deum Patrem, & Deum filium aliquid nasci à duobus, vt à patre, & à matre, à nullo catholico est dicendum: sed hoc sequeretur si Spiritussanctus procederet à patre, & filio, vt eorum filius: igitur quòd Spiritussanctus procedat à patre, & filio, vt eorum filius, nullo modo est dicendum, & à catholico affirmandum. Maior est nota. Minorem autem probat Magister in littera auctoritate beati Aug. qui ad istam quæstionem respondet, scilicet, cur Spiritussanctus nō dicitur esse natus, vel filius, cùm tamen sit de substantia patris, ita benè sicut filius. Respondendo dicit, quòd si Spiritussanctus diceretur filius, amborum vtiquè filius diceretur: filius autem nullus est duorum nisi patris, & matris: absit autem vt inter Deum patrem, & inter Deum filium tale aliquid suspicemur. Amborū enim filius diceretur, si ambo eum genuissent, quod abhoret omnium

nium Sanctorum sensus. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Modus, quo filius procedit à solo patre, distinguitur à modo, quo Spiritussanctus procedit ab vtroque. Quam quidem conclusionem Magister probans in littera, quærit, cùm filius non tantum dicatur genitus, sed etiam procedēs, (vt dicitur Ioan. 16. in persona filij, Ego ex Deo processi, & veni in mundum) quare Spiritussanctus dicitur tantum procedens, & non genitus? Ad quod respondens, dicit, quòd licèt vterque ipsorum tam filius, quàm Spiritussanctus procedat à patre, tamen hoc est respectu diuersorum. Nam filius procedit per modum naturæ, & hac de causa dicitur, & genitus, & procedens, quia omne quod generatur procedit, sed non econtra. Spiritussanctus autem procedit per modum voluntatis, sicut Donum vel datus, & non natus. Quia ergo non omne quod donatur ab aliquo, nascitur ab ipso, ideo Spiritussanctus dicitur tantùm procedens, & non natus. Præterea Magister assignat aliam rationem diuersitatis filij, & Spiritussancti, quæ est, quòd filius procedit à solo patre, & Spiritussanctus ab vtroque, scilicet, à patre, & filio. Addit etiam, quòd creatura non sufficit ad significandum perfectam differentiam generationis, & processionis, quia vtraque ineffabilis est. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritumsanctum esse genitum, vel ingenitum, apud catholicum firmiter negandum est. Quæ quidem conclusio sic probatur. Illud quo concesso sequeretur aut duos esse filios in Diuinis, apud catholicum firmiter negandum est: sed Spiritumsanctum esse genitum, vel ingenitum, est huiusmodi: igitur Spiritumsanctum esse genitum, vel ingenitum apud catholicum firmiter est negandum. Maior patet. Minorem verò probans Magister in littera, quærit, cum Spiritussanctus non sit genitus, an debeat dici ingenitus. Et respondet auctoritate beati August. quòd nec genitus, nec ingenitus dici debet. Non ingenitus, ne duo videantur esse partes in Diuinis, quia ingenitus secundum consuetudinem disputantium accipitur solū

pro persona patris. Genitus similiter dici non debet, quia sequeretur duos esse filios in diuinis. Solus enim filius est genitus, non autem spiritussanctus qui procedit à patre, & filio vt datus, non vt natus, quæ quidem processio est per modum voluntatis, & non naturæ, vt supra diximus. Deinde Magister econtra dicit per auctoritatem beati Hieron. spiritumsanctum posse dici ingenitum. Pro cuius euidentia sciendum est, quòd ingenitum aliter sumitur à beato Hieronymo, & aliter à beato Aug. Nam beatus Aug. sumit ingenitum pro vt non est ab alio, & sic conuenit soli patri, & non spirituisancto. Beatus autem Hieronymus accipit ingenitum pro vt est ab alio, sed non per generationem, & sic solùm conuenit spirituisancto. Et hæc de tertia, & vlt. parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVOD GEMINA EST PROcessio Spiritussancti.

DISTINCT. XIIII.

TEXT.

Præterea diligenter adnotandum est, quòd gemina est processio Spiritussancti: æterna, videlicet, quæ ineffabilis est, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc decimaquarta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de processione spiritussancti æterna: consequenter nunc in hac distinctione incipit agere de processione

cessione eius temporali. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, spiritumsanctū à patre, & filio simul temporaliter procedere. In secunda vero subdit, quomodo spiritussanctus detur personaliter in suorum Donorum communicatione. In tertia autem, & vltima determinat, qualiter nulla creatura possit conferre spiritumsanctum, nisi solus Deus. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. spiritussanctus à patre, & filio simul procedere temporaliter dicitur, cum in creaturarum sanctificatione mittitur. Quæ quidem conclusio sic probatur. Quandocunque gratia spiritussancti hominibus datur, tunc spiritussanctus à patre, & filio mittitur, & procedere videtur: sed omnis datio spiritussancti creaturæ facta est temporalis: igitur quando sic spiritussanctus datur, vel mittitur, procedere dicitur temporaliter, quod erat probandum. Maior patet, Minorem verò probans in littera Magister, dicit, geminam esse processionem spiritussancti, æternam, scilicet, & temporalem. Aeterna est quæ ineffabilis est, qua à patre, & filio æternaliter, & sine tempore processit. Temporalis est, quando spiritussanctus mittitur ad sanctificandam creaturam rationalem. Et subdit, quod quando mittitur ad sanctificandam creaturam, tunc procedit à patre, & filio simul, non autem à patre in filium, & à filio ad creaturam, quod cōfirmat auctoritate B. Aug. Quod autem collatio gratiæ spiritussancti, sic eius missio temporalis, vel eius temporalis processio à patre, & filio, patet auctoritate Bedæ, quæ habetur in littera. Et tandem concludit ex verbis beati Aug quòd Dominus bis Spiritumsanctum dedit, Semel post resurrectionem, cum insufflauit, & dixit. Accipite Spiritumsanctum. Secundò post suam Ascensionē, scilicet in die Pentecostes: & hoc significandum duplicem dilectionem, scilicet Dei, & proximi: quam quidem dilectionem Spiritussanctus in nobis operatur. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus datur personaliter cum suorum Donorum distributione. Quæ quidem conclusio sic probatur. Ita Spiritussanctus mittitur, & datur, si-

cut in facta scriptura secundum expositionem Sanctorū Doctorum mitti, & dari manifestè affirmatur: sed in facta scriptura manifestè affirmatur dari personaliter cum Donis: igitur Spiritussanctus datur personaliter cum suorum Donorum distributione. Maior patet. Minorem verò probans Magister, dicit, quosdam errantes dixisse Spiritumsanctum nunquam personaliter dari hominibus, sed tātùm gratiam, & Dona eius. Quod ostendit esse falsum inducens ad hoc auctoritates Beati August. & Ambr. quibus apertè ostenditur quomodo Spiritussanctus tertia persona in Diuinis per se in suis gratiarum Donis hominibus mittitur, & datur. Dicitur etiam Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritumsanctum, qui datus est nobis. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus à nulla creatura, quauis fulgeat sanctitate, conferri potest, nisi instrumentaliter. Quæ quidem conclusio sic probatur. Si aliqua creatura quantumcunque sancta posset spiritumsanctum conferre, sequeretur creatorem à creatura procedere: patet consequentia, quia datio Spiritussancti, non est aliud quàm eius processio, vt dictum est: sed consequens est falsum, & impossibile, igitur illud ex quo sequitur. Quam rationem Magister insinuans, quærit, an viri sancti possint dare Spiritumsanctum. Et dicit, quòd non: quia si sic, tunc Spiritussanctus procederet à creatura. Quod nullo modo est dicendum. Quod confirmat etiam per hoc, quia nullibi legitur in primitiua Ecclesia, quando etiam viri erant sanctiores, quòd tribuissent spiritumsanctum, sed benè legitur ipsos orasse pro aliquibus, vt illi, quibus manus imponebant, reciperent Spiritumsanctum. Et ideò soluit obiectionem quandam, quam, scilicet verba Apost. videntur sonare ad Gal. 3. Qui tribuit vobis Spiritumsanctum, & operatur virtutes in vobis. Vbi videtur Apost. dicere se tribuisse spiritumsanctum. Quod Magister soluit, dicens, quòd ad eius prædicationem datus fuit spiritussanctus, & hoc non est nisi instrumentaliter. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinct. dicta sint satis.

VTRVM

VTRVM SPIRITVSSANCTVS à seipso detur.

DISTINCT. XV.

TEXT.

Hic considerandum est, cùm Spiritußanctus detur hominibus à patre, & filio, quod est ipsum temporaliter procedere ab vtroque, vel mitti: Vtrum etiam à seipso detur. &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur hęc decimaquinta distinctio cum superiori, hūc in modum. cùm enim Magister superius egerit de principio temporalis processionis, s. qua datur à patre, & filio: consequenter nunc in hac distin. inquirit, vtrum Spiritussanctus etiam à seipso detur, vel mittatur. Diuiditur pręsens distin. in tres part. principales. In quarum prima Magister ostendit, spiritumsanctū non solùm à patre, & filio, sed & à seipso temporaliter mitti, & dari. In secunda verò ostendit, filiū etiam quoque inuisibiliter mitti. In tertia autem, & vlt. patrem non posse dici missum insinuat. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus sanctificando creaturā non solùm à patre, & filio, sed etiam à seipso temporaliter mittitur, & procedit. Quæ quidem conclusio sic probatur. Opera Trinitatis, s. patris, & filij, & spiritussancti ad extra, sunt indiuisa: sed processio, & missio ad sanctificandam creaturam, est opus Trinitatis ad extra: ergo est à tota Trinitate, & per consequens non solùm a patre, & filio, sed & a seipso spiritussanctus tēporaliter mittitur, & procedit, ut dicit cōclusio probāda.

Huius

Huius rationis sententiam Magister explicat in textu, quærendo, an Spiritussanctus etiam mittatur, & detur à seipso. Et dicit quòd sic. Nam ipse Spiritussanctus Deus est, & Donum & ideò dat, & datur. Dat inquantum Deus, & datur inquantum Donum. Et postea confirmat sententiam, scilicet, quòd Spiritussanctus mittatur, & detur à seipso, tripliciter. Primò per hoc, quòd opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Secundò per hoc, quòd quicquid facit, & facere potest vna persona ad extra, facit, & facere potest, & aliæ. Si ergo potest dare, & mittere ipse pater Spiritumsanctum, sequitur quod etiā ipse Spiritussanctus possit seipsum mittere, & dare. Tertiò per simile de filio, de quo beatus Aug. dicit, quòd non tantùm missus est à patre, & à Spiritusancto, sed etiam à seipso. Si ergo filius missus fuit etiam à se, sine dubio dicere debemus, quòd etiā Spiritussanctus mittatur à se, quod erat probandum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Licèt filius solùm semel in carnem à tota Trinitate missus sit, tamen nullatenus negatur frequenter in castas mentes mitti. Quam quidem conclusionē Magister probat in textu auctoritate beati Aug. dicentis, quòd filius præter generationem æternam duobus modis missus est, scilicet, visibiliter in carnem, & inuisibiliter in castas mentes, & hoc modos missionis ponit August. dicens, quòd missio in carnem semel facta est. Missio verò in mentem pluries. Quòd autem in carnem missus sit à tota Trinitate, probatur. Et primò quòd sit missus à patre, & Spiritusancto probatur per illud Esai. vbi per Profetam Christus dicit. Nunc misit me Dominus, & spiritus eius. Et quòd sit missus à seipso, patet auctoritate beati Aug. dicentis, quòd conceptus beatæ Mariæ, & partus, est opus Trinitatis. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Pater conuenienter non potest dici missus. Quæ quidem conclusio sic probatur. Qui nunquam ab alio, procedit, sed omnis processionis est principium, conuenienter non potest dici missus: sed pater à nullo procedit, immò omnis processionis est principium: igitur

igitur pater conuenienter non potest dici missus. Istam rationem explicans Magister, quærit, quare pater non dicitur missus? Et respondet, quòd propter auctoritatem, secundum quam pater à nullo est, ideò nec mitti potest. Et per hoc excludit errorem quorundam hæreticorum dicentium filium, & Spiritumsanctum esse minores patre, eo quòd illi duo mittuntur, & pater non. Quod probat esse falsum auctoritate beati August. dicentis, quòd pater nō misit filium, & Spiritumsanctum, ad hoc ut ille esset maior, & ipsi minores: sed hoc fecit propter auctoritatem principii comēdandam, vt videre est in littera. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis satis dicta sint.

DE MISSIONE SPIRITVS-sancti quę fit duobus modis, visibiliter, & inuisibiliter.

DISTINCT. XVI.

TEXT.

Nunc de Spiritusancto videndum est præter illam ineffabilem, & æternam processionem, qua procedit à patre, & filio, & non à seipso, quæ sit eius temporalis processio, quæ dicitur missio siue datio, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc decimasexta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de processione Spiritussācti Aeterna: consequenter nunc in hac distinctione agit de missione eius tēm-

visibili. Dividitur hæc distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, Spiritumsanctum esse visibiliter missum, & mitti quotidie inuisibiliter. In secunda verò sub dit, qualiter visibiles missiones filii, & Spiritussancti se habeant ad inuicem. In tertia autem ostendit, & declarat, quomodo pater dicatur maior ipso filio, qui essentialiter est patri æqualis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus ad modum filij missus est dupliciter, scilicet, visibiliter, & inuisibiliter. Quæ quidem conclusio sic probatur. Temporalis missio Spiritussancti, est sanctificatio creaturæ: sed sanctificatio creaturæ dupliciter fit, aliquando cum apparentia alicuius visibilis signi, quandoque verò effectu solùm interiori sine visibili signo: igitur temporalis missio Spiritussancti, est duplex, scilicet, visibilis, & inuisibilis. Istam rationem Magister clarè probat in littera, dicens, quòd sicut filius missus est dupliciter, scilicet, in carnem visibiliter, & in castas mentes inuisibiliter: sic Spiritussanctus visibiliter apparuit in die Pentecostes in specie linguarum ignearum, aliisque vicibus in specie columbe inuisibiliter verò quotidiè illabitur mentibus fidelium. Et sub dit postea, quod illa visibilis spiritussancti missio, non fuit nisi quædam ipsius apparẽtia, vel manifestatio in corporali creatura, tanquam in signo manifestationis, vt Magister induit in textu ex auctoritate Beati Aug. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Spiritussanctus ratione suę visibilis missionis, non dicitur realiter minor tota Trinitate, sicuti filius propter suam. Quam conclusionem Magister insinuans, quærit. Quare Spiritussanctus ratione suæ visibilis missionis non dicitur minor patre, sicut filius rõne suæ incarnationis, seu visibilis missionis dicitur minor Trinitate? Et rñdet quòd hoc ideò est, quia Spiritussanctus non assumpsit columbam, vt esset columba, sed vt in ea appareret, & vt per eam designaretur inuisibilis missio. Filius autẽ assumpsit humanam naturam non solùm, vt in ea appareret, sed & vt realiter esset homo. Et ideò filius secundum illam suam visibilem missionẽ, dicitur minor non solùm patre, sed & seipso, & Angelis, iuxta illud

ca illud Profetæ: Minuisti eum paulominus ab Angelis, &c. Ad quod etiam Magister in littera adducit multas auctoritates, vt facilè in textu videre est. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Pater auctoritate Donationis, dicitur maior filio sibi essentialiter æquali. Quam conclusionem probat Magister auctoritate Hilarij dicentis. Donantis auctoritate pater est maior, nunquid per confessionem Doni filius est minor. Maior itaque Donans est, sed minor iam non est, cui vnum esse donatur. Vnde sanè dicendum est, quòd si pater dicitur aliquo modo maior filio, hoc est propter auctoritatem generationis, & donationis, quæ est in patre, quo tamen filius propter vnitatem naturæ minor non est. Quæ verba sanè intelligenda sunt. Et hæc de hac distin. satis dicta sint.

DE MISSIONE SPIRITVS-sancti, qua inuisibiliter mittitur.

DISTINCT. XVII.

TEXT.

Iam nunc accedamus ad assignandam missionem Spiritussancti, qua inuisibiliter mittitur in corda fidelium, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc decimaseptima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister sententiarum superius egerit de missione Spiritussancti visibili sub speciebus creatis: consequenter nunc in hac dist. agit de missione eius inuisibili per infusionē charitatis.

Diuidi-

Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarum prima Magister ostendit, qualiter Spiritussanctus sit charitas, & mittatur nobis inuisibiliter. In secunda verò subdit, quomodo in nobis augeatur. In tertia, & vltima concludit, quomodo actum dilectionis in nobis operetur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus existens charitas, qua Deum, & proximum diligimus, (hic tamen Magister communiter non tenetur ab omnibus) tunc nobis inuisibilis mittitur, vel datur, cùm talem dilectionem in nobis efficit, vel operatur. Quæ quidem conclusio sic probatur. Donum Dei quod facit nos in Deo manere, & Deum in nobis, est charitas: at Spiritussanctus est maximum Donum Dei faciens nos in Deo manere, & Deum in nobis: igitur Spiritussanct. est Charitas. Charitas autem facit nos diligere Deum, & proximum: igitur spiritussanctus est Charitas, qua Deum, & proximũ diligimus, & tunc datur nobis, vel mittitur inuisibiliter quando facit nos diligere Deum, & proximum. Hanc sententiam Magister ponens in littera, dicit, quòd spiritussanctus, qui temporaliter missione inuisibili datur, est charitas, qua Deum, & proximum diligimus, & tunc inuisibiliter mittitur, vel datur, cùm huiusmodi dilectionem Dei, & proximi in nobis occultè operatur. Et hoc probat Magister auctoritate beati Aug. Postea Magister excludit instantiã, qua posset dici Deũ esse charitatẽ, & hoc debere intelligi per causalitatẽ sicuti etiã dicitur. Deus est patientia nostra, & spes nostra, quia patiẽtiam, & spem in nobis operatur, & causat: similiter dici debeat Deum esse charitatem nostrã, idest charitatem in nobis causantem. sed hoc remouet Magister dicẽs, quòd hoc nomen consonat sacræ scripturæ, in qua benè reperitur. Deus patientia mea, & spes mea. sed nullibi inuenitur dictum. Deus charitas mea, sed benè simpliciter dicitur. Deus charitas est, quod non fieret, nisi Deus essentialiter charitas esset. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur illa alia conclusio. spiritumsanctum in nobis augeri, vel minui secundum quòd in ipso proficimus, vel deficimus, catholicè est affirmandum.

Quæ

Quæ quidem conclusio sic probatur. Quod conuenienti similitudine in sacra scriptura concessum reperitur, catholicè est affirmandum: sed spiritumsanctum in nobis augeri, vel minui secundum quòd in ipso proficimus, vel deficimus, est huiusmodi: igitur spiritumsanctum in nobis augeri, vel minui secundum quòd in ipso proficimus, vel deficimus, catholicè est affirmandum. Maior patet sed minoris probationem Magister posuit in textu, vbi obijcit contra primam conclusionem, quæ dicebat spiritumsanctum esse charitaté, hunc in modum. Charitas augetur in homine, & non habenti datur, vt eam habeat; & habenti, vt plenius eam habeat: si igitur spiritussanctus est charitas, sequitur quòd augeatur, & minuatur in homine, & detur non habenti: quæ omnia sunt inconuenientia, quia sequeretur Deum esse mutabilem, & non esse vbique. Quod nullo modo dicendum est. Ad quâ obiect. Magister respondet dicens, quòd spiritussanctus non augetur, & minuitur secundum se, quia in se essentialiter nô suscipit magis, & minus, sed in homine, à quo magis, vel minus habetur. sicut etiam dicitur in nobis magnificari, vel exaltari, licèt tamen in se nec magnificetur, nec exaltetur. Dicitur etiam dari non habenti, nô quod alicubi veniat vbi prius non fuit, (quod esse non potest, cùm sit vbique) sed quia alio modo alicubi esse incipit, qualiter ibi prius nô fuit. Postea adducit plures auctoritates, quibus probat spiritumsanctum ab aliquibus magis, & ab aliquibus minus haberi: exemplificans illud per Heliseum sanctum, qui duplicem à sanct. Helia petijt spiritum, vt videre est in littera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Spiritussanctus actum diligêdi per se ipsum sine virtute media in nobis operatur. Quam quidem conclusionem Magister probans, arguit côtra prius dicta, scilicet, quòd Spiritussanctus sit charitas, & arguit sic. Dilectio qua nos diligimus Deum, nô est dilectio, qua Deus diligit nos: igitur charitas, qua nos diligimus Deum, nô est Spiritussanctus. Consequentia tenet pro tanto quòd dilectio, qua nos diligit Deus, est Spiritussanctus: si ergo illa dilectio, qua nos diligimus Deum, non est illa, qua Deus di-

ligit

ligit nos, sequitur nostram charitatem non esse spiritumsanctum. Assumptum patet auctoritate beati Aug. igitur &c. Ad quod argumentum respondet Magister negando antecedens. Ad auctoritatem verò beati Aug. Magister respondens, ait, beatum Aug. noluisse dicere illis verbis, quòd alia esset charitas, qua Deus diligit nos, & alia, qua nos diligimus Deum: sed voluit dicere, quod nomen charitatis conuenit Deo, non solùm quia ea ipse diligit nos, sed etiam quia per ipsam nos sui dilectores facit. secundò obijcit contra idem, dicens. Nihil est à seipso: sed charitas est ab ipso spiritusancto: igitur charitas non est ipse spiritussanctus. Maior patet. Minorem verò probat Magister auctoritate beati Aug. dicentis, quòd dilectio, qua Deum diligimus, est à spiritusancto, sicut fides, qua in Deum credimus. Ad quod respondet Magister dicens, quòd non est inconueniens idem esse à seipso non simpliciter, sed quia à seipso datur nobis. Et quantum ad hoc Aug. dicit, quòd charitas à spiritusancto est, & ipsa est charitas est spiritussanctus. Fides autem, quia non est Deus dans, sed aliquid à Deo datum, non sic se habet. Tertiò obijcit sic. Nulla affectio est essentialiter Spiritussanctus: sed charitas, qua nos diligimus Deum, est affectio animi. igitur charitas, qua nos Deum diligimus, non est spiritussanctus. Maior patet. Minor est beati Aug. dicentis. Charitatem voco motum animi, &c. Et respondet Magister, dicens, quòd charitas ideò dicitur motus animi, quia nos ad diligendum effectiuè mouet. Istis autem sic positis, Magister soluit duas quæstiones. Quarum vna sumitur ex responsione iam vltimò dicta. Nam ex quo charitas mouet mentem ita benè ad credendum, & ad sperandum, sicut ad diligendum, quare non ita benè dicitur affectio mentis ad credendum, ad sperandum, sicut ad diligendum? Et respondens Magister dicit, quòd hoc ideò fieri non potest, quia charitas, siue spiritussanctus alios actus, & motus virtutum operatur mediantibus habitibus infusis, vt pote credere mediante habitu fidei, sperare mediante habitu spei: sed actum diligendi per se sine quocunque habitu operatur. Alia quæstio est. Vtrum per Donum, quod est spiritussanctus, dentur

omnia

omnia alia dona. Et respondet, quòd sic: & tamen non omnes, qui habent Spiritumsanctum, habent omnia Dona, sed aliqui illa, aliqui ista, & sic de alijs. Prædicta autem Magistri opinio non tenetur, (vt dixi) nec debitè soluit obiectiones. Et hæc de tertia, & vlt. parte huius distin. dicta sint satis.

VTRVM EADEM RATIONE Spiritussanctus dicatur Donum, & Datum, siue Donatum.

DISTINCT. XVIII.

TEXT.

Præterea diligenter considerandum est, cùm Spiritussanctus dicatur Donum, & Datum: Vtrum & eadem ratione vtrunque nomen ei conueniat, quod vtique videri potest. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc decimaoctaua distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de processione Spiritussancti temporali tam visibili, quàm inuisibili: consequenter nunc agit in hac distinctione de proprietate, secundum quam conuenit Spirituisancto temporaliter procedere. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo Spiritussanctus dicatur Donum, & Datum. In secunda verò Spiritumsanctũ dici Donum solũ ex æterna processione demonstrat. In tertia aũt, & vlt. ostendit, q̃to Spiritussanctus secundũ ꝙ est Donũ, & Datũ diuersimodè refeeratur. Pro declaratione igĩ primæ partis, ponit hæc cõclus. Spiritussanctus dicit Donũ ex sua æterna processione, & Datũ ex tẽporali. Quæ quidem conclusio sic probat. Illud, ꝙpriũ

de spiritusancto dicitur ex æterna processione, quod sibi cõuenit ante omnem creaturam, & illud ex temporali, quod connotat creaturam: sed esse Donum, conuenit sibi ante omnium creaturarum essentiam, & esse Datum connotat creaturam igitur spiritussanctus dicitur Donũ ex æterna processione, & Datum ex temporali. Istam rationem Magister inuestigat in textu quærendo, an Spiritussanctus eadem ratione dicatur Donum, & Datum. Et arguit quòd sic, quia Donum, & Datum sunt eiusdem rationis, eo quòd vtrunque eorum dicitur à Datione. Et respondet Magister, quòd spiritussanctus alia rõne dicitur donum, & alia rõne dicit Datum. Nam dicitur Donum, eo quòd ab æterno processit vt Donabilis nobis, qui futuri eramus in tempore: & dicitur Datum ab actuali datione, eo quòd temporaliter nobis datur. Præterea ex istis mouet quandam dubitationem Magister quærens. Quare etiam filius non dicatur Donum, vel Datum, cùm etiam ipse ab æterno processerit, vt Donabilis nobis, quòd patet ex hoc, quòd temporaliter datus est nobis, iuxta illud Esaiæ. Filius datus est nobis. Ad quod respondet Magister, dicens, quòd licèt etiam filius temporaliter, & æternaliter processerit, vt donabilis nobis, non tamen propter hoc dicitur Donum, cuius ratio est, quia filius non solùm processit, vt donabilis, sed etiam vt genitus, spiritussanctus verò processit vt donabilis, sed non vt genitus. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio Spiritussanctus non ex quacunque processione habet vt sit Donum, sed solùm à processione æterna, qua propriè procedit à patre, & filio. Quę quidem conclusio sic probatur, sicut filius se habet ad natiuitatem, ita spiritussanctus se habet ad processionem: sed filius æternaliter nascendo à patre, habet quòd sit filius: igitur Spiritussanctus æternaliter procedendo à patre, & filio, habet quòd sit Spiritussanctus, Cùm igitur Spiritussanctus ex inde habeat quòd sit Donum, vnde habet quòd sit Spiritussanctus, hoc autem non habeat ex quacunque processione, sed tantùm æterna, qua processit à patre, & filio; sequitur quòd ex eadem habeat etiam quòd

sit

sit Donum. Alia clarè patent in littera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur illa conclusio. Spiritusſanctus secundum quòd est Datum, refertur tam ad patrem, quàm ad filium, quàm etiam ad nos: secundum verò quòd est Donum refertur ad patrem, & filium. Hanc conclusionem ponit Magister in littera, dicens, quòd Spiritusſanctus secundum hoc quòd sempiterne Donum est, refertur ad patrem, & filium: secundū hoc verò quòd dicitur Datum, vel Donatum, refertur ad eū qui dedit, & ad eos quibus datur. Hæc confirmat Magister auctoritate beati Aug. Alia patent in textu. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

HIC DE QVALITATE Trium personarum.

DISTINCT. XIX.

TEXT.

Nunc postquam coæternitatem trium personarum pro modulo facultatis nostræ insinuauimus, iam de earundem æqualitate aliquid eloqui superest. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc decimanona distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister sententiarum superius egerit de Diuinarum Personarum distinctione, & origine: hic modò ordinatè incipit agere de earundem æqualitate. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit Diuinarum personarum æqualitatem in communi. In secunda verò ostendit, inter illas nullam fore differentiam, siue diuersitatem essentialē. In tertia autem, & vltima concludit, omnes personas Diui-

nas æqualis esse Deitatis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Personæ Diuinæ in æternitate, magnitudine, & potentia sunt æquales. Quæ quidem cōclusio sic probatur. In illis personæ diuinæ sunt æquales, in quibus se inuicem nullatenus sunt excedentes: huiusmodi autē sunt æternitas, magnitudo, & potentia: igitur in æternitate, magnitudine, & potentia personæ Diuinæ sunt æquales. Maior patet. Minorem verò probat Magister per hoc, scilicet, quòd ista tria, scilicet, æternitas, magnitudo, & potētia sunt in diuinis personis vna essentia, & vna natura, licèt diuersimodè sint nominata: propter quam etiam vnitatem, & consubstantialitatem vna persona dicitur esse in alia, vt Magister probat diuersis Sanctorum auctoritatibus. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Personæ diuinæ sunt nullius essentialis diuersitatis. Quæ quidem conclusio sic probatur. Personæ diuinę sunt idem in diuina essentia, quia non differunt situaliter, vt partes integrales in toto integrali: nec localiter, vt partes subiectiuæ in toto vniuersali. Nec personę diuinæ conueniunt materialiter, sicut diuersæ aquæ conueniunt in vna materia: nec formaliter, sicut quæ conueniunt in forma, cùm in his sit aliqua differentia, seu diuersitas, vt patebit. Igitur nulla est inter eas essentialis diuersitas, seu differentia. Consequentia tenet ex sufficienti diuisione. Sed Magister antecedēs in textu probat per ordinem. Et primò quòd in diuinis non sit diuersitas partium, sicut in toto integrali, probat per hoc, quòd in diuinis est summa naturę vnitas, cui repugnat qualiscunque partium diuersitas. Secundò probat, ꝙ ibi non sit diuersitas partium, sicut in aliquo toto vniuersali. Nam si talis diuersitas esset ibi, illa attenderetur penes comparationem essentiæ ad personas, vt si essentia esset quoddam totum vniuersale respectu personarum, quod non est verum, vt patet tali ratione. Totum vniuersale pluraliter prædicatur de partibus suis, & non est idem numero in eis, quemadmodum homo, qui est quoddam totum vniuersale respectu Socratis, & Platonis, prędicatur de eis pluraliter, dicendo. Socrates, & Plato sunt homines, & etiam

etiam humanitas non est eadem numero in Socrate, & in Platone. Cùm ergo essentia diuina non prędicetur pluraliter de personis diuinis, quia hæc est falsa, Pater & Filius sunt essentiæ, (cuius ratio est, quia essentia est vna, & eadem in omnibus personis diuinis) consequens est, quòd essentia diuina non se habeat, vt totum vniuersale in diuinis: & finaliter sequitur quòd in diuinis non sit diuersitas partium, sicut in aliquo toto vniuersali. Tertiò probat, quòd tres personæ diuinæ non conueniant in vna essentia, sicut in toto materiali, ita quòd vna essentia sit materia trium personarum, sicut aurum multorum vasorum. Et arguit sic. Illa quæ cōueniunt in vna materia, plus est de materia in pluribus eorum, quàm in vno, sicuti plus est auri in quinque annulis, saltem si fuerint in pondere coæquales, quàm in vno: cùm ergo non plus sit de essentia diuina in tribus personis, quàm in vna, consequens est, quòd personæ diuinæ non conueniāt in vna essentia, sicut in toto materiali, cùm essentia non se habeat ad personas, vt totum materiale. Quartò ostendit, quòd diuinę personæ non conueniant in essentia, sicut in ꝓprietate formali, sicut conueniunt multi homines in vna cōplexione, qui etiam propter hoc dicuntur vnius naturæ. Nam in huiusmodi proprietate formali, duo homines sunt aliquid maius, quàm vnus homo, & tres quàm duo. Cum ergo in diuinis tres personæ in essentia conuenientes, non sint aliquid maius, quàm duæ, & duæ non maius aliquid, quàm vna, consequens est, quòd personæ diuinæ non conueniant in essentia, sicut in proprietate formali. Contra hæc postea obiicit auctoritate Dam. dicentis, quòd diuina essentia est vniuersalis, & communis, tres autem personæ sunt tria particularia. Deinde respondet Magister ad hoc, & dicit, quòd verba Dam. non propriè, sed similitudinariè intelligenda sunt, quia ibi sunt aliqua, quæ similitudinem tenent rei cōmunis, & aliqua rei particularis: similitudinem quidem tenent rei particularis personæ, rei verò communis similitudinem tenet essentiæ. Vndè dicit personas numero differre, sicut particularia alicuius naturę cōis. Pro cuius euidentia sciendum est, quòd aliqua numero differunt dupliciter.

Vno modo sic, quòd vnum non sit id quod aliud, vt Socrates, & Plato dicuntur numero differre, quia Socrates non est illud quod Plato. Et hoc modo personæ Diuinæ non dicuntur differre numero, quia vna est illud quod alia. Alio modo dicuntur differre numero, quæ in enumeratione à se inuicem discernuntur: vt cùm numeramus aliquas res, dicimus, vna, dua, tres. Et secundum hunc modum Diuinæ personæ dicuntur differre numero, quia possumus catholicè dicere. Pater est vnus: & Pater, & Filius sunt duo: & Pater, & Filius, & Spiritussanctus sunt tres. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Omnes personæ Diuinæ simul, non sunt maioris Deitatis, quàm vna, & vna non maioris, nec minoris, quàm omnes. Quæ quidem conclusio sic probatur. Omnes personæ Diuinæ, sunt æqualis magnitudinis, & veritatis, ergo sunt æqualis Deitatis. Antecedens patet. Probatur consequens, quia magnitudo, & veritas in Diuinis idem sunt, veritas autem est ipsa essentia, essentia ipsa Deitas: sicuti ergo personæ Diuinæ sunt æqualis magnitudinis, & veritatis: ità etiam sunt æqualis Deitatis. Et hoc Magister probat auctoritate beati Aug. qua etiam vlterius concludit, quòd quamuis Deus sit trinus, non tamen potest dici triplex, eo quòd triplicitas inæqualitatem ostendit. Nam vbi est triplicitas, ibi tria sunt aliquid maius, quàm duo, & duo aliquid maius, quàm vnum. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

OSTENSO QVOD ALIQVA Personarum aliam non superat magnitudine: nunc ostendit, quòd alia non excellit aliam potentia.

DISTIN-

DISTINCT. XX.

TEXT.

Nunc ostendere restat quomodo aliqua harum personarum, aliam non excellat potentia: vt sicut vna, & indifferens est magnitudo trium: ita vna, & indifferens monstretur potentia trium. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc vigesima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister Sententiarũ superiùs ostenderit æqualitatem magnitudinis Diuinarum personarum in essendo; consequenter nunc in hac distinctione ostendit æqualitatem potestatis, earundem in operando. Diuiditur præsens distinctio in tres partes, secundum tres rationes, quibus probat personas Diuinas in omnipotentia esse coæquales. In quarum prima Magister vtitur auctoritate Euangelica ad hoc probandum. In secunda verò vtitur diuisione immediata. In tertia autem, & vltima vtitur similitudine in generatione humana. Pro declaratione igitur præsentis distinctionis, ponitur hæc vnica conclusio. Patrem, & Filium, & Spiritumsanctum in omnipotentia esse coæquales, tribus rationibus probari potest. Quarũ prima fundatur super auctoritate Euangelica Ioan. 16. vbi Christus ait. Omnia quæ habet pater, mea sunt. i. quicquid pater habet, dedit mihi: sed pater habet, dedit mihi: sed pater habet omnipotentiam, igitur dedit eam filio. Et sicut filius nascendo, ita & Spiritussanct. procedendo omnipotentiam accepit, & per consequens personæ sunt æqualis potentiæ, ita quòd omnes tres non sunt plus, quàm, quælibet earum per se. Postea excludit responsion. hæretici, vt patet in littera. Secunda ratio, quæ fundatur super diuisione immediata, est ista. Si pater non genuisset filium sibi æqualem in

omnipotentia, aut ergo hoc esset, quia potuit, sed noluit, aut quia voluit, sed non potuit: sed vtrunque istorum est falsum, igitur illud ex quo sequitur. Maior patet. Minorem verò probat Magister sic. Si Deus pater potuit filium sibi æqualem generare, & noluit, tunc inuidus, non dando filio, quod naturalis proprietas requisiuit. Si autem voluit, & non potuit, tunc ipse pater infirmus fuit; & non omnipotens, sed hoc est falsum, ergo peter voluit, & potuit, immò generauit filium in omnipotentia sibi æqualem. Tertia verò ratio, quæ fundatur super similitudine in generatione humana, est ista. Deus pater non minus communicatiuus est generando filium Deum, quàm homo generando filium hominem: sed homo pater, si potuisset, æqualem sibi filium genuisset: igitur Deus, qui summè potuit, æqualem sibi filium genuit. Alia patent in littera. Et hæc de hac distin. dicta sint satis.

QVÆRITVR QVOMODO possit dici, solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritussanctus, cum sint inseparabiles.

DISTINCT. XXI.

TEXT.

Hic oritur quæstio trahens originem ex prædictis. Dictum est enim supra quòd tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritussanctus, quantum simul illæ tres. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc vigesimaprima distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de æqualitate magnitudinis diuinarum persona-

tum in essendo, & similiter de æqualitate potestatis in operando: hic consequenter declarat quomodo dictiones exclusiuæ dicãtur de Deo. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister determinat, an termini personales de personalibus cum dictione exclusiua dicantur. In secunda verò an termini essentiales de personalibus cum exclusione, verè dicantur. In tertia autem, & vlti. Magister concludit, qualiter sub vna persona omnes intelligantur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc cõclusio. Propositiones, in quibus termini personales de terminis personalibus cum dictione exclusiua prædicantur, sunt concedendæ. Quam quidem conclusionẽ Magister probans, qrit, cũm dictum sit, φ tantus sit solus pater, vel solus filius, quãdo cum sunt illæ tres, quõ est intelligẽdum, cũm dicitur, solus pater, vel solus filius, cũm non sit pater sine filio, nec filius sine patre. Ad quod rñdens Magister, dicit, φ per hoc non excludit vna persona ab alia, sed proprietas relatiua intelligitur ibi conuenire vni, ita φ non alteri. Vñ sensus est. Solus pater. i. qui ita est pater, φ non filius. Similiter solus filius. i. qui ita est filius, φ nulli alteri conuenit filiatio diuina. Similiter dicitur & de Spiritusancto. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Propositiones, in quibus termini essentiales de terminis personalibus cum exclusione prędicantur, sunt negandę. Quam quidem conclusionẽ Magister probans, quærit, an huiusmodi propositiones sint cõcedendæ. Solus pater est Deus, vel Spiritussanctus est solus Deus, vel pater est solus Deus, vel filius est solus Deus. Et rñdens dicit, φ hmōi propositiones præmissæ, penitus sunt negandæ. Cuius rō est, quia esse solum Deum toti conuenit Trinitati, & non soli vni personæ. Alia patent in textu. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur ista conclusio. Personæ diuinę sunt tantę cohærentię, φ vna earum nõ exprimitur, nisi etiam alię simul intelligantur. Quam quidem conclusionem probat Magister auctoritate beati Augu. quæ patet in textu. Et hęc de hac distinctione dicta sint satis.

DE NOMINVM DIFFErentia, quibus vtimur loquentes de Deo.

DISTINCT. XXII.

TEXT.

Post prædicta nobis disserendum videtur de nominum diuersitate, quibus loquentes de vnitate, ac Trinitate ineffabili vtimur. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc vigesimasecunda distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister Sententiarum in superioribus distinctionibus egerit de Diuinis rebus: consequenter nunc in hac incipit agere de Diuinis nominibus. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima ponit differentias Diuinorũ nominum. In secunda verò subdit regulas prædicationis eorum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc cõclusio: sex sunt differentiæ nominum, quæ de Deo dicũtur. Hanc conclusionem Magister probat exemplariter dicens, quòd quædam sunt nomina proprietates personales exprimentia, vt generatio, verbum, Donum, Pater, Filius, & Spiritussanctus. Quædam verò sunt nomina significantia vnitatem essentiæ, vt Deus, Deitas, sapientia, potentia, bonitas, magnitudo, virtus, & substancia. Quædam autem sunt nomina translatiuè dicta, idest secundum similitudinem de Deo prædicata, vt splendor, candor, lux, speculum, leo, agnus, & huiusmodi.

iusmodi. Quædam verò sunt nomina temporalia, & hæc duplicia. Alia quæ relatiuè dicuntur ad creaturas, scilicet relatione extrinseca, vt Dominus, creator, refugium, redēptor, Saluator, & huiusmodi. Alia verò sunt, quæ relatiuè non dicuntur, vt incarnatus, & humanatus, nisi fortè dicerentur per relationem intrinsecam. Et est aliud nomen quod solùm de omnibus personis simul, & de nulla singulatim dicitur, ut hoc nomen Trinitas. Quæ omnia nomina Magister ponit in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secundæ partis, duæ ponuntur regulę: quarum prima est; quòd nomina propria ad singulas personas pertinentia, non substantialiter, sed relatiuè dicuntur. Patet hoc, quia non potest dici, pater est filius, aut filius est pater; aut pater, & filius sunt Spiritussanctus, & econuerso. Hæc enim est prædicatio essentialis. Sed benè dicitur, pater est filii pater, filius est patris filius, quia hæc est prædicatio relatiua. Secunda regula est, quòd nomina ad unitatem essentiæ spectantia, ut sapientia, bonitas, potentia, uirtus, magnitudo, & huiusmodi, de singulis personis, & de omnibus simul, non relatiuè; sed substantialiter in singulari, & non in plurali, affirmantur. Nam benè dicitur, Pater est Deus, sapientia, potentia, bonitas, magnitudo, & huiusmodi: Et similiter de Filio, & Spiritusancto, & de omnibus simul. Vnde benè dicitur, Pater, & Filius, & Spiritussanctus sunt Deus, sapientia, bonitas, &c. Non autem pluraliter dici potest, Pater, & Filius, & Spiritussanctus, sunt Dii, sapientiæ, potentiæ, & huiusmodi. Alia patent in littera; Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE HOC NOMINE, QVOD Est, persona, quod cùm secundum substantiã dicatur, tamen pluraliter, nõ singulariter in summa accipitur.

DISTINCT. XXIII.

TEXT.

Prædictis adiiciendum est., quòd cum omnia nomina, quæ secundum substantiam de Deo dicuntur, singulariter, & non pluraliter de omnibus in summ dicantur personis. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur præsens distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de diuinis nominibus gnaliter consequenter nunc in in hac dist. agit de hoc nomine persona specialiter. Diuiditur ista distinctio in tres partes. In quarum prima Magister excipit hoc nomen persona de regula prædicta, ostendens substantialiter dici de diuinis. In secunda verò ostendit, hoc nomen persona, non singulariter, sed pluraliter de omnibus personis prædicari. In tertia autem, & vltima concludit, qualiter in diuinis nec diuersitas essentialis, nec singularitas personalis propriè dicatur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Hoc nomen persona non personaliter, sed substantialiter dicitur de diuinis. Quæ quidem conclusio sic probatur. Omne nomen quod de diuinis prædicatur non relatiuè: sed absolutè, illud non personaliter, sed substantialiter prędicari dicitur: sed hoc nomen persona, est huiusmodi: igitur hoc nomen persona non personaliter, sed substantialiter de diuinis dicitur. Maior patet. Minorem verò probat Magister in littera, excipiens nomen persona à regula prius dicta. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundę partis, ponitur ista alia conclusio. Hoc nomen persona de omnibus diuinis personis simul, non singulariter, sed pluraliter prędicatur. Quam quidem conclusionem probant Magister, dicit, quòd hoc nomen persona excipitur ab illa regula data superiùs in prçcedenti distinctione de nominibus, quæ substantialiter dicuntur in diuinis: vbi dicebatur,

batur, quo nomina quę ſubſtancialiter dicuntur in diuinis, vel quę ſpectant ad vnitatem eſſentię, de qualibet perſona ſingulatim, & de omnibus ſimul dicuntur in ſingulari; excipitur, inquam, quia hęc eſt vera. pater, & Filius, & Spiritusſanctus ſunt tres perſonę. Sed hęc eſt falſa. Pater, & Filius, & Spiritusſanctus ſunt perſona: Alia claré patent in textu. Et hęc de ſecunda parte ſufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hęc concluſio. In diuinis nec diuerſitas ſubſtantialis, nec ſingularitas perſonalis eſt ponenda, & concedenda. Quę quidem concluſio ſic probatur. Illa, quibus conceſſis tolleretur vnitas eſſentię, & perſonarum pluralitas, ſeu diſtinctio, in diuinis non ſunt concedenda: ſed diuerſitas ſubſtantialis, & ſingularitas perſonalis, ſunt huiuſmodi: igitur diuerſitas eſſentialis, vel ſubſtantialis, & ſingularitas perſonalis, in diuinis non ſunt concedenda. Argumentum tenet, & premiſſas probat Magiſter in littera. Et hæc de hac diſtinctione ſatis dicta ſint.

QVID SIGNIFICETVR his nominibus Vnus, vel Vna, duo vel duæ, tres vel tria, trinus, vel Trinitas, plures, vel pluralitas, diſtinctio, vel diſtinctè, cùm his vtimur de Deo loquentes.

DISTINCT. XXIIII.

TEXT.

Hic diligenter inquiri oportet, cùm in Trinitate non ſit diuerſitas, vel ſingularitas, nec multiplicitas, vel ſolitudo: quid ſignificetur his nominibus, ſcilicet, vnus, vel vna, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

CONnectitur ista vigesimaquarta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in praecedenti distinctione ostenderit significationem huius nominis persona pro vt sumitur per se: consequenter nunc in hac agit de significatione eiusdem pro vt sumitur, cum terminis numeralibus sibi adiunctis. Diuiditur praesens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quòd per terminos numerales in Diuinis excluditur multiplicitas substantialis. In secunda verò subdit, quòd per eosdem remouetur solitudo personalis. In tertia autem, & ultima ostendit, quòd per distinctionem personarum secluditur confusio personalis. Pro declaratione igitur primae partis, ponitur ista conclusio. In Diuinis per nomina numeralia significantia unitatem essentiae, solam multiplicitatem excludimus. Quam quidem conclusionem Magister probans, quaerit, quid per terminos numerales, & nomina pertinentia ad pluralitatem, seu multitudinem, seu distinctionem in Diuinis significetur. Nam si vera dicuntur de Deo, videntur suum significatum ponere in Deo. Ad quod respondens Magister dicit, quòd talium nominum significatio, vel terminorum, non admittitur in Diuinis ad aliquid ponendum, (haec tamen opinio Magistri communiter non tenetur ab omnibus) sed potius remouendum, quod declarat exemplo. Nam cùm dicimus. Vnus Deus, uel vna essentia Diuina tantùm, tunc per illum terminum numeralem Vnus, nulla quantitas, uel numerus in Deo ponitur, sed tantùm pluralitas aliorum Deorum excluditur. Et haec de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundae partis, ponitur ista alia conclusio. Per nomina numeralia pluralitatem exprimentia in Diuinis, solitudo, & singularitas personalis excluditur. Quam quidem conclusionem ponens Magister dicit, quòd cùm dicitur pluralitas personarum, nō multitudo ponitur, sed singularitas, & solitudo excluditur. Cùm enim dicimus tres, negamus ibi esse solùm duas; &

cùm

cùm dicimus duas, negamus ibi esse solùm vnam, Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Cùm dicimus tres personas Diuinas esse distinctas, tunc earum confusionem, & permixtionem excludimus. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd nomine Trinitatis, & discretionis, uel distinctionis, non diuersitas in Deo ponitur, sed commixtio, & confusio negatur. Vltimò opponit per Isid. quòd Trinitas potest dici multipliciter. Et soluit, dicens, quòd Isidorus nomine multiplicitatis, non diuersitatem, sed numerum personarum vult intelligi Et hæc de tertia, & vlt. parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVID SIGNIFICETVR cum dicitur pluraliter: tres personæ, vel duæ personæ.

DISTINCT. XXV.

TEXT.

Præterea considerandum est, cùm hoc nomen persona (ut prædictum est) secundum substantiam dicatur, quæ sit intelligentia dicti, cùm pluraliter profertur tres personæ, vel duæ personæ. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc vigesimaquinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de nominibus significatibus unitatem, & pluralitatem in diuinis: consequenter hic tractat de quodam

dam nomine, quod horum recipit additionem, scilicet, de hoc nomine persona. diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit quid significet hoc nomen persona in plurali, nempè cùm dicitur, tres personę uel duę personę. In secunda verò ostendit, quòd hoc nomen persona sumitur aliquando per hypostasi. In tertia autem ostendit, quòd sepè supponit pro proprietate personali, pro declaratione igitur primę partis, ponitur ista conclusio. Hoc nomen persona, quandoque stat pro essentia. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit, cùm dicitur pluraliter, Pater, & Filius, & Spiritussanctus, sunt tres personę; uel cum dicitur singulariter, alia est persona Patris, alia persona Filij, alia persona Spiritussancti, quid ibi significet hoc nomen persona. Si enim essentiam significet, ergo in essentia est aliqua diuersitas, vel pluralitas. Si verò non significet essentiam, ergo variatur significatio personę in singulari, & in plurali. Postea subijcit ad alteram partem dicēdo, quòd tam in singulari, quàm in plurali essentiam significat. Quòd autem in singulari essentiam significet, probat ex his, quę supra dixerat. Et quòd in plurali essentiam significet, probat duabus rationibus. Prima est beati Aug. dicentis, cùm dicimus tres personas, significamus illud quod commune Patri, & Filio, & Spiritusancto, sed nihil eis est commune nisi essentia: igitur nomine personę pluraliter sumptę significatur essentia. Secunda ratio est talis. Quid, quærit de essentia interrogantibus quid tres, respondemus, tres personas; igitur hoc nomē persona in plurali significat essentiam. Alia patent in littera. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Hoc nomen persona, capitur quandoque pro hypostasi. Quam quidem conclusionem Magister probat secundum suam propriam opinionem, dicens, quòd licèt nomen personę de se significet substantiam, tamen transfertur quandoque propter penuriam vocabulorum ad significandum suppositum, vel hypostasim. Vndè sensus est. pater, & Filius, & Spiritussanctus sunt tres personę. i. tres hypostases, vel tres subsistentes. Alia patent in textu. Et hæc de secunda parte sufficiāt.

Pro

Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Hoc nomen persona sæpè supponit pro proprietate personali sub eius differentia. Quam conclusionem Magister probat in textu per auctoritates. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE PROPRIETATIBVS personarum, sed prius de hoc nomine hypostasis.

DISTINCT. XXVI.

TEXT.

Nunc de proprietatibus personarum, quas frequenter in hoc tractatu commemorauimus, aliquid loqui nos oportet, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur præsens distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs pertractauerit de Diuinis nominibus: nunc consequēter hic vult agere de proprietatibus personarum, quibus adinuicem personæ distinguuntur. Diuiditur hæc distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, nomina proprietatum personalium relatiuè prædicari, non autem secundùm accidens. In secunda verò ostendit, quòd secunda persona in Diuinis propriè filius Dei, & tertia persona propriè Donum Dei dicitur. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter aliquā hoc nomine Spiritusſancti oēs tres personæ cōiter nominentur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista cōclusio, Nomina significātia ꝓprietates perso-

personarum, nunquam accidentaliter, sed tantùm rel prædicantur: huiusmodi autem nomina sunt paterni liatio, processio, genuisse, natum esse, generatio, na Pater, Filius, & Spiritussanctus, & huiusmodi. Hanc co clusionem Magister probans, præmittit primò, quòd no men hypostasis in primitiua Ecclesia à catholicis non ter in vsum de Diuinis assumebatur, non quia Diuinis conueniret, quia sumptum pro supposito subsistente in tura Diuina optimè congruit, sed quia eo hæretici abute tur, sumentes ipsum pro essentia; & sic simplices per ipsi decipiebant. Postea subdit, quæ sint illæ proprietates perso nales, de quibus vult agere, dicens, quòd non est propriet Patris, inquantum pater, quòd ipse non sit natus, sed ben quòd generet. Similiter proprietas filii, non est quòd no genuerit, sed benè quòd sit genitus. Et proprietas Spir tussancti non est, quòd ipse non sit natus, vel non generet, sed benè quòd à patre, & filio procedat. Vnde proprieta personalis patris, est generare, filii generari, Spiritussancti procedere, vel spirari. Hæ autem proprietas sunt relatio nes quædam, quibus personæ ad seinuicem relatæ distinguun tur, & aliis nominibus nominantur paternitas, filiatio, & sp ratio. Tertiò ostendendo nomen prædicationis horum no minum, subiungit probationem propositionis, seu cõclusio nis præmissæ, dicens, quòd huiusmodi nomina tantùm rela tiuè, & non accidentaliter prædicantur, eo quòd semper ad aliquid, æternè, & incomutabiliter dicuntur. Et hoc probat Magister auctoritate beati Augu. quæ habetur in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secun dæ partis, ponitur illa alia conclusio. Sola secunda persona in Deitate propriè dicitur filius Dei, & tertia propriè dici tur Donum Dei. Quam quidem conclusionem Magister probans in textu, quærit, quomodo hoc sit verum, quòd es se filium Dei solùm sit proprium secundæ personæ in Dei tate, cùm tamen sæpius inueniatur in scriptura, quòd homi nes dicantur filii Dei. Ad quod respondet Magister, quòd licet inueniatur scriptum, quòd homines sunt filii Dei; hoc tamen non est nisi per gratiam, vel per adoptionem gratui

tam,

... per generationem æternam, ficuti eſt ſecund-
... Deitate. Homines enim ſunt filij ſolùm per té-
... ſtionem. Eſt & alia differentia, nam cùm dici
... homo ſit filius Dei, tunc ibi nomine Dei intelli-
... omnes perſonæ diuinæ, i. tota Trinitas. Quando au-
... ſecunda perſona dicitur realiter eſſe filius Dei, tunc ibi
nomine Dei, ſolus Deus pater ſignificatur, & non alia perſo
na diuina. Similiter dicit de Spirituſancto, quòd eſſe Donũ
Dei æternum, ſit proprium Spiritusſancti, cuius ratio eſt,
quia licèt multa ſint Dei dona, nulli tamen illorum conue-
nit eſſe Donum æternum, ſicut Spiritusſancto benè conue-
nit, qui eſt Donum Dei æterna proceſſione, ſicuti filius Dei
æterna generatione, & ſicuti filius per generationem refer-
tur ad patrem: ita Spiritusſanctus per proceſſionem refer-
tur, ſiue relatiuè dicitur ad patrem, & filium: quæ quidem
relatio licèt non appareat apertè in hoc nomine, ſcilicet, Spi
ritusſanctus, manifeſtè tamē apparet in hoc nomine Donũ.
Et hæc de ſecunda parte ſufficiant. Pro declaratione autem
tertiæ partis, ponitur iſta conclusio. Quamuis hoc nomen
Spiritusſanctus, ſpecialiter approprietur tertiæ perſonæ Di-
uinæ, eo tamen aliquando omnes tres perſonæ communiter
nominantur. Quam quidem concluſionem Magiſter pro-
bans, quærit. Vtrum ſicut quælibet perſona poteſt dici Spi-
ritusſanctus, an etiam in tota Trinitas poſſit dici. Spiritus-
ſanctus. Et reſpondet ad hoc, quòd ſic, vt patet auctoritate
beati Aug. dicentis, quòd tam pater, quàm filius, quàm etiã
tota Trinitas poteſt dici Spiritusſanctus, eùm quælibet ha-
rum perſonarũ ſit ſpiritus, & ſancta, & etiam tota Trinitas
ſit ſpiritus, & ſancta. Sed cũ pater, aut filius, aut tota Trini-
tas dicitur Spiritusſanctus, ſic Spiritusſanctus non eſt nomē
propriũ perſonale, neque relatiuũ. Pro cuius euidentia ſcien
dũ eſt, quòd Spiritusſanctus poteſt accipi dupliciter. Vno mo-
do, vt ſignificat ſpiritualitatem, & ſanctitatem, & tunc dici-
tur eſſentialiter, & conuenit cuilibet perſonæ, & etiam toti
Trinitati. Alio modo, vt ſignificat ſpirationem, & tunc di-
citur relatiuè, & conuenit ſolùm tertiæ Perſonæ in Diuinis.
Præterea, Spiritusſanctus poteſt accipi pro duabus dictioni-

 bus

bus distinctis, & tunc cuilibet personæ, & etiam toti Trinitati conuenit. Vel potest accipi pro vna sola dictione, & sic conuenit soli tertiæ personæ in Diuinis. Vltimò Magister excludit errorem quorundam dicentium, quòd isti termini Spiritussanctus, & Donum, non sunt nomina personalia tertiam personam in Diuinis significantia, eo quòd non dicuntur relatiuè ad hos terminos, scilicet pater, & filius. Quod probant per hoc, quia non potest dici, pater est Spiritussancti, vel Doni pater, & filius est Spiritussancti, vel Doni filius. Ad quod respondet Magister dicens, nō obstante quòd Pater, & Spiritussanctus, seu Donum, sibi inuicem non respondent vocabulis, nihilominus dicuntur relatiuè, quia in his oportet magis accipere vocabula secundum sensum relationis, quàm secundum sonum vocis, & sic dicere. Spiritussanctus est spiratoris Spiritussanctus, & Donum est donatoris Donum, sicuti etiam dicitur in creaturis. Caput est capitati caput, & ala alati ala. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

AN EASDEM PROPRIETATES assignent Augustinus, & Hilarius: & an istæ sint, quæ dicuntur parernitas, filiatio, & processio.

DISTINCT. XXVII.

TEXT.

Hic quæri potest, Vtrum proprietates, quas Hilarius suprà assignauit, scilicet, quòd pater semper est pater, & filius semper est filius, sint illæ eadem proprietates, quas Aug. &c.

EX-

EXPOSITIO.

Connectitur præsens distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de tribus proprietatibus personalibus, scilicet, paternitate, filiatione, & spiratione, secundum quòd significantur nominibus proprijs: consequenter hic agit de eisdem secundum quòd significantur nominibus alienis. Diuiditur hæc distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quòd omnia nomina alicuius personæ propriè, significant tantùm vnam proprietatem, qua illa ab alijs distinguitur. In secunda verò ostendit, quòd hæc nomina, genitus, imago, & verbum, non dicuntur substantialiter per se, sed relatiuè ad patrem. In tertia autem, & vltima ostendit, quòd solùm essentialia possunt de pluribus simul, & de seipsis dici. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Omnia nomina alicuius personæ propriæ, significant solùm vnam proprietatem ex parte rei, qua illa persona propria distinguitur ab alijs personis determinatiuè. Quæ quidem conclusio sic probatur. Eadem est proprietas, quę significatur istis nominibus: Pater, paternitas, generatio actiua respectu patris. Et istis, filius, filiatio, generatio passiua respectu filij. Et istis, Spiritussanctus, spiratio passiua, & procedere ab vtroque respectu Spiritussancti. Sed istis proprietatibus, personæ proprię distinguuntur ab inuicem determinatiuè. Igitur omnia nomina alicuius personę proprię, significant tantùm vnam proprietatem ex parte rei, qua illa persona propria ab alijs personis determinatiuè distinguitur. Istam sententiam Magister ponens, quęrit, an eadem proprietas sit, quę importatur nomine, patris, paternitatis, & generationis actiuæ: & similiter, an eadẽ sit, quę importatur noĩe filij, filiationis, & generationis passiuę: & vtrũ sit idem, esse patrẽ, & genuisse filiũ: & vtrum sit idẽ, esse filiũ, & natum esse à patre. Ad quod respondens Magister dicit, ꝙ licèt eadem proprietas significet

istis nominibus, scilicet, esse patrem, & genuisse filium, seu pater, & paternitas; hoc tamen est sub diuersis rationibus, nam nominibus personarũ, cuiusmodi sunt Pater, Filius, & Spiritussanctus, significatur nõ solùm proprietas, sed etiam hypostasis. Nominibus verò proprietatũ, cuiusmodi sunt, paternitas, & filiatio significantur ipsæ proprietates secundum se, & actus earum, vt generare, & nasci. Alia patent in textu. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia cõclusio. Hæc nomina genitus, imago, verbum, non substantialiter secundum se, sed ad patrem dicuntur relatiuè. Quæ quidem conclusio probatur sic. Illa nomina, quæ propriè filio conueniunt, & eius personalem proprietatem præcisè exprimunt, non substantialiter secundum se, sed relatiuè ad patrem dici possunt, sed ista nomina, genitus, imago, verbum, sunt huiusmodi; igitur non substantialiter secundum se, sed relatiuè ad patrem dicuntur. Maior patet. Minor verò probatur in textu auctoritate D. Aug. dicentis, quòd genitus dicitur genitoris genitus, & verbum dicentis verbum, & imago imaginati imago, quæ nomina soli filio conueniunt respectu patris. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio; Solum essentialia de pluribus simul, & de seipsis affirmãtur. Patet hæc conclusio per hoc, quòd benè potest dici. Pater, & Filius, & Spiritussanctus sunt Deus. Vel potentia Diuina, sapientia, & bonitas Diuina, sunt Deus. Sed non potest dici. Pater, & Filius sunt pater, vel sunt filius. Vndè patet, quòd solùm essentialia possunt simul de pluribus dici, vt dicit conclusio probanda. Etiam illa sola dicuntur de se, vt lumen de lumine, Deus de Deo, quod non potest dici de nominibus relatiuis. Non. n. potest dici, pater de patre, aut filius de filio, quod probat auctorit. Aug. in littera. Dicit. n. Augu. Hoc solùm de eis dici non põt illud de illo, quod simul ambo non sunt de illo nomine non possumus vti ad ostendendũ vnum de vno, quod simul ambobus non conuenit, sicut verbum de verbo, quia non simul ambo verbum. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

QVOD

QVOD NON TANTVM tres prædictæ proprietates sunt in personis, sed etiam aliæ, quæ alijs significantur nominibus, vt ingenitus.

DISTINCT. XXVIII.

T E X T.

Præterea considerare oportet, quòd non tantùm tres prædictæ proprietates, siue notiones in personis sunt, verum etiam aliæ, quæ alijs notantur nominibus, &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur ista distinctio vigesimaoctaua cum superioribus, hunc in modũ. Cùm, n. Magister superius egerit de proprietatibus personalibus: consequenter hunc determinat de proprietatibus personaliũ, quæ non sunt personales. Diuiditur hæc distin. in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quõ se habeat hoc nomen ingenitus ad alias notiones. In secunda verò ostendit, quõ istæ duo se habeant adinuicem, s. patrem esse, & filium esse. In tertia aũt, & vltima ostendit, quõ hoc nomen imago quãque teneatur essentialiter, quãque personaliter. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur illa conclusio. Ingenitus est notio solius patris, alia tñ à paternitate, qua pater refertur ad filium. Quam quidem conclusionem Magister probans, supponit, q̃ præter tres illas proprietates personales, s. Paternitatem, filiationem, & processionem, vel spirationem, sunt

aliæ proprietates, quæ alijs significantur nominibus; de quorum numero est hoc nomen ingenitus, quod spectat ad patrem, & tamen significat aliam proprietatem, quàm hoc nomen paternitas, quod probat per hoc; quia esse ingenitum, non est de ratione patris, eo quód aliquis potest esse pater, absque hoc quòd sit ingenitus, quia multi geniti genuerunt, vt videre est in littera, in qua etiam alia patent. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Idem est Patrem esse, quod & filium esse: quamuis esse patrem, & esse filium, non sunt idem. Quam conclusionem Magister probat per hoc, quòd sensus propositionis, scilicet, patrem esse est idem quod filium esse, est iste.i.idē est quo pater est, & id quo filius est, quia, scilicet, vna Diuina essentia est id, quo vterque ipsorū est. Et iste sensus verus est. Sed terminis transpositis, sic dicendo: esse patrem, est idem quod esse filium: tunc sensus est, eadem est proprietas, qua pater est pater, & qua filius est filius. Et iste sensus falsus est, quia paternitate pater est pater, & filius filiatione est filius. Alia patent in littera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Hoc nomen imago relatiuè dicitur de solo filio, essentialiter verò de tota Trinitate. Quàm quidem conclusionem Magister probat quo ad secundam eius partem dicens, quòd imago quandoquè essentialiter accipitur, vt quando sumitur pro ipso exemplari naturæ Diuinæ, ad cuius imaginem factus est homo, quod probat auctoritate August. & Hilarij. Quod autem imago relatiuè dicatur de solo filio, superiùs probatum fuit. Et hæc de tertia, & vltima parte hujus distinctionis dicta sint satis.

DE PRINCIPIO QVOD relatiuè dicitur, & multiplicem notat relationem.

DISTINCT. XXIX.

TEXT.

Est præterea aliud nomen multiplicem notans relationem, scilicet, principium, &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc vigesimanona distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de innascibilitate, pro vt significatur hoc nomine ingenitus; hic modò consequenter agit de communi spiratione, pro vt significatur hoc nomine principium; Diuiditur hæc distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter tota Trinitas per hoc nomen principium se habeat ad creaturas. In secunda verò subdit, quomodo per idem nomen, scilicet, principium, personæ se habeāt adinuicem. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter relatio Patris, & Filij ad Spiritumsanctum, careat suo nomine proprio vsualiter. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Pater, & Filius, & Spiritussanctus sunt vnum principium creaturarum temporaliter. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit quòd hoc nomē principium, secundum quòd relatiuè dicitur in Diuinis; significat tantùm relationem Dei ad creaturas, vel ad relationem personarum adinuicem. Postea dicit quòd quælibet persona, & etiam tota Trinitas dicitur principium creaturarum, & eorum quæ naturaliter esse habent, non autē peccatorum, quæ naturam vitiant; & hoc est ratione creationis, propter quam creationem, relatio intelligitur Deum, & creaturas. Sunt enim omnes personæ vnum principium respectu creaturæ, & hoc ex tempore, non autē ab æterno. Postea dicit, quòd vna persona est principium alterius.

Nam

Nam pater est principium filij, & pater, & filius sunt vnum principium Spiritussancti. Pater principium est filij, quia ipsum genuit. Pater autem, & Filius sunt vnum principium Spiritussancti, quia Spiritussanctus ab eis procedit. Et hoc non ex tempore, sed ab æterno, non essentialiter sed notionaliter. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio secundum originem ex modò dictis. Pater est principium filij, & pater, & filius sunt vnum principium ipsius Spiritussancti. Quam quidem conclusionem Magister declarat auctoritate beati Aug. quæ sententialiter præmissa est. Et hæc de secunda sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Relatio, qua Pater, & Filius referuntur ad Spiritumsanctum, nõ habet aliquod nomen proprium vsualiter: Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum pater, & filius sint eadem notione vnum principiũ Spiritussancti. Et respondet quòd sic, licèt non habeamus nomen illam notionem exprimens. Nam nomen illud, (scilicet, communis spiratio) quo Doctores illam notionem nominant, temporibus Magistri non dum fuit in vsu, nec adhuc inuentum. Postremò notandum est, quòd hoc nomen principium transiens in prædicationem Diuinorum, non semper sumitur vniformiter. Nam quandoque accipitur personaliter, vt cùm dicitur. Pater est principium filij. Quandoquè notionaliter, vt cùm dicitur. Pater, & filius sunt vnum principium Spiritussancti. Quandoque verò essentialiter, vt cùm dicitur. Pater, & Filius, & Spiritussanctus, sunt vnum principium creaturarum. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis satis dicta sint.

DE HIS QVÆ TEMPORAliter de Deo dicuntur, & relatiuè secundum accidens, quod nõ Deo, sed creaturis accidit.

DI-

DISTINCT. XXX.

T E X T.

Sunt enim quædam, quæ ex tempore de Deo dicuntur, & que temporaliter conueniunt sine sui mutatione. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc trigesima distinctio cũ superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de innascibilitate, & communi spiratione: hic modò incidentaliter agit de quibusdam relationibus, quæ conueniũt Deo ex tempore. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, Deum ad creaturā ex tempore referri. In secunda verò sub dit, Deum per talē relationem non mutari. In tertia autem, & vltima ostēdit, Spiritumsanctum sine sui mutatione menti humanæ infundi. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur illa conclusio. Constat Deum ad creaturam ex tempore referri. Quam quidem cõclusionem Magister probans, dicit, quòd illa quæ dicuntur de Deo relatiuè temporaliter, & secundū accidens, dicuntur de ipso non secundum accidens, quod sit in Deo, sed quod in creaturis est. Et exemplificat hoc per huiusmodi nomina. Creator, Dominus, refugium, & similia, quæ non possunt Deo cõuenisse ab æterno, cùm ab æterno non habuerit creaturam ad se refugientem, seu seruum, sed incepit habere ex tempore. Contra quod Magister obijciens, dicit, quòd Deus non incepit esse Dominus temporis, quia non incepit in tempore, nec ex tempore. Ad quod Magister respondens, dicit, quòd Deus incepit esse Dominus temporis, quando tempus incepit esse: Et ideò sicuti tempus non incepit esse in tempore, seu ex tempore: ita Deus

non

non incepit eſſe Dominus temporis in tempore, ſeu extra tem-pore, ſed cum tempore. Et hæc de prima parte ſufficiant. Pro declaratione verò ſecundæ partis, ponitur iſta alia con-cluſio. Deus per relationem, qua refertur ad creaturam, non dicitur mutari. Quam concluſionem Magiſter probat per hoc, quòd ipſa relatio eſt ſolùm in creatura realiter, & tantùm eius appellatio eſt in Deo reſpectu creaturarum. Quod exemplificans, dicit, quòd ſicuti nummus incipit eſ-ſe precium ſine mutatione ſui, ita Deus ſine ſui mutatione fit creator. Et hæc de ſecunda parte ſufficiant. Pro declara-tione autem tertiæ partis, ponitur hæc concluſio. Spiritus-ſanctus ſine ſui mutatione piis mentibus datur. Quam qui-dem concluſionem Magiſter probat ſoluendo quæſtionem ſuam, quam ſuperiùs reliquerat inſolutam. Verum, ſcilicet Spiritusſanctus dans ſeipſum, poſſit referri ad ſeipſum. Et reſpondet, quòd cùm Spiritusſanctus dicitur datus, vel miſ-ſus à ſe, tunc relatiuè dicitur ad eum, cui datur. & eſt relatio ſecundum nomen, & non ſecundum eſſe: & fit mutatio in illo, cui datur, nulla mutatione facta in ipſo dante. Et hæc de tertia, & vltima parte huius diſtinctionis dicta ſint ſatis.

QVOMODO DICATVR Filius æqualis patri, an ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum relatio nem: ita, & ſimilis.

DISTINCT. XXXI.

TEXT.

Præterea conſiderari oportet, cùm tres perſonæ coæ-quales ſibi ſint, Vtrum relatiuè hoc dicatur, an ſe-cundum ſubſtantiam; &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc trigesima prima distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magist. superius determinauerit de proprietatibus personarũ proprijs: nunc consequenter incipit in hac distinct. agere de appropriatis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo æqualitas, & similitudo in Diuinis sint relationes. In secunda verò ostendit significationem quorundam nominum communium, sed appropriabilium secundum Hilarium. In tertia, & vltima declarat, qualiter personæ Diuinæ dicantur vnum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Aequalitas, & similitudo, sunt in Diuinis relationes tantùm secundum nomen. Quam quidem conclusionem Mag. probans, quærit tres quæstiones. Prima est. Vtrum hoc nomen æquale in Diuinis dicat substantiam, vel relationem. Et respondet quòd relatiuè dicitur: eo quòd sicut nihil propriè dicitur sibi ipsi simile: ita etiam non potest dici æquale propriè. Secunda est. Vtrum æqualitas secundum essentiam, vel relationem attendatur. Et respondet quòd secundùm essentiam, non secundum relationem: quod probat auctoritate beati Aug. dicentis Quærimus secundum quid sit æqualis patri filius, non secundum hoc, quod ad patrem dicitur filius æqualis est patri. Restat ergo quòd secundùm hoc quod ad se dicitur, sit æqualis: quicquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur: restat ergo vt secũdum substantiam sit æqualis. Tertia quæstio est. Quid sit ipsa æqualitas in Diuinis. Et respondet quòd sit quædam relatio secundum nomen solùm id est relatio rationis: & realiter nihil aliud est, quàm identitas virtutis Diuinarum personarũ. Et addidit quòd idem dicendum est de similitudine in Diuinis, scilicet, quòd attendatur secundum substantiam, seu vnitatem essentiæ: & quòd simile relatiuè dicatur secũdum nomen. Et postea ex prædictis approbat opinionem quorundam dicentium, quòd simile, & æquale in Diuinis non dicun-

dicuntur positiuè, sed negatiuè eo quòd æqualitas diff... tem magnitudinem excludit, similitudo verò omnem d... sitatem excludit. Quæ tamen opinio à modernis Do... bus non tenetur. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro... claratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Diuinis secundum appropriationem affirmantur de... æternitas, & vnitas de filio imago, & æqualitas: de Spi... sancto verò amborum nexus, & charitas. Quam qu... conclusionem Magister insinuat ex verbis Hilarij, red... rationem ex dictis beati Aug. qui dicit æternitatem... appropriari, quia æternitas priuat principium, & ideò... uenit patri, qui propter priuationem principij innasci... dicitur. Imaginem verò, & æqualitatem, speciem, & pu... tudinem dicit appropriari filio propter perfectam, & ... portionatam repræsentationem patris. Munus autem, & ... xum charitatis, & vnum ascribit spiritui sancto; eo quòd ipsum, & ab ipso omnia nobis donantur, & infunduntur ... nostram vtilitatem. Alia patent in littera, in qua etiam ... dit quomodo vnitas conueniat patri. Et hæc de secunda... te sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, po... ista conclusio. Quamuis Pater, & Filius, & Spiritussan... sint vnum: non tamen debent dici vnus, nisi cum additi... vt dicatur vnus Deus, vnus creator, & huiusmodi. C... conclusionis ratio est, quia neutrum genus refertur ad ... sentiam. Masculinum verò genus refertur ad personam ... hypostasim. Et ideò cùm dicitur, Pater, & Filius, & S... tussanctus sunt vnum, intelligitur essentialiter. Non au... sic intelligitur, cùm dicitur, Pater, & Filius, & Spiritus... ctus sunt vnus, nisi fieret additio, vt diceretur, vnus De... vel vnus potens, vel vnus sciens, & huiusmodi: ratio ... quia aliàs tolleretur distinctio personarum, vel poneretur ipsarum confusio. Alia patent in textu. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

VTRVM

VTRVM PATER VEL FIlius Spiritusancto diligat, cùm diligere idem Deo sit quod esse.

DISTINCT. XXXII.

TEXT.

Hic oritur quæstio ex prædictis deducta. Dictum est enim supra, atque sanctorum authoritatibus ostensum, quòd spiritussanctus est communio patris, & filij, & amor quo pater, & filius seinuicem diligunt. Ideò quæritur. Vtrum pater, vel filius per Spiritumsanctum diligat. &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur hæc trigesima secunda distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister suprà egerit de quibusdam appropriatis: hic nunc consequenter determinat quasdam dubitationes ex huiusmodi appropriatis emergentes. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit, qualiter pater, & filius diligant se mutuo Spiritusancto ab ipsis procedente. In secunda verò ostendit, qualiter pater non sit sapiens sapientia genita. In tertia autem, & vltima ostendit, quomodo vna, & eadem sit sapientia genita, & ingenita secundum rem, differant autem secundum rationem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Pater, & Filius diligunt se mutuo Spiritusancto ab ipsis procedente. Quam quidem conclusio-

clusionem Mag. probans, quærit. An pater, & filius diligant se Spirituſancto ab ipsis procedente. Et arguit quòd non. Nam diligere, & esse in Diuinis sunt idem: si ergo Pater, & Filius diligunt se Spirituſancto ab ipsis procedente, videtur ipsos habere esse per Spiritumſanctum, quod est absurdum. Et respondens Magister dicit, quòd pater, & filius diligunt se, capiendo diligere notionaliter, scilicet, pro vt idem est, quòd communis spiratio. Et sic differt diligere ab essentia secundum rationem, & per consequens argumentum factum pro illa parte non concludit. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Pater non est sapiens sapientia genita, vel nascente. Quam quidem conclusionem Magister probans, determinat tres quæstiones. Quarum prima est. Vtrum pater dicatur sapiēs sapientia, quam genuit. Et arguit quòd sic, quia pater diligit amore, qui ab ipso procedit, ideò videtur, quòd etiam sapiat sapientia eadem, quam genuit. Et respondet quòd ista non est concedenda. Pater sapit sapientia genita, seu pater sapit per illam sapientiam, quam genuit, ne filius, qui est sapientia genita, videatur esse causa sapientiæ in patre, quod confirmat auctoritate beati Aug. Secunda quæstio est. Vtrum filius sit sapiens sapientia genita, vel ingenita. Et respondet Magister, quòd filius debet dici sapiens sapientia ingenita, eo quòd effectiuè est sapiens sapientia ingenita, quæ est pater. Circa quod notandum est, quòd illæ duæ propositiones, scilicet pater est sapiens sapientia ingenita, & filius est sapiens sapientia ingenita, sunt ambæ veræ: sed differunt tantùm, quòd hi ablatiui in eis positi, diuersimodè construi possunt. Vno modo in habitudine quasi principij formalis. Et hoc modo pater est sapiens sapientia ingenita, id est seipso formaliter, quia sapientia ingenita est ipse pater, cum sit idem sibi esse, & sapere. Et secundum istum sensum, filius non potest dici sapiens sapiētia ingenita, quia designat filium formaliter esse sapientem patre, & per consequens patrem formaliter esse filium propter identitatem sapientiæ, & esse in filio. Alio modo potest ille ablatiuus construi in habitudine principij quasi effectiui. Et sic ista est

falsa.

falsa. Pater est sapiens sapientia ingenita, quia significat patrem esse de sapientia ingenita; & sic esset à seipso, quod falsum est. Illa verò, filius est sapiens sapientia ingenita, isto modo est vera, quia sensus est, quòd filius sit de sapientia ingenita, quæ est ipse pater. Tertia quæstio est Vtrum filius possit dici sapiens sapientia genita. Et respondet quòd sic, sed hoc intelligitur secundum primum sensum præmissum, scilicet, in habitudine principij formalis, adeo quòd sit sensus, filius est sapiens sapientia genita idest seipso formaliter, non autem effectiuè à seipso, vel de seipso. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Vna tantùm, & eadem est sapientia genita, & ingenita secundum rem, & differunt secundum rationem solùm. Quam quidem cõclusionem Magister probans, quærit. Vtrum tantùm vna sit sapientia patris, & filij. Et arguit, quòd non quia alia est sapientia genita, & alia ingenita, ergo non est tantùm vna. Et Magister respondet argumentum non valere, quia ibi committitur fallacia figuræ dictionis: nam quando sapientia sumitur cum his terminis, genita, & ingenita, trahitur ad standum pro persona. Sed quando simpliciter stat sine additione, tunc supponit pro essentia, Et subdit, quòd sicuti in Deitate est dilectio, quę est Pater, & Filius, & Spiritussanctus (scilicet, ipsa Diuina essentia) & tamen Spiritussanctus est dilectio, quę nec est Pater, nec est Filius; & tamen non sunt duæ dilectiones in Deo, sed vna tantùm. Sic in Deo est vna sapientia, quæ est Pater, & Filius, & Spiritussanctus (scilicet, Diuina essentia) & sapientia genita, quæ nec est Pater, nec Spiritussanctus, sed filius: non tamen sunt plures sapientiæ, sed vna tantùm: & per consequens sapientia ingenita dicitur sapiẽtia patris, eo quod per eam formaliter sapit: sapientia etiam genita dicitur sapientia patris, non tamen quòd ea formaliter sapiens sit, sed per hoc, quòd eam genuit: non tamen sequitur quòd sint duæ sapientiæ, sed vna tantùm, quæ est Diuina essentia. Vndè sapientia genita, & ingenita est vna secundum rem, differunt verò solùm secundum rationem, & modum considerandi. Alia quæstio est, & difficilis quidem Cur, scilicet

pater non dicatur sapientia genita sapere, vel ab ipso procedente, sicut dicitur diligere dilectione ab ipso procedente, cùm tamen idem sit sibi sapere, & esse, & similiter idem diligere, & esse? Ad quam Quæst. respondendum est, quòd diligere potest capi essentialiter: & tunc tam secundum rem, quàm etiam secundum modum significandi absolutè diligere nihil aliud est, quàm Diuina essentia. Et sic hoc modo capiendo diligere, pater nullo modo potest diligere Spiritusancto, seu amore à se procedente. Alio modo potest capi diligere notionaliter pro spiratione passiua. Et sic pater dicitur diligere amore ab ipso procedente: cuius ratio est, quia licèt diligere secundum rem sit idem quod Diuina essentia, non tamen secundum modum significandi est idem quod essentia Diuina, quia essentia dicitur absolutè, diligere autẽ relatiuè. Et ideò non sequitur. Pater Spiritusancto, vel amore diligit: igitur Spiritusancto, vel amore procedente est. Sicuti non sequitur. Pater paternitate est pater, igitur pater paternitate est. Sic non sequitur. Homo diligit hominem amore ab ipso procedente, igitur homo amor est. Cùm ergo sapere in Diuinis semper sumatur essentialiter, & nunquã notionaliter, sicut diligere, consequens est, quòd pater non sit sapiens sapientia genita, quia sequeretur ipsum esse sapientiam genitam. [Ad diligere autem non semper sequitur diligere dilectione producta: & per consequens licèt pater non dicatur sapere sapientia genita, potest tamen dici diligere dilectione procedente, seu producta. Et hæc de tertia, & vlt. parte huius dist. dicta sint satis.

VTRVM PROPRIETATES personarum sint ipsæ personæ, vel Deus, id est, Diuina essentia.

DI-

DISTINCT. XXXIII.

TEXT.

Post supradicta interius considerari, atque subtiliter inquiri oportet. Vtrum proprietates personarum, quibus ipsæ personæ determinantur, sint ipsa personæ, & sint Deus. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc trigesima tertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magist. superiùs egerit de essentia, personis, & proprietatibus; hic consequenter determinat comparationes illorum ad inuicem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, proprietates idem esse cum personis, & essentia Diuina. In secunda verò excludit errorem quorundam dicentium, ex hac identitate posse dici, Diuinam essentiam posse generare. In tertia autem, & vltima concludit, qualiter ex identitate paternitatis, & essentiæ non possit argui, paternitate patrem esse Deum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Proprietates personales sunt idem cum personis, & natura Diuina. Quã quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum proprietates sint ipsæ personæ, & vtrum sint ipsa Diuina essentia. Ad quod respondens Magister, dicit primò, quòd proprietates sunt in personis iuxta illud dictum. Et in personis proprietas, & in essentia vnitas. Proprietates enim fuerunt ab æterno, sicuti & personæ, ergo fuerunt in personis. Secundò ostendit, quòd proprietates sint ipsæ personæ. Nam proprietates sunt in personis, sed in personis nulla est diuersitas, igitur proprietates sunt ipsæ personæ. Et hoc confirmat auctoritate beati Hieronimi. Tertiò ostendit, quòd

proprietates sunt ipsa Diuina essentia, seu natura. Quod sic probat. Propter Diuinam simplicitatem Deus est quicquid habet, vbi non repugnat relatiua oppositio: sed Diuina persona, & natura habent proprietates: ergo proprietates sunt ipsa natura, & persona Diuina. Quam rationem Magister confirmat auctoritatibus diuersorum auctorum, quæ patet in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Errant qui ex hoc quòd proprietates personales sunt Diuina essentia, inferunt Diuinam essentiam posse generare. Quam quidem conclusionem Magister probans, ponit errorem quorundam dicentium, quòd licèt proprietates sint in personis, non tamen sunt ipsæ personæ, sed sunt quasi extrinsecùs affixæ. Et secundum hunc errorem, ipsi inducunt tres rationes. Quarum prima talis est. Si proprietates sunt personæ, ergo non distinguunt, neque determinant personas: consequentia patet ex hoc quòd idem non distinguitur, neq; determinatur seipso. Respondet Magister negando consequentiam. Ad probationem dicit non esse inconueniens idem distingui, seu determinari seipso, quod probat auctoritate beati Hieronimi. Secunda ratio est ista. Si proprietates sunt Diuina essentia, ergo sicut personæ dicuntur conuenire in essentia, ita etiam debet dici ipsas personas conuenire in proprietatibus, quod falsum est. Respondens Magister, dicit, istam materiam propter nimiam sui altitudinem humanum excedere intellectum, quod probat auctoritate Hilarij. Tertia ratio est ista. In quocunque est paternitas, hoc potest generare: sed in essentia est paternitas: igitur essentia potest generare. Et similiter arguit de filiatione. Et respondet Magister, ꝙ proprietates esse in aliquo, potest dupliciter intelligi. Vno modo determinando, & distinguendo illud in quo sunt. Et sic hoc modo, in quocunque est paternitas, hoc potest generare, quomodo in personis huiusmodi proprietates reperiũtur. Alio modo non determinando, neque distinguendo illud, in quo sunt. Et sic dicuntur esse in Diuina essentia, & in quocunque sic est paternitas, illi non conuenit generare, nec illi in quo sic est filiatio, conuenit generari. Cùm ergo proprietates

prietates sint in Diuina essentia non determinando eam, patet argumentum ad propositum non concludere. Contra solutionem Magister arguit, quærendo, si proprietates non possunt esse in personis, nisi eas determinent, quomodo tunc possunt esse in essentia, eam non determinando. Et respondet, quòd hoc exprimere, est super intellectum humanum, quod confirmat auctoritate beati Hilar. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Falluntur, qui ex identitate paternitatis, & essentiæ arguunt, seu concludunt paternitate patrem esse Deum. Hanc probans, reddit rationem huius, dicens, quòd hoc ideò est, quia, scilicet, proprietates sunt in Diuinis, vt determinantes, & distinguentes, cuiusmodi sunt in personis. Quod confirmat auctoritate beati Aug. Et hæc de hac distinct. dicta sufficiant.

OPINIO QVORVNDAM non idem esse personam, & essentiam, vel naturam dicentium, & eandem essentiam non posse esse Patrem, & Filium, & Spiritumsanctum.

DISTINCT. XXXIV.

TEXTVS.

Prædictis autem adijciendum est, quòd quidam peruersi sensus homines in tantam prosilierunt insa-

niam, ut dicerent non idem esse naturam Dei, & personam, siue hypostasim &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc trigesima quarta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius comparauerit proprietates ad essentiam, & personas; hic modò consequenter comparat essentiam, & personas adinuicem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, personas Diuinas idem esse re cum natura Diuina, & distingui solùm ratione. In secunda verò ponit quandam locutionis distinctionem inter personas, Deum, & essentiam Diuinam. In tertia autem, & vltima ostendit, quomodo patri potentia, filio sapientia, spirituisancto bonitas attribuatur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio: Quilibet catholicus tenetur asserere personas Diuinas esse idem re cum Diuina essentia, & eas solùm ratione differre. Quam quidẽ conclusionem Magister probans, proponit primò, quòd quidam hæretici dixerunt essentiam, & personam non esse idẽ: quia si eadem essentia esset pater, & filius: ergo eadem res generat, & generatur. Et illud confirmant auctoritate Hilarii dicentis, quòd res naturæ, & natura non sunt idem: sed persona Diuina est res naturæ Diuinæ, essentia autem dicitur ipsa natura: ergo persona, & essentia non sunt idem. Respondetur quòd verbum Hilarii in creaturis intelligendum est, non in Diuinis, vbi natura, & res naturæ sunt idẽ: quod patet auctoritate Hilarii dicentis, quòd Deus non est aliud ab his, quæ sibi insunt idest attributis, & personis, est tamẽ aliud ab his, quæ sibi non insunt idest à creaturis. Postea Magister respondet ad conclusionem, dicens, quòd essentia, & hypostasis sunt idem re idest substantia, & natura, quia omnium personarum vna est essentia Diuina, differunt verò secundum rationem. Generans enim, & genitum conueniunt in substantia, non tamen conueniunt in personalitate.

tate. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione vero secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis tres personas vnius esse essentiæ debeamus dicere, non tamen vnum Deum trium personarum vsitata locutione debemus affirmare. Quam quidem conclusionem Magist. probans, quærit, an sicuti Deus dicitur Diuina essentia, ita etiam possit dici. Vnus Deus tres personæ. Et vtrum ita possit sanè dici, Vnus Deus trium personarum, vel tres personæ vnius Dei, sicuti etiam dicitur. Vna essentia trium personarum, & tres personæ vnius essentiæ. Et respondens dicit, quòd benè potest dici. Tres personæ sunt vnus Deus, & econuerso, vnus Deus est tres personæ. Non tamen vnus Deus trium personarum, nec tres personæ vnius Dei: quia sic significatur Deus in aliqua habitudine principij respectu personarum. Nec est simile de essentia, quia alius est modus significandi nomine Dei, & alius nomine essentiæ. Cuius ratio est, quia ly Deus, significat in ratione principij effectiui, essentia verò non. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Quamuis potentia, sapientia, & bonitas communiter conueniant omnibus personis Diuinis, tamen potentia appropriatur patri, sapientia filio, bonitas verò Spirituisancto. Quam quidem conclusionem Magister insinuans dicit, quòd attribuitur patri potentia, eo quòd in creaturis patribus inesse consueuit debilitas. Sapientia filio, eo quòd in creaturis filij solent esse ignari. Et bonitas Spirituisancto, eo quòd in creaturis spiritus tumorem dicit, & inflationem. Vnde per contrarium hoc dicitur in Diuinis. Postea dicit, quòd hoc nomen homousion ab Antiquis primò fuit concessum, tandem propter malum vsum hæreticorum fuit damnatum, & prohibitum. Sed finaliter propter rei veritatem fuit receptum. Demùm dicit, quòd de nominibus translatiuis non vult aliud dicere, nisi quòd assignata est superiùs ratio, secundum quam transferri videntur. Vltimò dicit se insufficienter verba fecisse de Trinitate, & vnitate. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis satis dicta sint.

DE QVIBVSDAM QVÆ secundum substantiam de Deo dicuntur, quæ specialem efflagitant tractatum, scilicet, de scientia, & de præscientia, & prouidentia, & dispositione, prædestinatione, voluntate, & potentia.

DISTINCT. XXXV.

TEXT.

Cumque suprà disseruerimus, ac plura dixerimus de his, quæ communiter secundum substãtiam de Deo dicuntur: eorum tamen quædam specialem efflagitant tractatum. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc trigesima quinta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister in superioribus distinctionibus egerit de Deo, & eius conditionibus, quæ ipsum concernunt in essendo: consequenter nũc in hac incipit agere de ipso secundum conditiones, quæ ipsum respiciunt in operando. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo multipliciter accipiatur scientia Dei. In secunda verò

sub-

[illegible]dit, quòd si nulla fuissent futura, non diceretur scientia in Deo respectiuè. In tertia autem, & vltima declarat, quomodo Deus omnia præterita, & futura, tanquam præsentia cognoscat. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Vnica, & inuariabilis est scientia Dei, quæ propter varios rerum status, diuersis nominatur nominib. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd scientia Dei, quæ est vna de attributis essentialibus, specialem requirit tractatum, & non solùm scientia, sed etiam præscientia, dispositio, prædestinatio, & prouidẽtia nominatur. Præscientia enim dicitur respectu omnium futurorum, siue bonorum, siue malorum. Dispositio verò de rebus est faciendis. Prædestinatio verò est de hominibus saluandis, & de bonis, qui hic à malo liberantur, & in futuro coronabuntur. Prouidentia est de rebus gubernandis, & similiter Dispositio, sed differunt, quia dispositio ad fieri, & esse rei, prouidentia autem spectat ad bene habentem, & ad rei conseruationem. Interdum tamen prouidentia accipitur pro præscientia. Scientia verò, siue sapientia dicitur respectu omniũ vniuersaliter, præsentium, scilicet, præteritorum, & futurorum, bonorum, & malorum; & non solùm respectu temporalium, sed etiam respectu æternorum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Si nulla essent futura, tunc respectiuè in Deo scientia non diceretur. Quam quidem conclusionem Magister inuestigans, quærit. Vtrum si nulla essent, vel fuissent futura, an adhuc præscientia, prædestinatio &c. in Deo fuissent. Et arguitur primò, quòd non. Nam omnia ista dicuntur respectu futurorum, ergo si nulla essent, vel fuissent futura, ista in Deo locum non habuissent. In contrarium arguitur sic. Prædestinatio Dei, præscientia, & dispositio, sunt idem quod scientia Dei: sed scientia est idem quod essentia: ergo à primo ad vltimum præscientia Dei, idem est quod essentia: sed essentia Dei esset dato etiam quòd nulla essent futura: ergo præscientia Dei fuisset in Deo secluso omni futuro. Et respondet Magister, quòd si nulla fuissent futura, tolleretur præscientia Dei quantum ad respectum, quem

Z. habet

habet ad futura, sed non quantum ad essentiam, quę subiacet tali respectui. Præscientia enim scientiam dicit cum respectu: ideò ablato respectu, scientia manet, quæ fuit ab æterno cum ipso Deo: & propter creaturarum existentiam, vel differentiam, in nullo augetur, vel minuitur. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hęc conclusio. Deus omnia præterita, & futura, tanquam sibi pręsentia intuetur. Quę quidem conclusio sic probatur. Omne quod in Dei essentia actualiter continetur, Deus tanquam pręsens intuetur: sed omnia pręterita, & futura, sunt, & fuerunt ab æterno in Dei essentia: igitur Deus omnia pręterita, & futura, tanquam sibi actualiter pręsentia intuetur. Maior, & minor sunt Magistri in littera, ergo conclusio est vera. Et hęc de tertia & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

VTRVM CONCEDENDVM sit omnia esse in Dei, essentia, vel in eo per essentiam: vt omnia dicuntur esse in Dei cognitione, vel præscientia.

DISTINCT. XXXVI.

TEXT.

Solet hic quæri, cùm omnia dicantur esse in Dei cognitione, seu præscientia, vel in Deo per cognitionem, & eius cognitio, vel præscientia sit Diuina essentia. Vtrum concedendum sit, omnia esse in Diuina essentia, vel in Deo per essentiam. &c.

EX-

EXPOSITIO.

Connectitur hæc trigesima sexta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de scientia Dei secundum se consequenter in hac agit de comparatione rerum scitarum ad scientem. Diuidit præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostēdit, qualiter non omnia sint in Dei essentia, sicut sunt in Dei scientia. In secunda verò subdit, qualiter se habeat scientia Dei ad bona, & mala. In tertia, & vltima concludit, quòd non omnia, quæ sunt ex Deo, verè possunt dici de ipso. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis omnia dicantur esse in Dei scientia, non tamen omnia sunt in eius essentia. Quamquidem conclusionem Magister probans, quærit, Verum omnia, quæ Deus cognoscit, possint dici esse in eius essentia, sicut dicuntur esse in Dei scientia, quæ idem est quod sua essentia. Et respondet Magister, quòd non, quia omnia, quæ sunt in essentia Diuina, sunt eiusdem naturæ cum Deo. Ea autem, quæ sunt in eius scientia, non sunt eiusdem naturæ cum Deo, Ideò omnia cognita à Deo, possunt dici esse in Diuina scientia, licèt non possint dici esse in eius essentia. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Constat Deum quodammodo cognoscere bona, qualiter non cognoscit mala. Quam quidem conclusionem Magist. probans, quærit, Verum mala, quæ cognoscuntur à Deo, possint Dici esse in Deo. Et respondet quòd non, quia illa solùm dicuntur esse in Deo, ad quæ Deus se habet in ratione principij: Deus autem non se habet ad mala in ratione principij: ergo mala à Deo cognita, non dicuntur esse in ipso Deo. Alia clarè patent in littera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio, Quamuis omnia, quæ sunt de Deo, possint dici ex ipso: non tamen econuersò omnia, quæ sunt ex Deo, possunt dici de Deo. Hæc conclusio patet per hoc, quòd esse de Deo, dicitur ab ipso secundum substanti-

tiali-

tialitatem: sed esse ex Deo, denotat generalem principationem. Vndè patet, quòd nihil de Deo propriè dicitur, nisi quod est de eius substantia, vt Filius de Patre, & Spiritus sanctus de vtroque. Ex Deo verò dicuntur esse ea omnia, quæ quouismodo sunt ab ipso principiata, vt omnes creaturæ dicuntur ex Deo, scilicet, effectiuè, non tamen possunt dici de Deo, quia sequeretur creaturas esse consubstantiales ipsi Deo. Quod falsum est. Vltimò epilogat determinat. Et hæc de tertia, & vlt. parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVIBVS MODIS DICATVR Deus esse in rebus.

DISTINCT. XXXVII.

TEXT.

Et quoniam demonstratum est ex parte, quomodo omnia dicantur esse in Deo: Addendum videtur hic, quibus modis dicatur Deus esse in rebus, &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc trigesima septima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs demonstrauerit, quomodo res sint in Deo: consequenter in hac vult ostendere, quomodo Deus sit in rebus. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit modos veros, quibus Deus est in rebus. In secunda verò remouet falsos modos, quibus non est in ipsis, ostendens etiam Deum nec loco, nec temporis mutatione muta-

ri.

1. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter de nouo in-
cipit, & desinit esse in creaturis. Pro declaratione igitur pri
me partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis Deus sit in om-
nibus rebus creatis præsentialiter, potentialiter, & essentia-
liter: in solis tamen iustis est, tanquam in propria habita-
tione. Hanc conclusionem Magister probans, proponit Deũ
esse in omnibus rebus. Vno modo communiter per poten-
tiam, præsentiam, & essentiam. In omni natura, & essentia,
sine sui diffinitione. In oĩ loco sine sui circũscriptione. In
omni tempore sine mutabilitate sui. Alio modo specialiter
est in sanctis, quos per gratiam inhabitans, templum suum
ipsos efficit. Tertio modo dicitur specialissimè esse in homi-
ne Christo, in quo plenitudo Diuinitatis corporaliter habi-
at per gratiam vnionis. Et hunc tertium modum Magister
dimittit, eo quòd pertineat ad Tertium librum sententia-
rum. Postea Magister prædicta affirmat per auctoritates. Et
subdit postmodum, quòd quamuis Deus sit in rebus omni-
bus, non tamen credendum est ipsum quouis modo posse
mutari. Per hoc quòd in rebus immundis præsens existit,
sicut nec spiritus humanus per vnionem ipsius ad corpus le
prosum inquinatur, nec sol, quando suis radijs fœda attingit
defœdatur. Et iustos inhabitare dicitur Deus, quando tem-
poraliter in eos procedit. Alia patent in littera. Et hæc de
prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ par-
tis, ponitur ista alia conclusio. Deus solus vbiquè existens,
non variatur loco, vel temporis mutatione. Quam probans
Magister proponit primò, quod diuina natura sit in loco,
non tamen circunscribitur, vel diffinitur loco. Quod osten-
dit per hoc, quòd duplex mutatio inuenitur in natura crea-
ta. Creatura enim corporalis loco diffinitur, & circunscri-
bitur, spiritualis autem solùm diffinitur. Præterea creatu-
ra corporalis per tempus, & locum mouetur: Spiritualis au
tem per tempus solùm. Postea quærit, Vtrum mutari per lo
cum, conueniat spiritui. Et respondet, quòd transire de loco
ad locum, ita quòd diffiniatur, & non circunscribatur, hoc
conuenit spiritibus: sed transire de loco ad locum circun-
scriptiuè, eis non conuenit. Addit etiam, quòd locabile, &

circun-

circunscriptibile, & mutabile Deo non conuenit. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Deus sine sui mutatione de nouo incipit, & desinit esse in creaturis. Ista conclusio patet in textu in penult. C. huius distinctionis. Vltimò epilogat determinata. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

HIC REDIT AD PROPOSITUM, repetens superiùs dicta, vt addat alia.

DISTINCT. XXXVIII.

TEXT.

Nunc ergo ad propositum reuertentes cœpto insistamus. Suprà dictum est, quòd præscientia Dei futurorum tantùm est, sed omnium tam bonorum, quàm malorum. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimaoctaua distinctio, cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de scientia Dei secundum se, & de rebus scitis respectiuè: consequenter in hac vult agere de comparatione scientiæ ad res scitas. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo scientia Dei sit causa rerum. In secunda autem, & vltima soluendo, quandam quæstionem determinat, quæ inter præscientia Dei non auferat liberam futurorum effectuum contingentiam. Pro declaratione igitur primæ partis,

tis, ponitur hæc conclusio. Deus scientia approbationis, & beneplaciti, non est causa simpliciter omnium futurorum contingentium, sed tantùm bonorum. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum scientia Dei, vel præscientia sit causa rerum scitarum, vel econuerso. Et probat, quòd præscientia Dei sit causa rerum, quia nec aliqua futura essent, nisi ea Deus præsciuisset, & quæ præsciuit impossibile est ea non euenire. Et ad hoc probandum Magister adducit multas auctoritates, quæ patent in textu. Postea obijcit in contrarium sic, scientia Dei esset causa rerum scitarum, sequeretur Deum esse causam malorum, eo quòd mala sunt ab eo scita, & præscita: sed cõsequens est falsum: igitur illud ex quo sequitur etiam erit falsum. Nec etiam res sunt causæ scientię Dei, quia sic temporale, & creatum esset causa æterni, quod stare non potest. Et respondet Magister, quòd res scitę à Deo, nullatenus sunt causa scientię, vel prescientię Dei, nisi fortè causa sine qua non, & sic etiam intelligendę sunt sanctorum auctoritates, quibus oppositũ dici videtur, videlicet, quòd res non sunt aliter causa prę-scientię Dei, nisi causa sine qua non.i. sine quibus non diceretur præscientia. Et consequenter ponit talem distinctionem de scientia Dei, quę est, quòd scientia Dei, vel cognitio Dei potest accipi dupliciter. Vel pro simplici notitia. Et sic nullius rei propriè est causa, nisi fortè causa sine qua non. Non enim Deus quẽquam cogit peccare per hoc, quòd prę-scit eum peccaturum. Vel potest accipi pro notitia simul, & beneplacito. Et sic accepta scientia Dei, est causa rerum. Ex his patet solutio ad argumentum.s. de malo, Nam Deus nõ cognoscit malum, nisi scientia simplicis notitiæ: cùm ergo secundum hanc cognitionem, non sit causa rerum (vt diximus) consequens est, quòd Deus non sit causa mali. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Cum ineffabili præscientia Dei stat indifferens, vel libera futurorum effectuum contingentia. Quam quidem conclusionem Magister probans, arguit quòd scientia Dei sit fallibilis, & hoc sic. Si futurum contingens est præscitum à Deo, vel ergo potest aliter euenire,

nire, quàm præscitum est, vel non. Si non, ergo scientia rebus scitis necessitatem imponit, & per consequens contingentiam tollit. Si verò potest aliter euenire, quàm præscitum est, sequitur statim scientiam *Dei* esse fallibilem, & incertam. Illud Magister soluit per sensum compositum. & diuisum, dicens, quòd huiusmodi propositiones. *Impossibile* est non euenire, quod Deus præsciuit euenturum: & possibile est non euenire, quòd Deus præsciuit euenturum. Vel intelliguntur coniunctim in sensu composito. Et sic sunt falsæ, quia impossibile est præscientiam Dei esse de aliqua re eueniente simul cum contrario euentu. Vel intelliguntur seiunctum in sensu diuisio. Et sic sunt veræ, & possibiles, prout, scilicet, considerantur sine respectu ad Dei præscientiã: Et hæc de secunda, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

VTRVM SCIENTIA DEI possit augeri, vel minui, vel aliquo modo mutari: Vtrunque enim videtur posse probari.

DISTINCT. XXXIX.

TEXT.

Præterea quæri solet. Vtrum scientia Dei possit augeri, vel minui. Vtrunque enim videtur posse probari. &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Onnectitur hæc trigesimanona distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius ostenderit quomodo scientia Dei causaliter se habeat respectu rerum creaturarum: consequenter in hac agit de ipsius scientiæ immutabilitate. Dividitur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter Deus immutabiliter omnia sciat. In secunda verò subdit, qualiter Deus possit scire plura & pauciora, quàm scit sine sui mutatione. In tertia autem & ultima ostendit, Deum sua providentia omnia gubernare. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Deus unica, & invariabili scientia scit simul præsentia omnia, præterita, & futura. Quam quidem conclusionem Mag. probãs, quærit an scientia Dei possit augeri, vel minui, & consequẽter mutari. Et arguit quòd sic. Nam Deus potest hodie aliquid scire, quod nunquam ante sciuit, scilicet, aliquem legere, vel mori, qui nunquam ante legit, vel moriebatur, & per consequens eius scientia potest augeri, vel minui. Similiter scit hodie aliquid, quod nunquam postea sciet: quia scit hodie aliquem legere, quem nunquam postea sciet legere: ergo scientia eius potest quodammodo minui, & per consequens mutari, quod erat probandum. Ad quod respõdens Mag. dicit, scientiam Dei omninò esse immutabilem. Cuius ratio est, quia scientia Dei nihil aliud est, quàm diuina essentia: sed Dei essentia est omninò invariabilis, & immutabilis ergo, & eius sciẽtia omninò immutabilis est. Attamẽ aliquid potest esse subiectum scientię Dei, quod prius non fuit ei subiectũ, quia non fuit. Et potest esse iam aliqd subiectum scientiæ Dei, quod postea non erit sibi subiectũ, eo quod postea non erit. Et tamen ex hoc non sequitur scientiam Dei modo aliquo augeri, vel minui posse, & per consequens mutari, cùm sic Deus possit scire, quæ nescit, & nescire, quæ scit sine sui mutatione. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, po-

nitur ista alia conclusio. Deus scientia visionis, licèt non ex tempore, potest scire plura, quàm scit, atque pauciora sine sui mutatione. Quam probans Magister arguit sic. Si aliquid potest esse subiectum diuinæ scientiæ, quòd prius non fuit sibi subiectum, ergo Deus potest aliquid scire de nouo ex tempore. Ad quod Magister respondens, dicit, Deum posse scire quæ nescit, & quæ non vult velle absque mutatione facta in ipso. Et ideò sciendum est, quòd istę propositiones, Deus potest scire quæ nescit, & nescire quæ scit, & consimiles, possunt intelligi dupliciter. Vno modo coniunctim. Et sic intellectæ sunt falsæ. Nam ista, Deus potest scire quæ nescit, sic intellecta, designat Deum aliquid posse scire, quod nunc non scit, vel ante non sciuit. Quod est falsum. Vel tales propositiones possunt intelligi diuisim. Et sic sunt veræ. Vnde ista, Deus potest scire quod nescit, in isto sensu sumpta, est vera: quia designat Deum libertatē, & potentiam habere omnia sciendi, vel non sciendi, sicut habuit ab æterno, loquendo tamen de scientia approbationis, secundum quam omnes res sunt scibiles, & nō scibiles. Postea dicit secundum quosdam, quòd Deus potest plura scire, quàm scit, & econuerso pauciora, quàm scit, saltem secundum scientiam visionis: nec tamen per hoc scientia eius mutatur, sed mutatio fit in rebus suis. Et hęc de secunda parte sufficiant. Prò declaratione autem tertię partis, ponitur hęc conclusio. Simplici prouidentia Dei gubernantur simul omnes creaturę. Quam quidem probans Magister, ponit quandam auctoritatem beati Hieronymi super Abachuc, in qua videtur dicere, quòd Deus nō sciat omnia, & quòd sua prouidentia non sit omnium. Et respondet Magister, quòd beatus Hieron. non vult dicere, quòd Deus aliquid nesciat, sed quòd non sciat particulatim, & successiuè per temporum momenta, & quòd non ęqualiter prouideat rationabilibus, & irrationabilibus, quia rationabilia ordinat ad uitam ęternam, bruta uerò non. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVID

QVID SIT PRÆDESTINAtio, & in quo differat à præſcientia.

DISTINCT. XL.

TEXT.

Prædeſtinatio verò de bonis ſalutaribus eſt, & de hominibus ſaluandis, &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hęc quadrageſima diſtinctio cum ſuperioribus, hunc in modum. Cùm enim Magiſter ſuperiùs egerit de ſcientia Dei in generali: hic conſequenter vult agere de quadam eius ſpecie, ſcilicet, de prædeſtinatione in ſpeciali. Diuiditur pręſens diſtinctio in tres partes. In quarum prima Magiſter oſtendit quid ſit prędeſtinatio. In ſecunda verò ſubdit comparationem prędeſtinationis, & prędeſtinatorum. In tertia autem, & vltima ſubiungit quis ſit effectus tam prędeſtinationis, quàm reprobationis. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur hęc concluſio. Diuina prędeſtinatio eſt tam gratię, quàm glorię praparatio. Quam quidem concluſionem Magiſter probat auctoritate beati Aug. qua etiam oſtendit, quomodo prædeſtinatio ſe habeat ad præſcientiam, dicens, quòd prædeſtinatio præſupponit pręſcientiam, ſed non econuerſo. Cuius ratio eſt, quia Deus nihil prædeſtinauit, niſi quod ipſe ſcit ſe facturum: igitur omnis prædeſtinatio præſupponit præſcientiam, ſed non econuerſo, omne quod Deus pręſcit, eſt facturus, quia omnia mala præſcit, quæ tamen nun

quam est facturus: igitur non omnis præscientia est prædestinatio, sed magis econuerso. Et subdit prædestinationem esse solùm respectu saluandorum, præscientiam verò esse respectu reprobandorum, seu damnandorum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Numerus prædestinatorum nõ potest augeri, vel minui. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit numerum prædestinatorum esse adeò certum, quòd nullus damnandus potest saluari, neque vllus prædestinatus potest damnari. Quod probat auctoritate B. Aug. Deinde obijcit contra prædicta sic. Deus potest dare gratiam illis, quibus non dat, & subtrahere illis, quibus non subtrahit, quia alias non esset liber: ergo videtur, quòd numerus prædestinatorum augeri possit, vel minui: & per cõsequens non erit certus. Ad quod Magister respondens, dicit, quòd istæ propositiones, prædestinatus potest damnari, præscitus potest saluari; & aliæ consimiles propositiones, possunt intelligi dupliciter. Vel coniunctim, uel diuisim. Si coniunctim, tunc sunt falsæ, quia designant illum posse damnari, quem Deus præuidit saluandum, & illum posse saluari, quem Deus præuidit damnandum: quæ nunquam simul ueræ esse possunt ratione certitudinis diuinæ prouidẽtiæ. Si uerò intelligantur diuisim, tunc sunt ueræ: quia prædestinatus, uel præscitus, non consideratur ut prædestinatus, uel ut præscitus, sed ut hic homo absolutè. Et sic omnes tales sunt ueræ, quia nihil aliud denotat, nisi quòd talis homo possit damnari, & talis saluari: quod verum est, quocũque homine denotato, eoquòd quilibet inquantũ in se est, non magis se habeat ad vnum, quàm ad reliquũ. Illud cõsequenter Mag. declarat, dicens, ꝙ p̃destinatus, inquantũ p̃destinatus, nũquã põt damnari: & p̃scitus inquantũ præscitus, nunq̃ põt saluari. Postea obijcit. Si p̃destinatus, inquantũ p̃destinatus, non possit damnari: igitur cùm quilibet prędestinatus non possit non esse prędestinatus, videtur certè, ꝙ nullo modo concedendum sit, prędestinatum posse damnari. Ad quod respondens Magister dicit, quòd hęc propositio, prędestinatus non possit non esse prędestinatus, coniun

ctim

ctim intellecta, est uera; quia eius sensus est, quòd ille, qui ab eterno est prędestinatus, postea non possit nō esse prędestinatus. Cuius opposito dato, sequeretur scientiam dei esse mutabilem. Sed diuisim ipsam intelligendo est falsa; quia designat, quòd prędestinatum, quem deus ab ęterno potuit non prędestinare, iam nō posset non prędestinare, quod est falsum. Nam cùm actus diuinus non transeat in pręteritum, dicendum est ideò, quòd sicut quemlibet prędestinatum potuit ab eterno non prędestinare; ita modò potest quemlibet prędestinatum non prędestinare. In actibus autem hominum, qui transeunt in pręteritum, talis distinctio locum non habet. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hęc conclusio. Effectus prędestinationis est saluatio, & reprobationis damnatio. Quam conclusionem probat Magister diuersis auctoritatibus sanctorum, quę patent in littera. Et hęc de hac distinctione dicta sint satis.

VTRVM ALIQVOT SIT Meritum obdurationis, & misericordię.

DISTINCT. XLI.

TEXT.

Si autem quærimus meritum obdurationis, & misericordiæ: obdurationis meritum inuenimus, misericordiæ autem meritum non inuenimus. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimaprima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius determinauerit quid prædestinatio sit, & quis sit effectus eius; consequenter hic inquirit de cā ipsius. Diuiditur

 præsens

præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter prædestinatio non cadat sub merito. In secunda verò subdit, qualiter Deus, non propter merita, vel demerita futura, sed liberè ab æterno elegit, vel reprobauit. In tertia autem cõcludit, qualiter Deus omnia sciat, quæ prius sciuit. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur hæc conclusio. Prædestinatio non cadit sub meritô, sicut obduratio. Quam quidem cõclusionem Magister probans, dicit, quòd cùm dicimus obdurationem cadere sub meritô, non debemus ibi nomine obdurationis intelligere ipsam diuinam præscientiam, quæ ab æterno est, & ideò nullam potest habere causam: sed debemus per eam intelligere substractionem, vel carentiam gratiæ, quam quidam suis peccatis merentur: qualiter nõ est de prædestinatione, quæ nec quo ad illud, quod in ea æternum est, scilicet, diuinam electionem, nec quo ad illud, quod in ipsa temporale est, scilicet, gratiæ appositionem potest mereri: saltem intelligendo quo ad primam gratiam, quæ sub proprio meritô nõ existit. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Deus propter nulla merita, vel demerita futura, sed liberè ab æterno elegit, vel reprobauit. Quam quidem conclusionem Magister probans, ponit opinionẽ quorundam, qui opinati sunt, quòd propter futura merita aliqui prædestinentur, vel reprobentur à Deo. Et ad hoc inducunt auctoritates beati August. qui videtur dicere, quòd futura fides in Iacob, fuit causa suę prædestinationis: sed, (vt dicit Magister) hoc beatus Aug. postea retractauit. Tangit etiam aliam opin. erroneã, quæ habet in littera. Postremò addit, quòd reprobatio nõ est causa peccati, sicut prædestinatio eius est causa boni. Et in littera ponit expreßè sententiam huius propositionis. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis Deus omnia sciat, quę prius sciuit, non tamen prescit, quę presciuit. Quam quidem cõclusionem Magister probans, quęrit, an scientia Dei poßit diminui. Et respondet, quòd præscientia potest diminui; non autem scientia. Multa enim

Deus

Deus præſciuit, quæ modo non præſcit, quia non ſunt futura, ſed quod ſciuit, ſcit. Poſtea obiicit in cõtrarium ſic. Deus ſciuit me naſciturum, & mundum creandum, & modò neſcit: ergo non oīa, quæ ſciuit ſcit. Et reſpondet, quòd omnem rem, quam Deus ſciuit, ſcit. Et argumentum procedit directè quo ad modum ſciendi, qui importatur per enunciabilia. Et hæc de tertia, & vltima parte huius diſtinctionis dicta ſint ſatis.

DE OMNIPOTENTIA DEI, vbi prius conſideratur quare dicatur omnipotens.

DISTINCT. XLII.

TEXT.

Nunc de omnipotentia Dei agendum eſt. Vbi prima conſideratio occurrit, quomodo verè Deus dicatur omnipotens: an quia omnia poſſit, an tantùm quia ea poſſit, quæ vult. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc quadrageſimaſecunda diſtinctio, cum ſuperioribus, hunc in modum. Cùm enim Magiſter ſuperiùs egerit de ſcientia Dei: conſequēter hic incipit agere de potentia eius. Diuiditur præſens diſtinctio in tres partes. In quarum prima Magiſter oſtendit, qualiter Deus ſit omnipotens, & vnde dicatur omnipotens. In ſecunda verò ſubdit, in quo omnipotentiæ ratio conſiſtat. In tertia autem, & vltima ſoluit inducta, & confir

firmat ſententiam prius datam. Pro declaratione igitur huius diſtinctionis partium, ponuntur iſtæ tres concluſiones. Prima eſt iſta. Deus dicitur omnipotens, quia òmnia, quæ poſſunt eſſe, poteſt efficere. Secunda verò eſt iſta. Aliquem poſſe omnia, quæ vult ſe poſſe, nō videtur ad rationem omnipotentiæ ſufficere. Tertia autem eſt iſta. Deus ſimpliciter poteſt facere quicquid eſt factibile. Quas quidem concluſiones Magiſter omnes probat, determinādo hanc quæſtionem. ſcilicet. Verum Deus dicatur omnipotens. Pro cuius euidentia ſciendum eſt, quòd ſi Deus dicitur omnipotens, aut ideò ità dicitur, quia poteſt omnia ſimpliciter: aut quia poteſt tantùm, quæ vult. Quòd non dicatur omnipotens, quia poſſit omnia ſimpliciter, arguit ex hoc, quòd nō poteſt ambulare, loqui, vinci, falli, peccare, & huiuſmodi. Quòd autem Deus dicatur omnipotens, quia poteſt omnia, quæ vult, arguit diuerſis auctoritatibus Doctorum inducētium Prophetam dicentem. Omnia quæcunque voluit fecit. Et Apoſt. dicentem. Voluntati eius quis reſiſtet. Et reſpondens Magiſter, dicit, quòd Deus non ideò dicendus eſt omnipotens, quia poteſt omnia, quæ vult: quia ſi hoc ſufficeret, tunc quilibet ſanctus in cœlo poſſet dici omnipotens, eoquòd quilibet talis poteſt quicquid vult: ſed ideò Deus dicendus eſt omnipotens, quia poteſt omnia ſimpliciter, quæ cadunt ſub potentia actiua. Ad argumentum primum de ambulatione, & locutione dicit, quòd iſta potentiam Dei non euacuant: quia licèt illa omnia non poſſit in ſe Deus, poteſt tamen illa in nobis, & per nos. De peccare, vinci, falli, & mori, dicit huiuſmodi non arguere impotentiam in Deo, eoquòd talia facere non ſit potentiæ, ſed magis infirmitatis, & inſufficientiæ. Ad ſecundum argumentum, ſ. ad auctoritates, quibus probatur ideò Deum dici omnipotentem, quia poteſt omnia, quæ vult, dicit, quòd non ideò Deus debeat dici omnipotens: quia ſi hoc ſufficeret, (vt dictū eſt) tunc quilibet beatus in cœlo poſſet dici omnipotens, cùm poſſit quicquid velit. Et illæ auctoritates non aliud dicere intendunt, niſi quòd voluntas Dei non poſſit impediri. Et ſubdit poſtea, quòd licet ſolus pater dicatur omnipotens à ſe, eo quòd

à nullo

à nullo habeat omnipotentiam, filius autem, & Spiritussan ctus, non possunt dici omnipotentes à se, eo quòd omnipotentiam ab alio acceperunt, possunt tamen dici omnipotentes per se, quia per suam naturam sunt omnipotentes. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

OPINIO QVORVNDAM DIcentium Deum nil posse, nisi quod facit.

DISTINCT. XLIII.

TEXT.

Quidam tamen de suo sensu gloriantes, Dei potentiam sub mensura coartare conati sunt. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista quadragesimatertia distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister suprà ostenderit vnde Deus dicatur omnipotens: consequenter nunc in hac vult ostendere quanta possit. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Mag. ostendit, Deũ liberè posse facere, & omittere, quæ facit, & omittit, sine præiudicio iustitiæ suæ, & bonitatis. In secũda verò ostendit, Deũ plura posse, q̃ velle. In tertia aũt, & ult. concludit, ꝙ quãuis Deus alia vellet, & faceret, q̃ vult, & facit, non tñ per hoc voluntas eius esset mutabilis. Pro declaratione igitur primæ par. ponitur hæc conclusio. Deus põt talia facere, & omittere, quæ facit, & omittit, sine præiudicio suæ iustitiæ, & bonitatis. Quam quidem conclusionẽ Mag. probans, respondet ad quasdam rõnes, & auctoritates, q̃ videntur omnipotentiam diuinam limitare. Prima rõ est ista:

Deus non potest facere, nisi quod bonum, & iustum est fieri: Sed nihil est bonum, & iustum fieri, nisi quod facit: ergo non potest facere, nisi quod facit, & per consequens sua potentia limitatur. Secunda ratio est ista. Deus non potest facere, nisi quod sua exigit iustitia, sed iustitia eius non exigit, quod faciat, nisi quod facit: ergo non potest facere, nisi quod facit. Et respondet Magister dicens, istas propositiones dupliciter habere sensum. Vnum, vt iustitia, & iustum referantur ad tempus præsens. Et sic sunt falsæ, quia denotant Deum non posse facere, nisi quod iustum est modò, vel quod sua iustitia exigit modò. Vel possunt referri ad tempus confusum. Et sic sub hoc sensu, Deus non potest facere, nisi quod iustum est modò, vel quod sua iustitia exigit modò, i. quòd nisi iustum esset, Deus non faceret. Et sic sunt veræ. Tertia ratio est talis. Deus non potest facere, vel dimittere, nisi quod debeat facere, vel dimittere: ergo &c. Respondet Magister, quòd verbum hoc debet, in diuinis nõ habet locum, quia non est debitor nobis, nisi ex promissione, vel etiam quia bene ei conuenit, si faceret, vt in littera dicitur. Sunt etiam aliæ rationes, quæ patent in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Constat Deum plura posse, quàm velle, absque inæqualitate potentiæ, & voluntatis. Quam quidem conclusionem Magist. probat respondendo ad quandam obiectionem, quæ est, quia voluntas Dei, & eius potentia sunt æquales: ergo non potest, nisi quod vult. Et respondet, quòd licèt idem sunt in deo potentia, & voluntas, & quo ad hoc dici possunt æquales, tamẽ plura subsunt potentiæ, quàm voluntati in præsenti. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Et si Deus alia vellet, & faceret, quàm vult, & facit, ex eo non sequeretur in eius voluntate mutabilitas. Hanc Magister probat per sanctorum auctoritates, & dicit sanè hæc esse intelligenda, ita, scilicet, quod nulla nouitas in Deo intelligatur. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

AN

AN DEVS POSSIT FACERE aliquid melius, quàm facit.

DISTINCT. XLIIII.

TEXT.

Nunc illud restat discutiendum, Vtrum melius aliquid possit facere, quam facit, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc quadragesimaquarta distinctio cũ superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs ostenderit quanta Deus possit: hic consequẽter ostendit qualis possit. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister determinat, Vtrum Deus possit facere res meliores, quàm fecit. In secunda verò an possit eas facere meliori modo, quàm fecit. In tertia autem, & vltima determinat, an modò Deus possit omnia, quæ olim potuit. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur hæc conclusio. Deus potest totũ vniuersum, seu mundum facere meliorem. Quam quidem conclusionem Magister probãs, recitat quomodo quibusdam videbatur, Deũ non posse facere res meliors, quàm fecit, quia si potuit, & non fecit, inuidus fuit, & confirmant opinionem suam authoritate B. Aug. qua supra Magist. probauit patrem filium genuisse sibi coæqualem; cuius ratio est, quia si potuit, & noluit filium sibi coæqualem generare, tunc inuidus fuit; & sic in proposito. Et respondet Magister, quòd non est simile, eo quòd filius sit de substantia patris, & non creatura aliqua. Postea probat, quòd Deus potest facere res melio-

res, quam fecerit, & hoc sic. Si Deus non posset facere res meliores, quàm fecit, aut hoc esset, quia creatura est summè bona, quod falsum est, quia tunc creatura creatori esset æqualis. Aut quia creatura non est capax talis meliorationis: & hoc iterum non obstat, quia Deus posset dare creaturæ meliorem capacitatem, quàm fecit: & ita posset facere res meliores, quàm fecit. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Deus non ex parte sui, sed ex parte rerum potest facere quamlibet rem meliorem. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum Deus possit facere meliori modo res, quàm fecit. Et respondet, quòd si modus ad scientiam artificis referatur, tunc Deus non potest meliori modo facere mundum. Si verò modus faciendi ad rem factam referatur, tunc Deus potest æquè bona, & minus bona, & meliora facere. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio: Diuina potentia non est magis nunc limitata ad omnia faciendum, quàm vnquam fuit. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. An Deus possit quicquid potuit. Et arguit quòd non, quia potuit incarnari, & mori, quod modò non potest. Et respondet, quòd sicut omnem scientiam, quam habuit, habet & modò, non tamen eodem modo: ita respectu cuiuscunque rei, potentiam, quam habuit, habet & modò, non tamen ista potentia eodem modo se habet semper. (Sed Magister hic communiter non tenetur ab omnibus.) Vndè semper potentia Dei se extendit ad carnis assumptionem, quæ cum semel assumpta sit, non potest de nouo iterum acquiri: sed per eandem potentiam, per quam potuit incarnari, potest modò incarnatus fuisse, sicut per eandem potentiam homo potest hodie legere, & heri legisse. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

DE VOLVNTATE DEI, quæ essentia Dei est vna, & æterna, & de signis eius.

DISTINCT. XLV.

TEXT.

Iam de voluntate Dei aliquid pro sensus nostri imbecillitate dicendum est. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista quadragesimaquinta distinctio cũ superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de scientia Dei, & de eius potentia: consequenter nunc in hac distinctione incipit agere de eius voluntate. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit Magister quid volũtas Dei sit. In secunda verò docet, quomodo non debeamus quærere causam voluntatis diuinæ. In tertia autem, & vltima ostendit, quot modis accipiatur voluntas diuina. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hęc conclusio: Quãuis voluntas Dei sit idem, quod Deus, vel diuina essentia, non tamen est illa, quæ sibi, idest volũtati subditur. Quam quidem conclusionem Magister probaturus, proponit, quòd voluntas sit idem, quod diuina essentia realiter, & differens ab ipsa solùm ratione, sicut & scientia: propter quem diuersitatem aliqua attribuuntur voluntati Dei, quæ non attribuuntur essentiæ. Vndè dicitur. Deus vult omnia. Non potest tamen dici. Deus est omnia, non obstante idẽtitate volũtatis, & essentiæ. Et hæc de prima parte sufficiãt.

Pro

Pro declaratione verò secundę partis, ponitur ista alia conclusio. Non est otterenda alia causa voluntatis diuinę, cùm ipsa sit causa omnium, quæ producuntur in tempore. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd voluntatis Dei causa quærenda non est, quia sic ipsa non esset causa prima, & haberet aliquid maius se, quod est falsum: sed ipsa est causa vniuersalis omnium, non solùm quæ fiunt secundum naturalem cursum, sed etiam mirabiliter. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis voluntas Dei beneplaciti in se, sit tantùm vna, tamen voluntas signi per quinque signa distinguitur. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd voluntas Dei multipliciter nominatur. Aliquando enim accipitur propriè, secundum quòd est ipsa diuina essentia. Aliquando verò accipitur pro præcepto, prohibitione, consilio, permissione, & operatione voluntatis diuinæ: quæ omnia dicuntur voluntates Dei quia, scilicet, sunt signa voluntatis Dei: non autem ita sunt signa, quòd Deus velit huiusmodi omnia fieri, sed quia ad modum voluntatis se habent. Et subdit, quòd prima voluntas dicitur voluntas beneplaciti: aliæ verò voluntates, dicuntur voluntates signi. Et differunt in hoc, quia voluntas beneplaciti dicitur esse æterna, reliquę verò dicuntur esse temporales. Et voluntas beneplaciti semper impletur, aliæ verò non. Et hęc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

ILLI SENTENTIÆ, QVA dictum est Dei voluntatem non posse cassari, quæ ipse est, quædã videntur obuiare.

DISTIN-

DISTINCT. XLVI.

TEXT.

Hic oritur quæstio. Dictum est enim in superioribus, & auctoritatibus communitum, quòd voluntas Dei, quæ ipse est, quæ beneplacitum eius vocatur, cassari non potest. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur hæc quadragesimasexta distinctio cum superiori hunc in modum. Cùm enim Magister supra ostenderit, quid tenẽdum sit de voluntate Dei secundũ se; consequenter nunc in hac vult ostendere, quid tenendum sit de voluntate, quantum ad eius effectum. Dividitur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, volũtatem beneplaciti ipsius Dei in omnibus impleri. In secunda verò determinat, an Deus velit mala fieri. In tertia autem, & ultima concludit, omnia mala permissione Dei fieri. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Beneplacitum diuinæ voluntatis in omnibus impletur. Quam quidem conclusionẽ Magister probans, quærit. Vtrum Deus aliquid voluerit, quod factum non fuerit. Et arguit, quòd sic, quia voluit, immo vult omnes homines saluos fieri: hoc tamen factum non est, nec fit. Similiter voluit filios Hierusalem congregare, quod etiam factum non est: ergo non omnia, quæ Deus voluit, sunt facta. Et respondet Magister, quòd, huiusmodi duplici obiectione non obstante, voluntas Dei semper impletur. Et obiecta sic debent intelligi, quòd quicunque homines saluantur, uel qui de filijs Hierusalem congregantur, so la uoluntate Dei saluantur, & congregantur, sicuti etiam Ioan. 1. dicitur, Illuminat omnem hominem venientem in hunc

hunc mundum. Hoc non debet intelligi, quòd omnes ab ip-
so illuminentur, qui in hunc mundum, venerint, sed quòd
nullus veniens in hunc mundum illuminatur, nisi ab ipso.
Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò se-
cundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Deus neque vult,
neque non vult, quòd malum culpæ oriatur. Quam quidem
conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum mala fiant
Deo uolente. Circa cuius quæstionis materiam, duæ sunt
opiniones. Quarum prima est, quòd Deus vult, mala fie-
ri. Secunda est, quòd Deus vult mala non fieri. Vtraque ta-
men opinio affirmat, quòd Deus non vult mala. Postea
inducit tres rationes pro prima opinione. Quarum prima
est. Potentię omnipotentis resisti non potest: sed si Deus
nollet mala fieri, cùm tamen fiant, aliquid posset resistere
eius potentiæ, sed hoc esset inconueniens, quia nõ esset om-
nipotens: ergo inconueniens est ponere, Deum vult mala
esse, vel fieri. Secunda ratio talis est. Deus aut vult fieri,
aut non vult fieri: Sed non vult ea non fieri: ergo vult ea
fieri. Minor patet per hoc, quia si vellet non fieri, nunquam
fierent, cùm voluntati eius nihil possit resistere. Tertia ra-
tio est. Deus vult omne bonum, sed bonum est mala fieri.
Nisi enim esset bonum mala fieri, nunquam permitterentur
à Deo fieri. Ergo Deus vult mala fieri. Postea ponit respon-
siones, quæ sunt de altera opinione. Ad istas rationes, &
primò ad duas primas respondet, quòd non est concedendum
Deum velle omninò mala fieri, quia sic esset iniquus: nec
quòd velit mala non fieri, vt dicit alia opinio, quia sic mala
nunquam fierent: Sed est dicendum, quòd non vult ea fie-
ri. Et quod arguitur tertiò, quòd mala fieri est bonum, di-
cendum est, quòd non est bonum simpliciter, sed secundum
quid inquantum, scilicet, ex malis possunt elici bona: vbi et
incidentaliter dicit, quòd aliquid est bonum in se, & facien-
ti, & ei, cui fit, vt prædicare fidelibus propter Deum. Ali-
quid deinde est bonum in se, & ei, cui fit solùm, vt dare ele-
emosynam pauperi, sed non propter Deum. Aliquid tan-
dem in se est malum, & facienti, sed ex eo accidentaliter pro-
ueniunt aliqua bona, vt mala, quæ fiunt ad pulchritudinem

vniuersi.

vniuersi. Confirmat postea Magister opinionem, scilicet, quòd Deus non velit mala fieri, quia si Deo volente mala fierent, igitur fierent Deo auctore, & per consequens Deus est auctor illius, per quod homo fit deterior, quod nō est dicendum, vt patet auctoritate beati Aug. Postea arguit secundum quosdam. Omne verum, est à Deo: sed mala fieri, est verum: ergo ipsa factio mali, est à Deo. Et respondet quòd veritas, quæ est in hoc dicto, est à Deo: sed ex hoc nō sequitur, quòd ipsa res dicta, (.s. malum) sit à Deo. Et hæc de secunda par. sufficiant. Pro declaratione autē tertiæ par. ponitur hæc conclusio. Nullum malum fit, quod à Deo fieri non permittatur. Hæc conclusio patet, quia quicquid fit, Deus permittit fieri. Nisi. n. Deus permitteret mala fieri, mala nunquam fierent: quamuis ipse voluntate sua propriè, & simpliciter nolit mala fieri, vt dictum est. Et hæc de hac distinctio dicta sint satis.

QVOD VOLVNTAS DEI semper impletur de homine quocunque se vertat.

DISTINCT. XLVII.

TEXT.

Voluntas quippè Dei semper efficax est, vt fiat omne quod velit, & nihil fiat, quod nolit: quæ de homine semper impletur, quocunque se vertat. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimaseptima dist. cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magist. superiùs egerit de quibusdam, quæ diuinæ voluntatis effectum videntur impedire: consequenter nunc in hac tractat de diuinæ voluntatis efficaci adimpletione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum primo ostendit, voluntatem diuinam semper impleri. In secunda verò subdit,

quòd etiam impletur quo ad eos, à quibus peruersè impu-
gnatur. In tertia autem, & ultima concludit, quòd Deus di-
uersimodè secundum eam præcipit. Pro declaratione igi-
tur primæ partis, ponitur ista conclusio, Diuina voluntas
efficaciter in omnibus semper consumatur. Quam quidem
cóclusionem Magister probans, proponit primò, quod volũtas
Dei semper est efficax, & nihil fit contra eam, multa tam
fiunt præter eam. Et ostendit, quòd voluntas Dei semper
impletur aut de creatura, aut à creatura. A creatura imple-
tur, quando creatura benefacit. De creatura autem, qu
do Deus ordinat de mala faciente, vt vult. Postea Magister
mouet dubitationem quandam, quomodo, scilicet, aliquid
fieri possit contra Dei voluntatem, quod Aug. videtur di
cere, cùm tamẽ eius voluntati nihil resistat. Præterea qu
rit, quomodo illud, quod est contra voluntatem Dei, non fi
præter eam. Et respondet Magister dicens, quòd solutio ap
paret, distinguendo voluntatem. Nam uoluntas Dei ali
quando nominat ipsam Diuinam essentiam aliquando pr
cepta, vel prohibitiones diuinæ voluntatis: aliquando eti
permissionem significat. Contra igitur ipsam diuinam vo
luntatem, quę ipsamet est diuina essentia, nihil fit. Contra
verò præcepta, & prohibitiones, quæ sunt signa voluntatis
Dei, benè potest aliquid fieri, vt malum: præter voluntatẽ
tamen, quę Deus est, aliquid fit, vt malum, nihil tamen fie
ri potest præter eius permissionem. Et hæc de prima parte
sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur
ista alia conclusio. Diuina voluntas efficaciter impletur,
& consumatur quo ad eos, à quibus peruersè impugnatur.
Quam conclusionem probat Magister auctoritatibus san
ctorum, quę videntur dicere, quòd mali voluntati diuinæ
resistentes, ei obsequuntur. Et hæc de secunda parte suffi-
ciant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc
conclusio Non omnia, quæ Deus præcepit, vel prohibuit,
ita fieri voluit. Patet hæc conclusio ex eo, quòd Deus aliqu
ex aliqua ratione, aliquid fieri noluit, sed ad modum volen
tis se habuit, ut patet per exempla scripturæ in littera. Et
hæc de hac distinctione satis dicta sunt.

QVOD

QVOD ALIQVANDO HOMO bona voluntate aliud vult, quàm Deus: & aliquando mala, id quod Deus bona voluntate vult.

DISTINCT. XLVIII.

TEXT.

Sciendum quoque est, quòd aliquando mala est voluntas hominis idem volentis, quod Deus vult fieri, & aliquando bona est voluntas hominis aliud volentis, quàm Deus. &c.

EXPOSITIO.

CОnnectitur ista quadragesima octaua, & vltima distinctio huius primi libri cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs ostenderit, quomodo voluntas Dei semper efficaciter adimpleatur: hic modò finaliter ostendit, quomodo se habeat voluntas nostra in conformitate ad diuinam. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Mag. ostendit, quòd voluntas nostra bona, non semper conformatur diuinæ in volito. In secunda verò subdit, quòd aliquando voluntas nostra mala, conformatur diuinæ in volito. In tertia autem, & vltima ostēdit, quòd aliquādo sine culpa possumus idem volitum diuersis respectibus uelle, & nolle. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Non omnis uoluntas non uolens, quod Deus vult, est

mala. Quam quidem conclusionem Magister probans, ponit exemplum de bono filio, qui velit patrem suum viuere, quem tamen Deus bona uoluntate vult mori. Ideò quamuis ibi voluntas filij naturaliter nolit, quod vult Deus, non tamen propter hoc dici potest mala. Et hæc de primi parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur, ista alia conclusio. Non omnis voluntas quæ vult, quod Deus vult, est bona. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit, quòd aliquando est mala voluntas hominis volentis idem, quod Deus vult, sicut voluntas mali filij uolentis patris mortem, quam tamen etiam deus vult. Ideò primus habet voluntatem pietati conformem. Secundum verò dicimus esse impium. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autē tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Idem uolitiuum diuersis respectibus sine quacunque culpa possumus uelle, & nolle. Quam quidem conclusionem probans Magister, proponit, quòd uoluntas Dei bona per malas uoluntates hominum adimpletur, sicut fuit in morte Christi. Volebat enim Deus Christum mortem sustinere, sed non impiè Iudęos inferre. Postea mouet circa hoc obiectionem, & soluit. Deinde dicit, quòd passio Christi sanctis placebat, non inquantum fuit pœnalis, sed inquantum fuit salutifera. Similiter passiones sanctorum possunt diuersis causis sanctis placere, & displicere: placere inquantum salutiferæ, displicere, inquantum pœnales. Et de hæc de hac ultima distinctione huius primi libri dicta sufficiant.

Explicit Primi Libri Sententiarum Expositio.

LIT TE-

LITTERAE SECVNDI LIBRI

MAGISTRI SENTENTIARVM EXPOSITIO.

DE RERVM CORPORALIVM, & ſpiritualium creatione, & formatione, alijsq; pluribus eò pertinentibus.

VNVM ESSE RERVM PRINcipium oſtendit, non plura, vt quidam putauerunt.

DISTINCT. I.

TEXT.

Creationem rerum inſinuans ſcriptura, Deum eſſe creatorem, initiumq; temporis, atque omnium viſibilium, vel inuiſibilium creaturarum, in primordio ſui oſtendit, dicens. In principio creauit Deus Cœlum, & terram. &c.

EXPOSITIO.

Onnectitur iſte ſecundus Liber Sententiarum cum primo, hunc in modum. Cùm enim Magiſter ſuprà in primo libro egerit de rebus fruibilibus. i. Diuinis perſonis: conſequenter nunc in hoc ſecundo agit de re-

bus vtibilibus, scilicet, creaturis. Diuiditur iste liber in duas partes principales. In quarum prima Magister agit de creatione vniuersi in generali. In secunda verò de partibus eius in speciali. Ista autem prima distinctio huius secundi libri diuiditur in tres partes. In quarum prima Magister agit de exitu creaturarum à suo principio, ostendens omnium vnum esse principium. In secunda verò ostendit causam, propter quam Deus creauerit omnia visibilia, & inuisibilia, specialiter ipsum hominem. In tertia autem, & vltima incidentaliter determinat, quare animæ humano corpori sint vnitæ. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio, Deus in principio temporis creauit cœlum, & terram præter sui mutationem. Quam quidem conclusionem Magister probat per illud Gen. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Vndè elicimus Deum vnicum esse principium creatiuum tam visibilium, quàm inuisibilium creaturarum. Ex quo etiam infert Magister sancti Moysis auctoritatem elisisse errorem Platonis, & Aristotelis. Nam Plato posuit tria principia fuisse ab æterno increata, & sine principio, scilicet, Deum, exemplar, & materiam primam, & per consequens nō posuit Deum esse creatorem mundi, sed opificem, seu factorem. Quam positionem, siue errorem excludit Magister ex verbo creandi, siue creare; & ex hoc verbo faciendi, siue facere. Nam dicit, q creare est aliquid ex nihilo facere, facere verò est aliquid ex præiacenti materia producere. Deindè, ne aliquis credat mundi creationem in Deo temporalem ponere mutationem, dicit, quòd verba temporalia de Deo dicta, cuiusmodi sunt creare, facere, agere, & gubernare, nullam significant, seu ponunt in Deo nouitatem, seu mutationē, sed solùm nouum effectum connotant circa creaturam. Quare etiam operatio Dei non propriè debet dici actio, eo quòd agens per eam non agitatur, seu mouetur. Immo sicut ex calore solis aliqua noua fiunt, nulla facta mutatione in ipso calore: ita ex Dei voluntate creaturæ esse incipiunt, nulla mutatione facta in ipso Deo. Deinde excludit errorem Aristotelis, qui similiter posuit plura principia, scilicet materiam,

for-

formam, & principium efficiens, qui etiam posuit mundũ fuisse ab æterno, Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Deus non pro sui, sed pro creaturarum vtilitate fecit specialiter rationales creaturas ad participandum fruitionem suæ Diuinitatis. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, ꝙ causa creationis rerum fuit, & est sola bonitas creatoris communicari potens, & volens, & minui non potens. Alia patent in littera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc cõclusio. Deus humanam animam corpori vniri voluit, non solũm, ut per talem vnionem beatificam fruitionẽ sibi possibilem crederet, sed etiam vt glorificationem sibi acquireret per animæ in corpore exercitationem. Quam quidem conclusionem Magister probans, assignat triplicem rationẽ, quare, scilicet, anima rationalis corpori vniatur. Prima est, quia sic Deo placuit fieri. Secunda est, quia hoc fieri conueniit in signum futuræ beatitudinis (vnio enim Spiritus cum carne repræsentat possibilem fore vnionẽ animæ ad deũ) Tertia ratio est, quia anima huic corpori mortali vnita, potest proficere, & peruenire ad maius meritum, quàm si separata mansisset. His præmissis, concludit Magister, quòd circa triplex genus naturæ in isto secundo libro sua intentio versatur, scilicet, circa creaturam spiritualem corpori non vnitam, cuiusmodi est Angelica natura. Secundò circa spiritualem corpori vnitam, cuiusmodi est anima rationalis. Tertiò circa corpoream naturam tantùm. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

QVÆ CONSIDERANDA sunt de Angelica natura.

DISTINCT. II.

TEXT.

De Angelica itaque natura hæc primò consideranda sunt, quando creata fuerit, & vbi, & qualis facta sit dum primum conderetur. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur hæc secunda distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in superiori distinctione egerit de creatione vniuersi in communi: consequenter nunc incipit agere de partibus eius in speciali, & primò de creatura spirituali corpori non vnita, scilicet, Angelo, vt facit in præsenti distinctione. Diuiditur ista distinctio in tres partes. In quarum prima Magister determinat, Vtrum Angeli sint primò creati. In secunda verò subdit eos in cœlo Empyreo fuisse creatos, & collocatos. In tertia autem, & vltima agit de eorum, & qualitate, affirmans eos secundum quid informes productos. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Angelica natura non tempore, sed dignitate naturæ ante omnia corporalia est producta. Quam quidem conclusionē Magister probaturus, proponit in medium quandam controuersiam, quæ est ista. Dicitur Eccl. 1. Omnium primo creata est sapientia. i. Angelica natura, quia illud non potest intelligi de sapientia æterna, vel increata, cuiusmodi est filius in diuinis, vt deducitur in littera. Huius tamen oppositum Magister arguit per illud Gen. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Per quam auctoritatem videtur probare, quòd cœlum, & terra sunt prius creata, quàm Angelica natura. Quam quidem controuersiam, Magister soluit, dicens, quod Angelica natura, & omnia corporalia simul sunt creata,

quod

quod probat per illud Eccl. 18. Qui viuit in æternum creauit omnia simul. i. simul tempore. Et idem confirmat auctoritate beati Aug. quæ habetur in littera. Et postea inducit alias auctoritates, quibus probat Angelicam naturam, Cœlum Empyreũ, tempus, & materiam quatuor elementorũ confusam simul fore creata tpe, & vnũm alterum duratione tpis non præcessisse, licet Angelica natura prius bene dicatur creata dignitate naturæ. Postea soluit quandam auct. Hier. quæ uidetur contraria. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Angelica natura dicitur fuisse creata in cœlo Empyreo. Quam quidem conclusionem Mag. probans, dicit, quod ideò Angeli dicuntur creati in cœlo, quia, s. de cœlo corruisse leguntur, & illud cœlum non est firmamentũ, quod uideamus, sed cœlum Empyreum, uel igneum à splẽdore sic nominatum. Quòd confirmat per auctor. vt in littera dicitur. Et hæc de secunda par. sufficiant. Pro declaratione aũt tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Tam creatura uisibilis, i. corporalis, quàm etiam inuisibilis, i. spiritualis, fuit quodammodo informis producta. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit quòd materia rerum uisibilium, & inuisibiliũ natura, fuerunt simul condita, & vtraq; informis, sed ñ aliter, & aliter. Nam materia rerũ corporalis dicitur informis creata, quia, s. habuit formã confusam prius quàm fuisset formata, & distincta per species, ut infra patebit. Spiritualis uerò etiam dicitur informis producta, quia licet fuerit formata in sua conditione secundum habitum naturæ, fuit tamen informis secundũ habitum gratiæ, per quem habuit perfici, & informari. Postea Mag. quærit, si omnes Angeli fuerunt in cœlo creati; vt prædictum est, quod, & quale fuit tunc cœlum; in quod Lucifer ascendere uolens, peccauit, dicendo illud Esai. Ascendam in cœlũ, & similis ero altissimo? Quod soluens Mag. dicit, quod per cœlum, nõ debet intelligi quodcunque corporale, sed diuina celsitudo, ut sensus auctoritatis sit. Ascendam in cœlum. i. ad æqualitatem Dei. Et hæc de tertia, & ult. parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVA-

QVALES FACTI FVERINT Angeli : & quòd quatuor eis attributa sunt in ipso initio suæ conditionis.

DISTINCT. III.

TEXT.

Ecce ostensum est vbi Angeli fuerint mox, vt creati sunt. Nunc consequens est inuestigare, quales facti fuerint in ipso primordio suæ conditionis, &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista tertia distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de creatione Angelòrum, quo ad conditiones extrinsecas: hic consequenter incipit agere de eadem, quo ad conditiones eorum intrinsecas. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit perfectiones Angelorum naturales, quas in principio suæ creationis acceperunt. In secunda verò subdit, Angelos in sua creatione omni culpa caruisse. In tertia autem, & ultima ostendit qualem cognitionem habuerint naturalem. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur ista conclusio. Angeli in principio suæ creationis differenter acceperunt simplicitatem essentiæ, distinctam subsistendi personalitatem, intelligendi perspicacitatem, & arbitrij libertatem. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit, quod quatuor

tuor sunt circa creationem Angelorum consideranda, quæ in principio suæ creationis acceperunt. Quorum prima duo pertinent ad eorum substantiam, cuiusmodi sunt essentiæ eorum immaterialis simplicitas, & distinctio personalis. Tertium verò spectat ad eorum formam, scilicet, intelligendi perspicacitas. Quartum verò spectat ad eorum potestatem, scilicet, volendi libertas. Hæc quatuor omnes Angeli in sua creatione acceperunt, non tamen æqualiter, sed dispares in his creati fuerunt. Vndè infert, quòd sicuti differentem naturam in Angelis sequitur differens cognitio: ita etiā differens gratiæ collatio, & differens arbitrij libertas. Alia clarè patent in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Angeli nulla malitia cuiuscunque culpę in sua creatione fuerunt depravati. Quamquidem conclusionem Magister probans, quærit, Vtrum Angeli creati sint boni, vel mali. Et vtrum aliqua morula inter eorum creationem, & lapsum extiterit. Ad quas quæstiones simul respondens, recitat opinionem quorundam dicentium Angelos fuisse creatos malos, nec fuisse moram inter eorum creationem, & lapsum. Quod confirmant auctoritate Euangelii Ioannis, vbi Christus dicit diabolum homicidam fuisse, & in veritate non stetisse. Et auctoritate Iob dicentis, quòd Diabolus est initium figmenti Dei ad illudendum ei. Confirmant illud auctoritate beati Aug. qua etiam probant Angelos, qui perstiterunt, fuisse creatos perfectos, & beatos. Postea recitat aliam opinionem primæ contrariam, quæ dicit, omnes Angelos fuisse creatos bonos, & iustos, quantum ad carentiam mali, & iniustitiæ, sed non quantum ad gratiam cōsumatam, & dicit etiam moram fuisse inter creationem, & lapsum. Quam opinionem confirmat auctoritate beati Aug. & approbat eam hac ratione, quæ est, quòd cū Deus sit optimus, non potest mala creatura per ipsum produci; immo si Angelum malum creasset, nequaquam malum ipsius puniret. Deinde soluit auctoritates pro alia opinione allegatas, dicens, quòd Diabolus dicitur initium figmenti Dei, eo quòd Deus prævidit eius casum, & quando ipsum fecit,

fecit, prævidit quanta bona de eius malitia prouenirent, cùm scilicet, sancti ad eius tentationes proficerent. Similiter dicit ipsum in veritate non stetisse, quia à veritate cecidit, à qua non cecidisset, si in veritate creatus non fuisset. Dicit etiam ipsum homicidam fuisse ab initio, quia statim post initium temporis apostatauit, & seipsum occidit. Vel dicitur homicida ab initio conditionis hominis, quem per fallaciam seducendo, occidit. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista cõclusio. Angeli mox creati naturali cognitione sui, & creatoris, nec non cæterarum creaturarum, (licèt non meritoriè) erant decorati. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd omnes Angeli à principio suæ creationis, cognouerunt Deum, se, & cæteras creaturas. Intellexerunt enim quid appetendum, & quid respuendum foret; & tam boni, quàm mali notitiam habuerunt. Similiter Deum, & se dilexerunt quadam naturali dilectione, nõ tamen meritoriè, quia radix meriti, scilicet, gratia, adhuc eis non erat addita. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

AN PERFECTOS ET BEAtos creauit Deus Angelos, an miseros, & imperfectos.

DISTINCT. IV.

TEXT.

Post hæc videndum est. Vtrum perfectos, & beatos creauit Deus Angelos, an miseros, & imperfectos, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur iſta quarta diſtinctio cum ſuperiori, hunc in modum. Cùm enim Magiſter ſuperiùs oſtenderit, quales creati ſint Angeli quantum ad dona gratuita: hic cõſequenter oſtendit, quales creati ſint, quantum ad dona perfecta. Diuiditur præſens diſtinctio in tres partes. In quarũ prima Magiſter determinat, an Angeli fuerint creati beati, vel miſeri. In ſecunda verò an Angeli mali ſui lapſus, & boni ſuæ confirmationis fuerint præſcij. In tertia autem & vltima determinat, an fuerint perfecti creati. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc concluſio. Angeli pro-[illegible] miſeri fuerunt creati. Quam quidem concluſionem Magiſter probans, quærit. Vtrum Angeli ſint creati beati, vel miſeri, perfecti vel imperfecti. Et reſpondens dicit, quòd nulli Angeli ſunt creati miſeri, vel beati. Quòd non miſeri, patet, quia dato quòd ſic, hoc videtur maximè verum eſſe de Angelis malis: ſed illi non fuerunt miſeri creati, quia non fuerunt creati in peccato, quod quidem peccatum ſolùm miſeria conſequitur. Quòd etiam ipſi Dæmones non fuerint creati beati, patet ex hoc, quòd non habuerunt certitudinem ſui ſtatus, nec ſuum caſum præſciuerunt. Quòd etiam beati Angeli, non fuerint creati beati, patet ex hoc, quòd ante lapſum nulla fuit diſtinctio bonorum Angelorum à malis, & tam boni, quàm mali fuerunt incerti ſui ſtatus, licet dicat Auguſt. bonos ſuum ſtatum præſciuiſſe, & non malos. Quod tamen Magiſter dicit beatum Auguſtinum potius dixiſſe inquirendo, quàm aſſerendo. Et hæc de prima parte ſufficiant. Pro declaratione verò ſecundæ partis, ponitur iſta alia concluſio. Angeli, videlicet, mali ſuſt caſum, & boni ſuam confirmationem nõ præſciuerunt. Quę concluſio nulla indiget probatione, cùm ex prædictis dē ſe pateat. Et hæc de ſecũda ſufficiant. Pro declaratione aũt tertiæ partis, ponitur hęc cõcluſio. Angeli tam boni, q̃ mali aũ confir-

confirmationem bonorum, & lapsum malorum omnẽ perfectionem pro illo tempore eis congruentem habuerunt. Quam quidem conclusionem Magister probans, respondet ad secundam quæstionem, scilicet. Verùm Angeli sint creati perfecti, vel imperfecti. Pro cuius euidentia Magister ponit triplicem perfectionem. Quarum prima attenditur secundum tempus. Secunda uerò secundùm naturam. Tertia autem secundum vniuersalem omnium bonorum abundantiam. Primam habuerunt omnes Angeli mox creati, Secundam, quę includit omne illud, cuius natura capax est, non habuerunt mox creati, sed illam acceperunt in eorum confirmatione. Tertiam verò nemo habet, nec habere potest prӕter solùm Deum. Ex qua distinctione Magister cōcludit Angelos quodammodo fuisse perfectè creatos, scilicet, quo ad perfectionem temporis illos, & quodammodo non perfectos, scilicet, quo ad perfectionem naturę; sed nullo modo perfectos, quo ad tertiam perfectionem vniuersalem, quæ includit omnium bonorum abundantiam, quæ solius Dei est. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

DE CONVERSIONE, ET Confirmatione stantium, & auersione, & lapsu cadentium.

DISTINCT. V.

TEXT.

Post hæc consideratio adducit inquirere quales effecti sint dum diuiderentur auersione, & conuersione, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur hæc quinta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de creatione Angelorum communi; consequenter hic agere incipit de eorum conuersione, & auersione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo per auersionem, & conuersionem Angeli facti sunt boni, vel mali. In secunda verò subdit, quę nam fuerit illa gratia, quæ eis superaddita fuit ad actum cõuersionis eorum. In tertia autem, & vltima ostendit, quomodo beatitudinem meruerint. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Sicut aliqui Angeli per superbiã auersionem facti sunt mali, & excæcati: ita alii per charitatem cõuersione facti sunt boni, & illuminati. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd quidã Angelorum post eorum creationem ad Deum conuersi, & sibi per charitatem adhærentes, illuminati sunt per gratiã. Alii verò auersi, & Deum odio habentes, excæcati fuerunt, non quidem ex malitiæ immissione, sed gratiæ desertione. Quæ quidem conuersio iustos fecit, & auersio iniustos. Et subdit quòd tam causa conuersionis, quàm auersionis fuit libertas arbitrii, per quam quidam ipsorum bonum, alii verò malum elegerunt. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Angelis bonis, ad hoc ut conuerterentur in Deum, nõ fuit apposita gratia operans, sed cooperans. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum Angelis bonis, ad hoc vt conuerterentur, apposita fuerit gratia. Et respondens Magister, dicit, quòd eis fuit apposita gratia cooperans, sed non operans: cuius ratio est, quia gratia operante, quæ est idem quod iustificatio impii non indiguerunt, eo quòd mali non erant: sed indiguerunt gratia cooperante, seu promouente eos ad conuertendum se ad deũ, & hæc gratia iuuat ad perficiendum bonum. Et subinfert, quòd quamuis ipsa gratia cooperans in potestate cadentis

Ange-

Angelorum non fuerit, tamen imputatur ipsis ad culpam quia ipsam non recipientes, auersi sunt; eóquòd ipsam habere poterant, & apposita eis fuisset, si perstitissent. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Angeli per cooperantem gratiam eis in conuersione appositam, non antecedenter, sed consequenter beatitudinem meruerunt. Quam Magister probans, quærit. Verùm Angeli boni in ipsa sua confirmatione beati fuerint. Et Verum ipsa sua conuersione beatitudinem meruerint. Primum istorum quæsitorum Magister simpliciter concedit. Sed circa secundum recitat duas opiniones, dicens, quosdam dicere Angelos suam beatitudinē in ipsa eorum conuersione ad Deum meruisse, ita quòd meritum, & præmium simul, & semel in eis fuerunt. Alios autem dicit opinatos fuisse, quòd beati[illegible] quam in ipsa conuersione acceperunt, per obsequia, quæ faciunt, & præstiterunt hominibus, meruerunt, & merentur, ita quòd præmium præcessit meritum. Quam opinionem videtur Magister fouere. Sed hic Magister non tenetur communiter ab omnibus. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

QVOD DE MAIORIBVS & minoribus quidam ceciderunt: inter quos vnus fuit celsior, scilicet, Lucifer.

DISTINCT. VI.

T E X T.

Præterea sciri oportet, quoniam sicut de maioribus & minoribus quidam perstiterunt: ita de vtroque gradu quidam corruerunt, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista sexta distinctio cum superiori, hunc in modum, cùm. n. Magist. superiùs egerit de auersione, & conuersione bonorum, & malorum Angelorum: cõsequenter nunc in hac vult agere de consequentibus auersionem malorum, quantum ad casum eorum localem. Diuiditur presens distinctio in tres partes. In quarũ prima Magister ostendit, qualiter Angeli mali per peccatum proiecti sunt in hunc aerem caliginosum. In secunda verò subdit, qualiter vsque ad Diem iudicij debeat esse inter eos ordo prælationis. In tertia autem, & vltima ostendit confusionem ipsorum, cùm vincuntur in tentationibus hominum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio Lucifer supremus Angelus, & alij nonnulli de singulis ordinibus sibi assentientes, superbè æqualitatem Dei appetendo, corruerunt, & in isto caliginoso aere sunt incarcerati. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit, quòd Angeli peccantes, de singulis ordinibus ceciderunt, inter quos primus peccans, & maioris dignitatis existens creditur fuisse Lucifer: qui considerans eminentiam dignitatis suæ, in superbiam elatus est, & per cõsequens de cœlo in tenebras cum suis socijs descendisse dicitur. Quòd probat per multas auctoritates. Et subdit, quòd meritò pro tanti peccati malitia omnes illi in hunc caliginosum aerem sunt detrusi. Nam locus cœlestis propter sui claritatem, eis nõ competebat, nec terra, ne nos nimis infestarent: sed sunt in aere caliginoso in signum tenebrarum peccati, quod in eis est, & ob exercitium nostrum, vt nos tentent. Post diem verò iudicij simpliciter detrudentur in infernum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista cõclusio. In Angelis bonis, & malis vsq; ad diem iudicij, sunt permanentia officia plationis, & subiectionis. Quam quidem conclusionem Mag. ponẽs, dicit, quòd inter Angelos tam bonos, quam malos vsq; ad finem mundi, est ordo plationis: quia qui maioris sunt scien

tiæ inter eos, maiorem habent prælationem, & à tali prælatione quandoque denominantur, vt qui præest vni prouinciæ, dicitur princeps prouinciæ: qui verò præest vni homini, dicitur Angelus hominis illius: qui verò vni vitio, vtpotè quia de illo maximè tentare permittitur, ab illo denominatur, vt aliquos dicimus spiritus superbiæ, alios verò spiritus luxuriæ. Postea quærit. Verum aliqui Dæmones sint iam in inferno. Et respondens, dicit, quòd sic, ad puniendum malos, siue ad puniendum animas damnatorum. Aliqui enim quotidiè illuc descendunt deducendo animas damnatorum ad supplicium. Deinde incidentaliter de Lucifero dicit, quòd dicitur esse in inferno, secundum illud Apocal. Cùm consumati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exiet, & seducet gentes. Vndè dicit aliquos fuisse opinatos, quòd Lucifer fuit ille, qui tentauit, & vicit nostros primos parentes: Sed postquam Christum in deserto tentans victus extitit, simpliciter fuit religatus in inferno, tempore verò Antichristi iterum exiturus. Alij autem dicunt, quòd statim cùm peccauit, propter peccati sui magnitudinem, in infernum detrusus fuit, & tempore Antichristi dicitur soluendus, quia tunc dabitur ei maior potestas tentandi, quam modo non habet. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Dæmones amittunt facultatem tentandi in illis vitijs, in quibus, à sanctis hominibus publicè viuentibus semel fuerint perfectè superati. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd ea debet intelligi de eodem vitio, & non simpliciter, saltem secundum opinionem aliquorum: vt, videlicet Diabolus victus ab eo, quem tentabat de luxuria, nunquam postea suum victorem tentabit de luxuria. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVOD BONI ANGELI á Deo sunt cõfirmati per gratiam, vt peccare non possint, & mali ita obdurati in malo, vt benè viuere nequeant.

DISTINCT. VII.

TEXT.

Suprà dictum est, quòd Angeli qui perstiterunt, per gratiam confirmati sunt, & qui ceciderunt, à gratia Dei deserti sunt, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista septima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de pertinentibus ad casum Angelorum localem: consequenter agere in hac vult de pertinentibus ad eorum casum spiritualem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarum prima Magister ostendit, qualiter liberum arbitrium etiam post lapsum ipsi Angeli retinuerint. In secunda verò ostendit, qualiter intellectus viuacitatem post casum non amiserint, & qualiter nõ possint creare, licèt aliquod mirabile faciant. In tertia autem, & ultima ostendit, qualiter Angeli mali plura mala facerent, quàm faciunt, nisi Deus prohiberet eos illa facere. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista cõclusio.

Quamuis Angeli boni, ita sint confirmati in gratia, quòd nullo modo possint peccare, & mali ita in malitia obstinati, quòd non possint benefacere; hoc tamen minimè alicui aufert liberum arbitrium. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd nec mali Angeli post peccatum possunt benefacere, nec boni post eorum confirmationem possunt peccare. Contra quod dictum obijciens, dicit, q si boni Angeli non possunt peccare, ergo non habet liberum arbitrium: tenet consequentia per dictum beati Hieronymi dicêtis, quòd omnis creatura habens liberum arbitriu, est vertibilis in bonum, & malum. Cui obiectioni respondens, dicit, quòd quamuis boni Angeli peccare non possint, non tamen propterea sunt minus liberi, quia nô coactè, sed libere, & spôtaneè, & immutabiliter bonum eligunt, & hoc ex gratia confirmante, non à natura. Per quod soluit dictum beati Hier. dicens, ipsum loqui de libero arbitrio gratia non confirmato, sed præcisè in sua natura considerato. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis ponitur ista, alia conclusio. Quamuis Angeli mali, in quibus est naturalis cognitionis perspicacitas, aliqua noua mirabilia faciant, per hoc tamen probari non potest, ipsos habere creandi facultatem. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit Dæmones habere triplicem scientiam, scilicet, vnam ex subtilitate naturę, aliam ex temporum experientia, tertiam verò ex bonorum Angelorum reuelatione. Et hoc probat auctoritate Isid. & beati Aug. & subdit, quòd dæmonum sciêtia, & arte, fiunt artes magicę: Deo tamen volente talia permittere, vel ad fallendum fallaces, vel admonendum fideles, vel ad probandum iustos, & probos. In quibus quidem artibus magicis, materia rerum visibilium, non seruit Dęmonibus ad nutum, sed solùm inquantum Deus permittit. Et infert, quòd quamuis Dæmones quandoq; aliqua noua, & mirabilia, Deo permittente, operentur, seu faciant; non tamen propter hoc dicendi sunt creatores: quia illi noua, quæ producunt, non nisi ex rerum virtutibus à Deo eis inditis, quasi ex quibusdam seminibus occultis, educunt: & ad talium productionem

tantùm

tantùm instrumentaliter quodammodo se habent, sicuti Agricolæ ad fructuum productionem, & prædicatores ad illuminationem mentium. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Dæmones multò maiora mala, & plura possent facere, quàm faciunt, nisi Deus, & Angeli boni eos talia facere prohiberent. Quam quidem conclusionem Magister probat per hoc, quòd Mag. Pharaonis, ita benè potuissent ministerio Dæmonum fecisse cinifes, sicut fecerunt ranas, nisi Deus prohibuisset eos talia facere, & operari. quid autem naturaliter possint, nos ignoramus. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

VTRUM ANGELI OMNES corporei sint, quod quibusdam visum est, quibus Aug. consentire videtur dicens, Angelos omnes ante casum habuisse corpora tenuia, & spiritualia, sed in casu mutata in deterius malorum corpora, vt in eis possent pati.

DISTINCT. VIII.

TEXT.

Solet etiam in quæstione versari apud Doctos. Vtrum Angeli omnes boni, scilicet, & mali, corporei sint, idest, corpora habeant sibi vnita. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista octaua distinctio cum superiori, hunc in modũ. Cùm enim Magister superius egerit de Angelis, quo ad eorum casum localem, & spiritualem: consequenter hic de eis agit, quo ad corporum assumptionem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima determinat Magister, an Angeli habeant corpora sibi vnita. In secunda verò an Deus aliquando in formis corporalibus appareat. In tertia autem, & ultima determinat, an dæmones intrent corpora hominum substantialiter, & eorum animabus illabantur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Angeli non sunt corporei, quamuis corpora sibi assumant aerea, ut aliquod opus ministeriale circa nos adimpleant. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum Angeli naturaliter sint corporei. Et respondet, quòd quidam opinati sunt eos habere corpora aerea, quæ in Dæmonibus ante peccatum fuerunt subtiliora, & puriora, & impassibilia; post peccatum autem facta grossiora, & etiam ab igne corporali possibilia: & hoc confirmant auctorit. B. August. Alij verò dicunt, eos naturaliter esse incorporeos, & beatũ Aug. allegatum incontrarium dicunt magis locutum fuisse inquisitiuè, quam determinatiuè. Et subdit, quòd licèt Angeli incorporei assumant quandoque corpora ad operandũ aliquid uisibiliter circa nos, tamen post operis completionem illa deponunt. Vndè in talibus corporibus, hominibus pluries apparuerunt, & locuti sunt aliquàdo in persona Dei, aliquando autem in persona alicuius personę diuinæ. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Deus aliquando in formis corporalibus apparuit. Hanc probat Magister auctoritate B. Aug. Vndè mouet quæstionẽ circa hęc, scilicet. Vtrum Deus corporaliter apparens, de nouo semper creauit illud corpus, in quo apparuit. Vel vtrum Angeli corporaliter apparentes, ex inferiori materia forment corpora,

pora, quæ sibi coaptant tanquam vestem. Vel vtrum sua propria corpora mittant in quales species uoluerint secundum datam à Deo eis potestatem. Quam quæstionem Magister relinquit insolutam. Postea dicit, quòd diuina essentia nunquam potuit, nec potest uideri, ut est, quia omne uisibile mutabile est: Cùm ergo diuina essentia penitus sit immutabilis, consequens etiam est, quòd omninò sit inuisibilis. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autē tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Spiritus maligni per quendam effectum malitiæ possunt quandoque illabi hominibus, non tamen illapsu essentiali. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum Dæmones, siue sint corporei, siue incorporei, intrent substantialiter corpora hominum, & eorum animabus illabantur, uel solum per malitiæ effectum. Et respondens Magister dicit, quòd solus Deus menti humanæ illabitur per essentiam. Diabolus autem solùm per effectum malitiæ. Quod probat auctor. Aug. & etiam Bedæ, ut in littera uidere est. Et hæc de hac distin. dicta sint satis.

DE ORDINVM DISTINctione qui, & quot sint.

DISTINCT. IX.

T E X T.

Post prædicta superest cognoscere de ordinibus Angelorum quid scriptura tradat, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista nona distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit

rit de communi Angelorum creatione, & bonorum, & ma lorum distinctione cõsequenter in hac in speciali incipit tra ctare de bonorum dignitate, & comparatione. Dividitur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima osten dit numerum ordinum, & nominationem. In secunda verò ostendit, qualiter in eorum creatione erant indistincti, & inordinati. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter ho mines, qui saluantur, ad ordines Angelorum assumantur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclu sio. Nouem sunt Chori, seu ordines Angelorum in tribus Hierarchijs secundum Dona nominatim distinctorum. Quam probans Magister, dicit, nouem esse ordines Ange lorum tribus ternarijs, quos Hierarchias vocamus, distin ctos: ita quòd quilibet ternarius seu Hierarchia tres conti neat ordines: quorum ordinum, tres sunt superiores, scili cet, Seraphin, Cherubin, & Troni. Tres verò sunt medij, Dominationes, Principatus, & Potestates. Tres autem sunt infimi, & inferiores, vtpote Virtutes, Archangeli, & Ange li. Postea declarat quid sit ordo. Et dicit, quòd ordo sit mul titudo spirituum Cœlestium, qui inter se in aliquo gratiæ munere assimilantur: sicut & in Donorum naturalium par ticipatione conueniunt. Sicut exempli gratia. Seraphin conueniunt in charitatis ardore. Cherubin in scientiæ ple nitudine. Et sic omnes, qui sunt eiusdem ordinis, conue niunt in illo, quod illi ordini est proprium. Quod autẽ cui que ordini sit proprium, ostendit Magister in litera. Et sub dit, quòd Angelis conueniunt nomina, non propter eos, sed propter nos, vtscilicet, per huiusmodi nomina nobis inno tescant. Vndè singuli ordines nominantur à donis gratia rum, in quibus superiores inferiores præcellunt, quod sic intelligendũ est: non ꝙ ordinem gratiæ, a quo superior de nominatur, inferior nõ habeat; sed ꝙ tam excellenter ipsam nõ habeat. Vndè superiorem ordinẽ Seraphin à Dono cha ritatis, quod inter Dona supremũ est, nominamus; nõ ideò, quia ille ordo solus illud Donum habeat: sed quia cæteris excellentius illud hẽt, & ipsum Donum charitatis inter gra tiæ Dona primum locum tenet. Ordinem aũt sequentẽ, s.

Cheru-

Cherubin, à plenitudine scientiæ dicimus: quia Donum scientiæ Donũ charitatis immediatè sequitur in ordine Do norum. Contra istam sententiam Magister obijciens, dicit, ex ipsa sequi Cherubin esse maioris scientiæ, quàm Seraphin, eo quòd Cherubin à Dono scientiæ nominatur. Ac respondet, quòd non sequitur. Nam Seraphin non nominatur à scientia, (non obstante, quòd sit perfectioris scientiæ, quàm Cherubin) eo quòd habet perfectius, & nobilius Donum, quod inter Dona supremum est, nempè Donum Charitatis, à quo denominari debet; nam quilibet ordo debet ab illo Dono denominari, quod in eo præ alijs Donis fulget. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secũdæ partis, ponitur ista alia conclusio. Angeli ab initio suæ creationis, nõ erant, ut nunc sunt in nouem ordines distincti, seu ordinati: qui ordines ordinãtur secundum Dona gratuita, licèt tamen habuerint tunc naturalium Donorum inæqualitatem, vt nunc. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Verum ordines Angelorum ab initio creationis eorum, fuerint distincti. Et arguit primò quòd sic, per hoc, scilicet, quòd Angelus primus, qui cecidit, dicitur Superior fuisse: & per hoc, quod Apostol dicit, nempé, aliquos de potestatibus, & principatibus cecidisse, & Dæmones factos esse. In oppositum verò arguit per hoc, quòd ordines denominantur à Donis gratuitis, quæ nec boni, nec mali in principio creationis habuerunt. Et respondens Magister, dicit, quòd non habuerunt ab initio suæ creationis distinctionem ordinum, sed benè habuerunt diuersa Dona naturalia, per quæ quidam ad Deum conuersi, gratiam, & distinctos ordines acceperunt; quidam verò auersi excecati fuerunt. Et Dæmones dicuntur cecidisse, non ideò quia aliquando fuerint ordinati, sed quia, si perstitissent, in illos ordines locati fuissent. Deinde quærit. Verum omnes Angeli eiusdem ordinis sint æquales. Et licèt quidam dicant, quòd sic, Magister tamen dicit, quòd non. Sed sicut in ordine Apostolorum, aut Martyrum quidam alijs sunt digniores, ita consimiliter in ordine Angelorum.

Et hæc

Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autē tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Ad singulares ordines Angelorum omnes homines, qui saluantur, assumuntur. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit, cū non sint nisi nouem ordines Angelorum, quare tunc scriptura dicit decimum ordinem per homines saluandos restaurari? Et respondet, quòd non ideò dicitur, quia decimus ordo sit, vel quandoque fuerit, sed quòd tot homines saluentur, quod sunt Angeli in vno ordine. Et ideò dicunt decimum ordinem restaurari, in hunc sensum: quia de hominibus restaurabitur, quod in Angelis lapsum est, de quibus tot corruerunt, vt posset fieri decimus ordo. Et subdit, quòd opinio beati Greg. est, quòd tot homines saluentur, quod Angeli perstiterunt. Opinio autem beati Aug. est q̄ tot saluentur, quot ceciderunt. Quæ autem verior sit, non determinatur. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

AN OMNES SPIRITVS COElestes mittantur, & ponit duas opiniones, & auctoritates, quibus innituntur.

DISTINCT. X.

T E X T.

Hoc etiam inuestigandum est. Vtrum omnes illi Cœlestes spiritus ad exteriora nuntianda mittantur, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista decima distinctio cum superiori, hūc in modum. Cùm enim Magister suprà egerit de cōparatione Angelorum ad seinuicem: consequenter in hac tractat de comparatione eorum ad Deum. Diuiditur præsens distinctio in duas partes principales. In quarum prima ostēdit, de quibus ordinibus sint Angeli, qui mittūtur. In secunda verò ostēdit, qualiter missi, à diuina cōtemplatione non excludantur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio, Angeli de singulis ordinibus ad extra ad nostrum ministerium mittuntur. Quam quidem cōclusionem Magister probans, quærit primò. Vtrum omnes Angeli de singulis ordinibus ad exteriora nuncianda mittantur. Et respondendo ponit duas opiniones circa hoc. Quarum prima dicit, quòd non omnes mittuntur; quia superiores semper Deo assistunt. Quæ opinio confirmatur auctoritate beati Dionisii, & Danielis dicentium, quòd superiora illa agmina ab intimis nunquam discedunt. Secunda opinio dicit, quòd omnes mittantur. Cuius ratio est, quia Seraphin legitur missus fuisse ad Esaiam. Cùm ergo de Seraphin, qui sunt supremi ordines, mittantur; videtur etiam, quòd de singulis ordinibus mittantur. Et confirmatur per hoc, quòd filius Dei, qui est superior omni Angelo, fuit missus. Cōfirmatur similiter auctoritate Apost. qui dicit, quòd omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi. Deinde obijcit in contrarium, dicens, si omnes mittuntur, quare tunc non omnes dicuntur Angeli.i. nuncij, sed unus ordo hoc solùm nomen sortitur? Et respondens ad hoc, dicit, quòd illi, qui sunt de inferiori ordine, Angeli propriè dicuntur, quia ex proprio eorum officio sępius mittuntur. Nihilominus tamen, & alij etiam quandoque mittuntur, & tunc nomen Angelorum suscipiunt, secūdum illud Psal. Qui fecit Angelos suos spiritus, quia qui naturaliter spiritus sunt, quandoque Angeli .i. nuncij fiunt. Et subdit incidentaliter ad huius secundæ opinionis confirmationem,

mationẽ, quòd ista nomina Michael, Gabriel, Raphael, sunt propria nomina quarundam spirituum à superiori ordine ministrorum, quamuis tamen alij dicant, quòd sint nomina officiorum. Vndè quia Raphael interpretatur medicina Dei, quilibet Angelus, qui mittitur ad medicandum, potest dici Raphael. Et similiter dicendum est de alijs. Et confirmat per simile in Demonibus, quibus quedam nomina sunt communia, sicut Diabolus. Sathan Belial, & huiusmodi, quorum interpretationem ponit in littera. Hec tamen nomina quandoquè singularibus Demonibus ascribuntur specialiter. Postea secundum illam opinionem soluit auctoritates contrarias, dicens, quòd superiores dicuntur assistere, quia rarò mittuntur, & tamen quamuis mittantur, non tamen propter hoc recedunt ab ipsa diuinæ essentiæ, & præsentia, sed eius contemplationi semper assistunt, sicut etiā faciunt, qui quotidie, seu frequenter mittuntur. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secūdæ partis, ponitur hæc altera conclusio, quæ ortum habet ex superioribus. Angeli missi, tempore missionis, ab intimis Diuinæ contemplationis non excluduntur. Hæc conclusio satis videtur superiùs fuisse probata. Vndè relinquitur, vt nota. Postea Magister ponit aliam opinionem, quæ dicit, quòd superiores Angeli nunquam mittantur, idest tres supremi Chori semper assistant, sed quòd infimi tres Chori semper mittantur. Medij autem Chori dicuntur assistere, & mitti, inquantum mitti accipitur pro vt medij nunciant inferioribus, idest illuminant inferiores; qua ratione etiam superiores dicuntur mitti, inquantum illuminant medios. Et ad illum sensum locutus est Apost. cùm dixit omnes esse missos ad ministrationem. Ad auctoritatem Esaiæ respondendo dicit, quòd Angelus ad Esaiam missus, non fuit propriè de ordine Seraphin, sed sic denominatur ab effectu, propter quem venerat, quia venerat ad inflamandum cor illius incendio amoris Dei. Et hæc de hac distinctione dicta sunt satis.

QVOD

QVOD QVÆQVE ANIMA habet Angelum bonum ad sui custodiam delegatum, & malum ad exercitium.

DISTINCT. XI.

TEXT.

Illud quoque sciendum est, quòd Angeli boni deputati sunt ad custodiam hominum, ita vt quisque electorum habeat Angelum ad sui profectum, atque custodiam specialiter delegatum. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista vndecima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de comparatione Angelorum ad Deum: cõsequenter agit nunc in hac de comparatione Angelorum ad hoĩes. diuiditur p̃sens dist. in tres par. In quarũ prima Mag. ostendit, qualiter hõ Angelum bonũ ad sui custodiã, & Angelũ malum ad exercitiũ habeat delegatũ. In secunda verò determinat, an vnus Angelus plures custodiat homines. In tertia autem, & vltima, an boni Angeli etiam meritoriè proficiant. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quilibet homo ab initio suæ natiuitatis, habet Angelum malum ad suum exercitium deputatum, & bonum ad sui custodiam. Hanc Magister probat auctoritatibus beati Hieronymi, & Gregorij.

Et

Et subdit, quòd licèt omnes Angeli boni nostrum bonum velint, & salutem; tamen ille, qui homini specialiter deputatus est, ipsum etiam specialiter præ alijs exhortatur ad bonum. Similiter licèt omnes Angeli mali nostrum malum velint, tamen specialiter magis ille, qui homini ad exercitiũ deputatus est, ipsum ad mala instigat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Constat vnum Angelum simul pluribus hominibus præesse. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum quilibet homo habeat suum proprium Angelũ custodẽ, aut vnus Angelus plures custodiat. Et respondens dicit, quòd sicuti vni homini committitur custodia multorum, sicut Episcopis Abbatibus, & huiusmodi: ita plurium hominum custodia, vel exercitium committitur vni bonorum, vel malorum [illegible] quod Magister suadet sic: quia cùm tot sint electi, quot Angeli boni sunt: & Angeli boni sint plures, quàm mali: & plures sint homines mali, quàm boni: non est ambigẽdum plures esse homines bonos, quàm Angeli mali sunt, & plures esse homines malos, quàm sunt Angeli mali, vel boni. Patet ergo quemlibet hominem malum non posse singulariter habere vnum bonum Angelum, & per consequens singuli homines tam boni, quàm mali, non habent singulares Angelos bonos ad eorum custodiam, vel malos ad exercitium specialiter deputatos; sed vnus bonus Angelus custodit plures, & vnus malus exercitat plures. Quod oportet ad minus esse verum secundum successionem temporis, in quo homines hominibus succedunt, nam homines non sunt omnes simul in hac vita, sicuti Angeli simul sunt, & nunquam decedunt: quamuis cum hoc stet, quòd singuli homines actualiter in hac vita existentes, singulares habeant Angelos pro suo exercitio, vel custodia deputatos. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Angeli boni in sua beatitudine meritorié proficiunt vsque ad mundi consumationem. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum boni Angeli in merito, vel præmio proficiant. Et respondens, proponit primò

opi-

opinionem quorundam dicentium, quòd non solùm profi-ciunt in merito, sed etiam in præmio, scilicet, in cognitione & dilectione Dei, ita quòd magis, & magis ipsum cognoscunt, & diligunt, (hic Magister non tenetur ab omnibus.) Quòd autem in cognitione proficiant, probat per hoc, quod nô plene cognouerunt mysterium incarnationis Christi ante passionem, sicut post passionem, & prædicationem Apostolorum. Quod videtur beatus Hieronymus sensisse, licèt beatus Aug. videatur contrarium dicere. Quorum Doctorum controuersiam Magister discutiens, dicit, quòd Angeli maiores præsciuerunt incarnationem Christi, etiam antequam fieret, licèt tamen non ita perfectè. Et minores non cognouerunt eam, nisi postquam facta est. Ex quo concludit, quòd tam maiores, quàm minores in cognitione profecerunt, & proficiunt vsque ad diem iudicii. Postea subdit opinionem aliquorum dicentium, quòd in cognitione, & dilectione Dei non proficiant, sed solùm in quarundam rerum exteriorum cognitione, sicut est incarnatio Christi, & similia. Primam autem opinionem Magister approbans, soluit auctoritates quasdam Isid. & beati Greg. qui videntur dicere Angelos in scientia post eorum confirmationem non profecisse, affirmantes eos omnia scire. Et dicit, quòd licèt sciant omnia, non tamen perfectè, vel dicuntur scire omnia ad eorum beatitudinem pertinentia. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

POST CONSIDERATIOnem de Angelis habitam, agitur de aliarum rerum creatione, & præcipuè de operum sex dierum distinctione.

D I S T I N C T. XII.

T E X T.

Hæc de Angelicæ naturæ conditione dicta sufficiant. Nunc superest de aliarum quoque rerum creatione, ac præcipuè de operum sex dierum distinctione nonnulla in medium proferre. &c.

E X P O S I T I O.

CОnnectitur ista duodecima distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs tractauerit de natura purè spirituali, scilicet, Angelis: consequenter nunc in hac distinctione incipit agere de natura purè corporali, scilicet, de productione mundi sensibilis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit, qualiter Deus materiam confusam, & informem primò creauit. In secunda verò, vbi ipsam producens collocauit. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter ipsam distinguens ordinauit, & die septimo quieuerit ab omni opere. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Deus in principio materiam quatuor elementorum informem. i. indistinctam creauit. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit, quòd diuina sapientia simul cum Angelica natura materiã in quatuor elementis confusam, & informem produxit, quam deinde in sex diebus perfectè formauit, & distinxit. Et subdit, quòd aliqui sancti (sicut beatus Aug. & sui sectatores) dixerunt omnia simul in materia etiam distincta secundùm formas fuisse producta. Alii verò dixerunt (veluti beatus Gregor. & Beda) quòd primò fuit materia rudis atque informis creata, de qua postmodum per sex dierum interualla, res corporales secundum proprias species sunt formatæ. Quam opinionem Magister approbat auctoritate

pluri-

plurimorum doctorum, & sacræ scripturæ. Postea dicit, quod illa informis materia in principio Gen. vbi eius productio legitur, diuerso nomine est vocata. Nominatur enim primò terra, cùm dicitur. In principio creauit Deus Cœlum, & terram. i. illam informem materiam. Et exprimitur nomine terræ, non quidem propter terrestrem substantiam, sed propter speciositatis carentiam. Secundò exprimitur ibi nomine abyssi, cùm dicitur. Et tenebræ erant super faciem abyssi. Et hoc propter defectum distinctionis, qua distinctione carebat. Nominatur etiam ibi nomine aquæ, cũ dicitur, & spiritus Domini ferebatur super aquas. Nam sicut aqua habet multam fluxibilitatem: sic materia illa habet fluxibilitatem, & diuersam potentialitatem ad diuersas formas recipiendas. Quæ quidem materia fuit diuersis nominibus appellata, ne crederetur vnius formæ receptiua tantùm, si, scilicet, vno nomine fuisset appellata. Visitatis et nominibus est vocata, vt res ignota notis vocabulis insinuaretur. Et subdit, quòd per tenebras, quæ dicuntur fuisse super faciem abyssi (i. materiæ illius) intelligitur absentia lucis seu priuatio. Tenebrę. n. nullę res sunt, sed tantùm lucis absentia. Contra quod uidetur esse illud Dan. Benedicite lux, & tenebrę Domino. Vbi tenebræ inter res reales nominantur.

Ad quod respondet Magister, quòd tenebrę quandoque significant lucis absentiam, & sic nihil sunt. Quandoque aerem obscurum, & sic sunt aliqua creatura. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundę partis, ponitur ista alia conclusio. Deus materiam cófusam elementorum in illo loco, vbi est mundus creando collocauit. Quam probans Magister, dicit, adhuc Duo de illa materia esse distinguenda. Quorum primum est, quo illa materia dicta sit informis, cùm tamen omni forma non caruerit. Ad quod respondet, quod dicitur informis, non propter carétiam omnis formę, sed quia formam confusam habebat, & non distinctam: vel quia formata non fuit, sicut postea formabatur. Secundum est, vbi fuerit illa materia creata, & quantum spacium occupauerit, Et rndet, quod creabatur in illo

loco vbi nunc est mundus, & occupabat spacium cuiuslibet elementi, in quo spacio terra cum alijs elementis tenebatur in medio sistens, alia verò elementa quasi secundum quandam confusionem permixta erant. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Deus, qui in principio materiam confusam creauit, quam in sex diebus perfectè mundum complendo distinxit, & formauit, die septimo ab eius propagatione cessauit. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd perfecta rerum productio, & formatio sex diebus fuit expedita: ita quòd nihil postmodum est productum, quod in primis creatis aliquo modo non contineretur, & illa de causa dicitur Deus septimo die quieuisse, eo quòd cessauit nouas creaturas producere. Sed contra hoc objicit per Dictum Domini nostri Iesu Christi, qui ait in Euang. Ioan. patrem suum, & se vsque modò operari, ergo (vt videtur) Deus non quieuit ab omni opere die septimo, Et hoc confirmatur tali ratione. Si Deus die septimo quieuisset ab omni opere, tunc non produceretur aliquid de nouo amplius in rerum natura: sed hoc est falsum, vt videmus: ergo non quieuit die septimo. Ad quod respondens Magister, dicit, Deum quadrupliciter operari ad rerum productionem. Vno modo naturaliter omnia in verbo disponendo. Secundò temporaliter materiam informē producendo. Tertiò modo materiam sex diebus confusam secundum species distinguendo. Quartò ex seminibus, rebus inditis creata ne pereant reformando. Ideò licèt Deus, secundum primos tres modos operandi, die septimo quieuerit: quo ad quartum modum tamen semper operatur. Et de illo intelligitur dictum Christi Saluatoris nostri supra allegatum. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVAE

QVÆ FVERIT PRIMA DIstinctionis operatio.

DISTINCT. XIII.

T E X T.

Prima autem distinctionis operatio fuit formatio lucis, sicut ostendit scriptura gen. &c.

E X P O S I T I O.

COnnectitur ista distinctio decimatertia cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister supra egerit de opere creationis, quod factum est ante omnem diē: consequenter in hac agit de opere distinctionis, quod factum est in primo die, scilicet, de lucis productione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, Deum prima die fecisse lucem. In secunda verò ostendit, qualiter Deus fuerit locutus immutabiliter faciendo lucem. In tertia autem, & vltima ostendit, quomodo pater dicatur operari per filium sibi coæqualem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Deus prima die fecit lucem, distinguendo tempus in diem, & noctem. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit, quòd primum à quo omnium rerum principiū incepit, fuit lux; & hoc congruè, quia lux cætera habet manifestare. Circa quod vlterius mouet tres quæstiones. Quarum prima est. Vtrum lux illa prima die producta, fuerit corporalis, vel spiritualis. Et respondet, quòd vtroque modo accipi potest. Nam si accipiatur pro luce spirituali, tunc significat formationem Angelicæ naturæ per gratiam gratum facientem, quæ prius producta informis fe-

cundum opinionem Magistri. Si autem pro luce corporali accipiatur, tunc significat corpus lucidum ex praiacenti materia formatum. Secunda quæstio est. Vbi facta fuerit illa lux. Et respondet, quòd ibi vbi sol iam mouetur: immò lux illa vicem solis in primis tribus diebus tenens, motu suo faciebat diem, & noctem; nequè ab aquis impediebatur ne luceret propter raritatem aquarum tunc. Vndè, & nunc quando per olei immissionem aqua rarificatur, quodammodo illustratur. Quare Nautæ in profundo maris se immergentes, mittunt ex suo ore oleum ad centrum, seu profundum maris, & sic aquæ clariores fiunt. Et subdit ibidem, quòd dies potest accipi diuersimodè, scilicet, vel pro ipsa luce, quę in illo triduo tenebras illuminabat, uel pro ipsa illuminatione aeris, uel pro spatio uiginti quatuor horarum. Alia patent in littera. Tertia quæstio est. Quare sol factus est quarta die, si lux illa primò producta sufficiebat ad faciendum diem. Et respondet, quòd illa lux tantùm superiores partes illuminabat, & tamen non ita clarè, vt nunc sol: ideò congruum fuit solem fieri ad dandam lucem clariorem. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundę partis, ponitur ista alia conclusio. Deus dixit fiat lux ab ęterno in verbo disponendo, non tamen temporaliter sono vocis loquendo. Quam quidem conclusionem Magister probans, quęrit, qualiter Deus dixit fiat lux: an scilicet, hoc temporali sono protulerit, an aliquo alio modo. Et respondens dicit secundum Aug. quòd non temporaliter, quia si sic, tunc Deus fuisset locutus mutabiliter: nec etiam sono uocis corporaliter, cùm Deus careat instrumentis naturalibus, quibus talis sonus causatur. Sed in uerbo sibi coæterno dixit fiat lux. i. verbum genuit intemporaliter, in quo erat dispositum ab ęterno, ut fieret lux in tempore; & iam in eo factum est. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur ista conclusio. Quanuis secundum scripturam Deus operatus sit per filium, non tamen per illum, vt per ministrum; sed per illum, quē genuit sibi coęqualem omnium opificem. Quam quidem conclusionem Magister probans, quęrit, quomodo pater dicatur

catur operari per filium, vel in filio. Et respondens dat duplicem intellectum huius propositionis. Primus est, quòd quando pater dicitur operari per filium, seu etiam per spiritumsanctum, significatur inseparabilis operatio personarum cum auctoritate, & exinde prouenit, quòd pater dicitur operari per filium, sed non econtra; quia filius non habet respectu patris auctoritatem principij, sicut pater respectu filij. Secundus est, quòd pater dicitur operari per filium, quia filium genuit opificem. Et hęc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sint satis.

DE OPERE SECVNDÆ diei, quo factum est firmamentum.

DISTINCT. XIIII.

TEXT.

Dixit quoque Deus. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista distinctio decimaquarta, cùm superiori, hunc in modum. Cùm. n. Magister superiùs egerit de opere primi diei, s. de productione lucis: consequenter in hac vult agere de operibus subsequentium dierum, scilicet de productione corporis firmamenti, & elementorum. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, firmamentum secunda die fuisse productum. In secunda verò ostendit, opus tertiæ diei fuisse congregationem aquarum in vnum locum. In tertia autem, & ultima ostendit, opus quartæ diei fuisse ornationem firmamenti Sole Luna, & Stellis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio.

Deus secunda die fecit firmamentum.i. Cœlum sydereum in medio super cœlestium, & subcœlestium aquarum. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd Deus secundo die fecit firmamentum, quod secundum Bedam dicitur Cœlum sydereum habens aquas supra se, & infra se. Quod mirum non est diuina virtute esse factum, cùm videmus aquas vaporabiles eleuari in cœlum. Vndè & supra firmamentum glaciali soliditate aquæ suspenduntur ne labantur. Et sic diuisit aquas ab aquis, licèt per cœlum velint quidam aerem intelligi, quod quidem cœlum sydereum secundum quosdam est naturæ aqueæ. Secũdum verò alios est naturæ igneæ. Postea quærit tres quæstiones. Quarum prima est, cuius figuræ sit cœlum. Et respondet, quòd Spiritussanctus hoc per auctores docere noluit, eoquòd non multum saluti prodest, quamuis ipsi sciuerint. Secunda est, Vtrum cœlum stet, vel moueatur. Vtrunque enim videtur inconueniens: si enim mouetur, tunc non est firmamentũ: si verò stat, tunc non mouentur sydera fixa in eo, quod est falsum. Ad quod respondens, neutram partem determinatè ponit, sed soluit argumentum, dicens, quòd si mouetur, adhuc posset dici firmamentum propter sui firmitatem in substantia. Si autem stat, possibile est sydera in eo ipso stante moueri. Tertia quæstio est, quare benedictio secundæ diei prætermittitur, & quare, scilicet, in operibus secũdæ diei, non est dictum, vidit Deus quòd esset bonum. Et respondet, quòd hoc est fortè propter quandam mysticam significationem, quia numerus binarius signum est alteritatis, & signum diuisionis. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio, Deus tertia die per aquarum subcœlestium adunationem serenauit aerem, & fecũdauit terram ad arborum, & herbarum productionem. Quam probans Magister, dicit, quòd opus tertiæ diei fuit congregatio aquarum in vnũ locum, quæ sub cœlo sunt. Ex qua congregatione terra, & aer clariora apparuerunt. Vndè & in eodem die herbæ virorem, & ligna fructum fecerunt. Si autem quæratur, vbi sunt congregatæ aquæ, quæ totum texerant spacium vsque

ad cœ-

ad cœlum. Dicit, quòd illa congregatio fieri potuit, vel quia aquæ concauitates terræ subintrauerunt, vel quia aquæ, quæ prius erant rariores terram per modum nebulæ tangentes inspissatæ fuerunt; & dicuntur congregatæ in vnum locum, nō obstante, quòd sint in multis locis, & hoc propter contiguitatem earum ad inuicem, quia omnia flumina, & omnia maria mari magno, ad minus occultis meatibus, junguntur. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc cōclusio. Deus quarto die Sole, Luna, & Stellis ornauit firmamentum, ut essent in signa horarum, & temporum. Quam quidem conclusionem Magister probans, assumit quòd in tribus diebus disposita est vniuersalis mundi machina, & partibus suis distributa. Prima enim die facta est lux, quæ vniuersa illustrabat. Secunda die verò firmamentum, seu Cœlum sydereum. Tertia verò die facta est distinctio inferioris partis mundi, scilicet, naturæ elementaris. Vndè tres dies sequẽtes spectant ad ornatum eorum, quæ in tribus primis diebus sunt distincta: quia quartus dies spectat ad ornamentum Cœli, i. firmamenti. Quintus ad ornamentum aeris, & aquæ. Sextus ad ornatum terræ. Cœlum autem ante alia quarto die ornatur, eoquòd dignus est omnibus elementis. Imponunturque sibi ad ornatum Sol, & Luna, & Sydera ad inferioris partis mundi illuminationem, & etiam ad animalium omnium, & hominum vtilitatem, & noctis, & diei decorem. Et subdit etiam, quòd sunt facta in signa, & in tẽpora. In signa quidem, eoquòd aeris qualitatem, vel aereæ qualitatis vicissitudinem significant, scilicet, serenitatem, & tempestatem. In tempora verò, quia partes temporis distinguunt, uidelicet, Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis, quæ sunt quatuor anni tempora. Vel enim sunt in signa, & tempora, i. in distinctione horarum, & temporum, quia ante motum ipsorum ordo temporis nullis notificabatur indiciis. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sint satis.

DE OPERE QVINTÆ diei quando creauit Deus ex aquis volatilia, & natatilia.

DISTINCT. XV.

TEXT.

Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista decimaquinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister sententiarum superiùs egerit de ornatu firmamenti: consequenter hic agit de ornatu aeris, & aquæ. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, ornamentum aeris, & aquæ volatilibus, & natatilibus fuisse quinta die factum. In secunda verò ostendit, terram fuisse ornatam sexta die iumentis, reptilibus, & bestijs terræ. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter Deus septima die requieuerit ab omni opere. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Deus quinta die volatilibus, & natatilibus de aquis factis aerem, & aquam adornauit. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd opus quintæ diei est ornatio duorum elementorum, scilicet, aquæ, & aeris per volatilia, & natatilia, quæ de aqua, tanquam ex propria materia sunt producta. Quæ quidem volatilia in aerem, & aquatilia in aquam posuit. Et hęc de prima par. sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Deus sexta die iumentis, reptilibus, & alijs

alijs bestijs terræ de terra formatis terram decorauit. Quã Magister ponens, dicit, quòd opere sextæ diei ornata fuit terra iumentis, reptilibus, & alijs consimilibus bestijs terræ. Postea mouet duas quæstiones. Quarum prima est. An nociua animalia aut venenosa etiam tunc à Deo facta fuerint. Et respondens, dicit, quòd illa animalia creata fuerunt in noxia, sed de homine peccante (.i. propter peccatum hominis) facta sunt nociua, vt per ea vitia punirentur: & etiam ut uirtus probaretur. Secunda quæstio est. An minuta animalia, quæ, scilicet, ex putri materia nascuntur, etiam tunc producta fuerint. Et respondens, dicit, quòd illa quæ putrefactione nascuntur, cum alijs animalibus producta non sunt, nisi materialiter. Et subdit, quòd nouissimus omnium animalium fuit homo, tanquã omnium princeps, & dominator. Addit etiam, quòd circa rerum creationem duę fuerunt solemnes opiniones. Quarum prima dicit, per sex dierum interualla omnia esse formata, & per Spiritum sanctum esse distincta. alia verò dicit, omnia esse simul esse condita, & distincta. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Deus septima die dicitur quieuisse, & opus suum compleuisse, quia vlterius nouam creaturam non condidit, quæ in sua materia, vel in suo simili non fuerit, licèt tamen res productas benedixerit, & sanctificauerit. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit, cur Deus dicatur cõsumasse opus per requiem die septimo, cùm tamen compleuerit ipsum die sexto? Ad quod respondens, dicit, Deum opus suum compleuisse, & sexto die, & septimo die. Sexto die quidem, quia tunc omnia perfecit. Septimo autem die, quia vltimum opus fuit benedictio, & sanctificatio, quam adhibuit. Vndè & septimus dies mystica quadam ratione sanctificatus consueuit appellari. Et hęc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sint satis.

DE

DE HOMINIS CREATIONE vbi conſiderandum eſt, quare creatus ſit homo, & qualiter ſit inſtitutus: quæ duo ſuprà tractata ſunt, & qualis factus, & qualiter lapſus: poſtremò quomodo ſit reparatus: quę diſcutienda ſunt.

DISTINCT. XVI.

TEXT.

His excurſis quæ ſuprà de hominis creatione præmiſimus, effectui mancipare, atque ordine explanare nunc ſuſcipimus, vbi hæc conſideranda videntur, ſcilicet, quare creatus ſit homo, & qualiter inſtitutus. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur iſta diſtinctio decimaſexta cum ſuperioribus, hunc in modum. Cùm enim Magiſter in ſuperioribus diſtinctionibuis egerit de creatura purè ſpirituali, ſcilicet, Angelis, & de creatura purè corporali: conſequenter nunc in hac incipit agere de compoſita ex ſpirituali, & corporali, ſcilicet, de homine. Et circa hoc, in hac diſtinctione agit de productione hominis in communi. Diuiditur præſens diſtin&io in tres partes. In quarum prima oſtẽdit,

dit, qualiter homo factus sit. In secunda verò, ad cuius ima ginem sit productus. In tertia autem, & ultima ostendit, hominem non esse imaginem, quæ adæquatur Dei filio. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Deus pater cum dixit, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, loquebatur cum Filio, & Spiritusancto, & non spiritibus quibuscunque creatis. Quã quidem conclusionem Magister probans, quærit, qualis, & quomodo factus sit homo. Et respondens, dicit, quòd per verbum Domini factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, secundum illud Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. In quibus verbis exprimitur vnitas essentiæ, & Trinitas personarum, quæ quidem verba sunt patris ad filium, & Spiritumsanctum, non autem ad Angelos, vt quidam dixerunt; quia Dei, & Angelorum, non est eadem imago, & similitudo. Alia patent in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Homo secundum animam, factus est ad imaginem, & similitudinem, non simpliciter vnius Diuinæ personæ, sed totius Trinitatis. Quam quidem conclusionem probans Magister, ponit duas opiniones circa intellectum prædictorum verborũ gen. Quarum prima dicit, in illo textu gen. per imaginem debere solùm filium intelligi, & non hominem: quia homo non est imago Dei, sed ad imaginem Dei factus. Sed quia huic opinioni contrariatur Apost. qui dicit, quòd vir est imago, & gloria Dei, ideò Magister eam reprobat. Alia opinio dicit, quòd filius Dei sit propriè imago, & Spiritussanctus similitudo, & quòd homo sit factus ad imaginem filij, & similitudinem Spiritussancti. Quam opinionem similiter non approbat, eoquòd sanctorum auctoritatibus minimè sit fulcita. Post hæc dicit Magister hominem esse factum ad imaginem, non cuiuscunque singularis personæ diuinæ, sed totius Trinitatis, & hoc secundum naturalia, scilicet, intellectum, memoriam, & voluntatem, quæ sunt tres potentiæ mentis humanæ. Ad similitudinem verò quantum ad virtutes Theologicas. Vel ad imaginem, quantum ad cogni

tionem

tionem, ad simil. quantum ad effectum, vel dilectionem boni. Vel ad simil. quantum ad essentiam & imaginem, quantum ad superaddita essentiæ. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur illa conclusio. Homo, qui est imago Dei ad imaginem Dei creatus, non potest adhæquari filio Dei, qui non est ad imaginem, sed solùm imago est patris ratione æternæ natiuitatis. Quam conclusionem Magister probans, dicit, quòd filius Dei, & homo sunt imago Dei; sed filius solùm imago, & non ad imaginem, quia nõ factus, nec creatus, sed genitus ab æterno patre coæternus patri, & in nullo dissimilis. Homo autem est imago, & ad imaginem, quia creatus, non genitus, non æqualis, sed quadam similitudine accedens. Et hoc Magister confirmat auctoritate beati August. Et sicut prius dictum est, (scilicet, in 3. distin. Primi libri sentent.) quòd nulla imago Trinitatis creatæ, est sine magna dissimilitudine imaginis ipsius Trinitatis increatæ repræsentatiua propter realem differentiam, quæ inter illas imagines consideratur: ita etiam nec homo ad imaginem Dei creatus, potest adæquari filio in diuinis, qui est patris imago, propter diuersitatis distantiam inter Dei filium, & hominem. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis satis dicta sint.

DE CREATIONE ANIMÆ vtrum de aliquo facta sit, vel non: & quando facta, & quam gratiam habuerit in creatione.

DISTINCT. XVII.

TEXT.

Hic de origine animæ plura quæri solent, scilicet, vnde creata

creata fuerit, & quando, & quam gratiam habuerit in creatione. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decimaseptima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de productione hominis in generali: consequenter in hac vult agere de productione viri in speciali. Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarũ prima Magister ostendit, animam non ex aliquo, sed ex nihilo fuisse creatam. In secunda verò ostendit, primum hominem fuisse in paradisum collocatum. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter primus homo peccauerit comedẽdo de ligno scientiæ boni, & mali. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Deus animam Adæ, non de diuina substantia, nec de aliqua materia creauit, sed ipsam ex nihilo creando eidem inspirauit. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd creatio animæ hominis exprimitur in Genes. vbi dicitur. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Quam quidem inspirauit, & fecit, non faucibus corporeis, nec de sua substantia ipsam à se efflauit, vt quidam hæretici opinantur: sed dicitur inspirasse quando animam ad modum flatus de nihilo spiritualiter creauit. Sed circa hoc tunc mouet vnam quæstionem. Vtrum, scilicet, anima creata sit in corpore, vel extra corpus. Et respondens, dicit, quòd aliqui opinati sunt, quòd sit creata in corpore. Alij verò, quòd sit creata extra corpus Sed Magister de anima primi parẽtis quo ad hoc nihil determinat: sed de alijs animabus certissimè sciendum esse dicit, quòd in corpore creantur. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Deus qui Adam in virili ætate creauit, eundem ab extra in paradisum collocauit. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum primus homo fuerit in virili ætate creatus. Et respondens, dicit, quòd sic, sed non virtute causarum inferio-

feriorum, sed diuina virtute. Nam multa possibilia sunt secundum causas superiores, quæ fieri causaliter non possunt secundum causas inferiores, sicut virga Moys. vertebatur in draconem virtute diuina: nec talia fiunt contra naturam, nisi tantummodo nobis, quibus cursus naturæ aliter non innotuit. Deinde subdit, quòd Deus hominem, quẽ in virili ætate formauerat in paradisum posuit. quod ideò dicit Magister fuisse factum, quia non erat in eo mansurus vel vt cognosceret, quòd non esset per naturam, vt in illo loco esset, sed per gratiam. De quo paradiso tres sunt opiniones. Prima dicit paradisum esse locum corporalem. Secunda verò dicit ipsum esse locũ spiritualẽ. Tertia, quæ Magistro placet, ponit vtrunq; scilicet ipsum fuisse locum partim spiritualem, partim corporalem, affirmans, quòd spiritualiter gerat typum Ecclesiæ præsentis, vel futuræ: corporaliter verò (vt ad litteram intelligitur) dicitur esse locus corporalis longe à terra habitabili per homines per interpositionem maris, uel longo terræ spatio separatus, est sui situs altitudine vsque ad lunarem circulum pertingens. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur illa conclusio. Adam in Paradiso de fructu ligni scientiæ boni, & mali, non à natura, sed ad euentu futuro sic nominati gustando peccauit. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit, quòd in paradiso erant diuersa ligna, inter quæ vnũ dicebatur lignum vitæ; & huiusmodi virtutem diuinitus acceperat, vt de suo fructu comedẽtes potuissent à morte, & omni infirmitate præseruari. Aliud autem dicebatur lignum scientiæ boni, & mali, nõ à natura, nec ab aliqua virtute sibi à Deo indita, sed ab euẽtu, quia post eius gustum, homo experimentaliter cognouit differentiã inter bonũ obedientiæ, & malũ inobedientiæ. Et subdit, quod esus illius ligni erat de se licitus, sed homini fuit interdictus, & illicitus; & hoc ad ostendendũ quantum malum sit inobedientia, etiam si fiat in his, quæ de se sunt licita. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

D E

DE FORMATIONE Mulieris.

DISTINCT. XVIII.

TEXT.

In eodem quoque paradiso mulierem formauit Deus de substantia viri. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decimaoctaua distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de productione viri: hic agit consequenter de productione mulieris. Diuiditur præsens distinctio in tres partes In quarum prima ostendit, qualiter mulier fuerit de costa Adæ formata. In secunda verò ostendit, corpus ipsius mulieris supernaturaliter de costa fuisse formati In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter anima Euæ fuerit ex nihilo producta. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Deus de costa Adæ in paradiso dormientis, sine alicuius alterius materiæ additione, formauit corpus Euæ. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd Plantato paradiso, & Adam in eo posito, & animalibus ante eum ductis, & nominibus proprijs coram per eum assignatis, immisit Deus soporem in Adam, ipso quoq; dormiēte vnam de costis eius tollens formauit eam in mulierem. Circa quam materiam determinat quatuor quæstiones. Quarum prima est hæc. Quare Deus non creauit simul fęminam, & virum, sicuti simul creauit Angelos? Et respondens asserit duplicem causam. Prima est, vt superbia Diaboli confunderetur, Nam Diabolus concupierat esse aliud

aliud principium à Deo: & ideo vt in hoc confunderetur homo accepit hoc in munere, vt scilicet, ipse primus homo esset principium omnium hominum. Alia ratio est, vt similitudo Dei magis in homine manifestaretur: quia sicut Deus vnum dicitur principium creationis omnium entium; sic vnus homo dicitur fuisse vnum principium generationis omnium hominum; quod fieri non potuisset, si eos simul creasset. Secunda quæstio est. Quare mulier specialiter facta est de costa Adæ, & non aliqua de alia parte corporis? Et respondens dicit, quòd, quia uirg non Domina, nec Ancilla, sed socia producebatur; ideò non de capite, nec de pedibus, sed de latere ipsius uiri fuit producta, vt iuxta se ponendam eam cognosceret, quam de suo latere sumptam didicisset. Tertia quæstio est. Quare potius de latere viri dormientis, quam uigilantis sumebatur costa ad formationem mulieris? Ad quod respondens, assignat tres rationes. Prima est, ne vir sentiret dolorem in costæ subtractione. Secunda est, vt Deus in hoc ostenderet suam potentiam, cùm aperuit latus ipsius uiri dormientis, & tamen ipsum à soporis quiete non excitauit. Tertia autem est, ut profluxio sacramentorum de latere Christi in cruce dormientis figuraretur. Quarta autem quæstio est. Vtrum de sola costa sine alicuius alterius membri additione fuerit mulier formata. Et respondet, quòd non fuit ad ipsam aliqua alia materia addita, sed solùm costa fuit multiplicata diuina virtute ad totius mulieris formationem, sicuti etiam factum fuit de quinq; panibus multiplicatis ad saturationem multorum hominum. Et subdit, quod licet mulieris formatio facta fuit Angelorum ministerio, non tamen propter hoc sunt creatores cēsendi. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista cōclusio. Corpus Euæ de costa corporis Adæ non fuit ex aliqua ratione seminali organizatū. Quam probans Magister, quęrit. Vtrum in illa costa fuerit ratio seminalis ad mulieris formationem. Ad quod respondens, ponit differentiam inter causas primordiales, & inter rationes seminales, dicens, quod causæ, uel rationes primordiales, ab æterno fuerunt in Deo.

Ratio-

Rationes verò seminales ex tempore inditæ sunt creaturis; & non habent se respectu omnium rerum, sicuti primordiales, sed solùm respectu quarundam. Addit etiam quòd rationes seminales possunt aliquo modo dici primordiales: tum quia rebus in prima creatione inditæ sunt: tum quia sunt quasi principia rerum ex ipsis producendarum. Subditque quòd illa naturaliter fiunt, quæ ex ratione seminali fiunt, seu producuntur. Illa verò fiunt supernaturaliter, quorum causæ tantùm sunt in Deo, idest quæ ex ratione primordiali fiunt, nam rationes primordiales ab æterno fuerunt in Deo. Ex his concludit responsum ad requisitum, dicens, quòd cùm formatio mulieris de costa non fuerit naturaliter, sed supernaturaliter facta, consequens est, quòd corporis Euæ de costa corporis Adæ organizatio, non fuerit ex aliqua ratione seminali. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Deus animam Euæ, non de anima Adæ, sed ex nihilo eam infundendo produxit. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd animam mulieris quidam posuerunt de anima viri propagatam. Quod est apertè falsum; quoniam anima rationalis est ingenerabilis, & incorruptibilis, solùm per actum diuinæ virtutis creatiuum producibilis: similiter est indiuisibilis penitùs. Vndè hæc opinio prorsus est falsa. Alij verò dixerunt eam ab initio, cùm cæteris animabus fuisse creatam. Quorum opinio similiter est falsa. Nam secundum catholicam fidem, ipsa (sicut etiam omnes animæ rationales) creando infundebatur, & infundendo creabatur. Vndè beatus Hier. excommunicat omnes, qui dicunt animam esse ex traduce. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

DE PRIMO HOMINIS Statu ante peccatum, ſcilicet, qualis fuerit ſecundum corpus, & ſecundum animam.

DISTINCT. XIX.

TEXT.

Solent quæri plura de prima hominis ſtatu ante peccatum, ſcilicet, qualis fuerit homo priuſquam peccaret, & in corpore, & in anima mortalis, an immortalis: paſſibilis, an impaſſibilis. &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur iſta decimanona diſtinctio cùm ſuperioribus, hunc in modum. Cùm enim Magiſter ſuperiùs egerit de productione humanæ naturæ: agit conſequẽter in hac de ipſius conſeruatione. Diuiditur præſens diſtinctio in tres partes. In quarum prima oſtendit, hominem immortalem fuiſſe in ſtatu innocentiæ. In ſecunda verò determinat, illam immortalitatem habuiſſe primũ hominem ex gratia, non à natura. In tertia, & vltima recitat quid dicant de illa immortalitate diuerſæ opiniones. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur iſta concluſio. Adam in paradiſo ante ſtatum peccati, viguit non moriendi poteſtate. Quam quidem cõcluſionem Magiſter probans, dicit, quòd primus homo ante peccatum erat quodammodo mortalis, & quodammodo immortalis. Mortalis quidem, quia poterat mori. Immortalis verò, quia poterat nõ mori. Poſtea inſinuat triplicem hominis ſtatum, ſ.

ante

ante peccatum, in quo habuit posse non mori: post peccatum, in quo habuit necesse mori, & post resurrectionem, in quo habebit impossibilitatem moriendi. Et subdit, quòd corpus humanum erat animale, idest, egens alimentis: & ideò erat mortale, habens tamen est hoc posse nō mori, scilicet, antequam peccasset: post peccatum verò factum est mortuum, & necessitatem moriendi habens, vt dicit Apost. sed in resurrectione erit spirituale cibis non ægens, & mori non potens. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur illa alia conclusio. Immortalitas affuit homini in statu innocentiæ, non ex conditione suæ naturæ, sed ex ligni vitæ vsu, & beneficio conditoris. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit, Vtrum posse non mori in statu ante peccatum, homo habuerit ex Dono gratiæ, vel ex conditione suæ naturæ. Ad quod respondendo, dicit, quòd non habuit hoc ex cōditione naturæ suæ, sed ex Dono gratiæ, videlicet, ex vsu ligni vitæ. Et hoc probat auctoritate beati Aug. & confirmat hoc dicto Antiquorum, dicens, ꝙ homo posse non mori habuit ex esu ligni vitæ, quod patet ex hoc, quia si non fuisset esu eius vsus, peccasset, quia preceptum habuit, vt illo vteretur, & per consequens, cùm mors sequatur peccatum, si homo esu ligni vitæ non fuisset vsus, mortem subiisset. Et sic posse non mori habuit ex esu ligni vitæ. Et hæc de secunda parte sufficiāt. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur illa conclusio. Adam immortalitatem habuisse in statu innocentiæ Doctores opinando designant diuersimodè. Quam probans, quærit. An dato, quòd homo non habuisset præceptum de esu ligni vitæ, & de alijs, an adhuc habuisset posse non mori, sed semper viuere, si, scilicet, illo ligno vsus non fuisset? Et respondens, dicit, aliquos dicere, quòd lignum vitæ non fuit totalis causa immortalitatis, sed benè coadiuuans. Notandum tamen est, quòd Adæ erat datum triplex præceptum, siue mandatum. Vnum, scilicet, disciplinæ: & tale datum erat primo homini inquantum præcipiebatur sibi, quòd non ederet de ligno scientiæ. Aliud est naturæ: & hoc est duplex. Vnum, scilicet ad conseruandum

 natu-

naturam vniuersalem, in quo sibi dictum fuit, Crescite, & multiplicamini. Aliud ad conseruandum naturam particularem, scilicet, vt comederet de ligno vitæ. Alii dicit, quod omninò habuit immortalitatem ex esu ligni vitæ. Et subdit quasdam auctoritates beati Aug. quibus dicitur, quomodo alia fuit immortalitas Adæ ab immortalitate beatorum in æterna patria, quia immortalitas Adæ per esum ligni conseruabatur vsque ad tempus, quo sumens de ligno vitæ fieret perfectè immortalis. Quibusdam autem visum fuit, quod etiam à natura habuisset quandam immortalitatē, sed perfectam habuisset per esum ligni vitæ. Magister autem sustinet, quòd primam immortalitatem ex vsu ligni habuisse, scilicet, comedendo de ligno vitæ. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

DE MODO PROCREATIONIS filiorum, si non peccassent primi parentes, & quales nascerentur filij.

DISTINCT. XX.

TEXT.

Post hæc videndum est, qualiter primi parentes, si non peccassent, filios procreassent, & quales ipsi nascerentur. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm.n. Magister superiùs egerit de conseruatione humanæ naturæ per nutrimenti sumptionem: consequenter in hac agit de conseruatione eiusdem per

per naturalem generationem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter, si non peccassent, primi parentes genuissent filios sine concupiscentia, & libidine. In secunda verò subdit, qualiter ipsos quodammodo perfectos, quantum ad vsum membrorum, genuissent. In tertia, & vltima ostendit, qualiter, si permansissent ad meliorem statum peruenissent. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Si primi parentes non peccassent, generationis officio sine pruritu, & libidine in paradiso expleto, sine morte, cum omnibus suis simul, vel successiuè ad meliorem statum translati fuissent. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit, qualiter primi parentes filios procreassent, si non peccassent. Et respondens, dicit, quosdam opinatos fuisse, quòd per concubitum non genuissent, eoquòd concubitus sine corruptione non est, quæ corruptio ante peccatum esse non potuit in homine. Sed Magister dicit, quòd secundum veritatem concubitus ibi fuisset thorus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, & commixtio sine concupiscentia, & vsus membrorum genitalium sine corruptione, immò membra genitalia fuissent homini ad usum secundum voluntatem, sicut homo vtitur alijs membris. Postea Magister mouet duas quæstiones. Prima est, quare non fuit generatio in paradiso facta? sic rñdet, quòd hoc ideò fuit, vel quia nõ dum Deus præceperat, quòd generarét, vel quia statim, post mulieris formationem, peccatum, & eiectio de paradiso fuit secuta. Secunda quæ est, qualiter parentes post generationẽ, ad perfectã immortalitatem, & beatitudinem transissent. Et respondens, dicit, quòd hoc est dubium: Nam scriptura de hoc nihil ponit: sed tamen fieri potuisset, vt peracta generatione, statim parentes ad beatitudinem fuissent translati, antequam filij. Vel fortè, quòd parentes, & filij simul vixissent, & postea completo numero electorum fuissent simul ad beatitudinem transumpti. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Primi parentes, si in statu permansissent innocentiæ filios non solùm in statu innocen-

rix paruulos, ac perfecto vsu membrorum destitutos, sed & alendos genuissent, donec corpore, & intellectu ad perfectum profecissent. Quam quidem conclusionem Magister probans, mouet circa hoc duas quæstiones. Prima est, quales filios genuissent in statu innocentiæ, scilicet an filios magnos secundum corpus; ac membrorum suorum vsum habentes, sicut primi parentes creari fuerunt, membrorum suorum compotes, loquentes, & operantes seniorum hominum operationes. Ad quod respondens, dicit, quòd oportebat nasci paruulos propter maternorum viscerum artitudinem. Sed beatus August. hanc quæstionē mouens, & nihil determinans, dicit, Antiquos fuisse opinatos, quòd filij nascentes, membrorum, & loquelę vsum habuissent: sicut apparet in quibusdam animalibus, quæ statim immediatè post natiuitatem, & matres sequuntur. Alijs autem placet, quòd tunc sicut modò in statura corporis, & loquela; & in alijs huiusmodi per temporis momenta profecissent: quia sicut ex cōditione naturę, in illo statu sine culpa, indigebant cibo: sic etiam ex conditione naturæ, in illo statu sine culpa, de paruulis in magnos profecissent. Deinde contra hoc obijcit, & soluit. Secunda quęstio est. Vtrū in alijs, quę animam concernunt, s. in sensu, & intellectu profecissent. Et respondens, dicit, (sustinendo superiorem opinionem) q̄ sicut profecissent secundum corpus: ita etiā pōt sustineri, q̄ profecissent secundū animam. & in his, q̄ ad animā pertinent: attamē ignorantia sciētię, tūc in paruulis nō fuisset pœnalis, sicut mō in hominibus, sed tantum naturalis: eoquòd non fuisset respectu eorum, quę scire tenerentur. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hęc conclusio. Talis conditionis erat institutio hominis ante peccatum, quòd obseruando diuinum pręceptum, fuisset cum tota sua posteritate finaliter ad meliorem statum translatus, vbi meliori bono, scilicet, ęterno frueretur. Quam conclusionem Sententialiter ponens, subdit rationem, quare homo de illo bono temporali ad ęternam debuisset transferri? quia, scilicet, sicut ex duplici natura homo cōstabat: ita duplex bonum Deus

ei pa-

ci parauerat. Primum bonum secundum Apostolum, est temporale, & visibile, quod, scilicet, preparauit carni in paradiso. Aliud verò bonum est spirituale, æternum, & inuisibile, (scilicet, beatitudo æterna) ad quod per obedientiã, & meritum translatum fuisset. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sint satis.

DE INVIDIA DIABOLI, qua ad hominem tentandum accessit.

DISTINCT. XXI.

TEXT.

Videns igitur Diabolus hominem per obedientiæ humilitatem posse ascendere vnde ipse per superbiã corruerat, inuidit ei, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de pertinentibus ad primam hominis institutionem: consequenter in hac agit de pertinentibus ad eius casum, & destitutionem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit, quõ primus homo peccando corruerit. In secunda verò, quomodo conuenienter fuerit reparatus, quantum ad peccatum commissum. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter præceptum Dei per virum ad mulierem debuit deriuari. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Homo in paradiso à Diabolo tentatus, est diuinum præceptum præuaricatus

tus. Quem quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd Diabolus videns, quòd homo per obedientiam posset ad gloriam ascendere cœlestem, à qua ipse per superbiã corruerat, ideò inuidens homini ipsum tentauit, & mulierem quippè viro debiliorem per tẽtationem aggressus est. Vndè volens dolo supplantare quod virtute, & violentia superare nequibat, mulieri apparuit, non quidem in sua specie propria, ne apertè cognosceretur, sed neq; etiam in qualicunque alia specie permissus fuit apparere, sed tantùm in illa, in qua eius fraus de facili posset comprehendi, s. in specie serpentis, per quem Diabolus, quasi per quoddam instrumentum locutus est: nec serpens verba intelligebat, sed mouebatur a Diabolo, sicut asina Balaam ab Angelo bono. Quem quidem serpentem mulier videns loquentem, credidit ipsum loquendi officium à Deo recipisse. Et subdit, quòd tentatio hoc ordine facta est, & modo, quo Diabolus interrogatiuè loquebatur, dicens. Quare præcepit Deus ne de hoc ligno comederetis? (& hoc ideò, vt ex responsione eius addisceret modum loquendi, & consequenter ipsam decipiendi.) Vndè cùm mulier statim dubitatiuè respondit, dicens, ne fortè moriamur: ipse negatiuam addidit, (excludendo metum mortis) dicens. Nequaquam morte moriemini, & ad mulieris maiorem deceptionem præmissa promisit, nempè promittendo ea, quæ homo naturaliter appetit, s. primò vitationem ignorantiæ, dicens. Aperientur oculi uestri. Secundò excellentiã dignitatis, addens. Et eritis sicut Dij. Tertiò perspicacitatem scientiæ, & concludẽs. Scientes bonum, & malum. In qua quidem triplici promissione, triplici generare peccati Diabolus primum hominẽ tentauit. Tentauit.n. primò ipsum de gula, loquendo de cibo. Secundò de superbia in promissione dignitatis. Tertiò de auaritia in scientiæ promissione. Subdit aũt duas esse species tentationis. Quarum vna est exterior: & fit, cùm malum ab extra visibili signo, uel uerbo suggeritur. Alia quidẽ est interior, quæ inuisibiliter perficitur ab aduersario; & est duplex. Prima enim fit quandoq; ab hoste tantùm, & sic est sine peccato. Altera sæpè à carne, quæ non fit sine peccato

Quam

Quam carnis tentationem dicit esse difficiliorem. Et quia tentatio interior difficilior est, quàm exterior: & hô sola tentatione exteriori pulsatus, cecidit; ideò tanto grauius erat puniendus, quanto minus erat tentatus. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Conueniens quidem fuit, hominem post lapsum per aliquem redemptorem reparari, & non Angelum. Quam quidem conclusionem Magister probans, ponit duas rationes, quare, scilicet, peccatum hominum fuit remediabile, & non peccatum Angelorum. Prima enim est, quia licèt homo modicam habuerit occasionẽ peccandi: tamen quia per aliũ seductus fuit, & cecidit, per aliũ etiam reparari debuit. Diabolus verò quia nullo suadente peccauit, ipsius quoque peccatum irremediabile fuit. Altera ratio est, quia non tota Angelica natura prævaricata fuit, vt periret. Humana autem tota corruerat, ergo melius erat reparanda, immò etiam per humanę naturæ reparationem Angelorum ruina erat reparanda, & restauranda (inquantum, s. sancti Dei assumuntur ad ordines angelorum, vt sedes impleãt vacuas singulorũ ordinum Angelorũ.) Et hęc de secunda par. sufficiant. Pro declaratione aũt. 3. par. ponitur hæc conclus. Cõgruè diuina præcepta per virũ ad primã mulierẽ deriuata sunt. Quam quidẽ conclusionẽ Mag. probans, dicit, hic esse notandũ, ꝙ non soli viro datum fuit pceptum de abstinentia ligni vetiti, sed & mulieri. Quod patet ex hoc, quia mulier Diabolo rñdens, dicit. Precepit nobis Deus &c. non obstante, ꝙ & ante mulieris formationem Dñs viro preceptũ dederit, quod deinde per ipsum ad mulierem debuit deferri. Nam mulier non debuit immediatè recipere preceptũ à Deo, (cum sit subiecta viro,) sed mediante viro Diuinum debuit accipere preceptũ, sicut dicit Apost. si quid discere voluerint mulieres, domi viros suos interrogẽt. Vltimò querit, quõ vir potuit loqui, & quõ mulier uirum loquentem intelligere potuit, cum non didicerint. Et dicit, ꝙ responderi potest, eos tales fuisse à Deo factos, quòd potuissent loqui. Et hęc de tertia, & ult. parte huius distin. dicta sint satis.

DE ORIGINE ILLIVS Peccati.

DISTINCT. XXII.

TEXT.

Hic videtur diligenter inuestigandum esse, quæ fuerit origo, & radix illius peccati. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista vigesimasecunda distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de tentatione ex parte tentantis: agit hic consequenter de eadem ex parte tentati. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit, quòd primò Eua fuit, quæ superbiendo peccauit, deinde vir. In secunda verò ostendit, qualiter grauius peccauerit mulier, quàm vir. In tertia autem, & vltima ostendit, malum consensum debuisse ipsius hominis procedere ex libertate arbitrij, & Diabolo tentante. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Non Adam, sed Eua in tanta elatione fuit seducta, vt per esum ligni vetiti se similem fieri Deo existimauit. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd radix, & origo primi peccati primorũ parentum, fuit, quòd in animis eorum præcessit quædam præsumptionis elatio, ex qua quidem præsumptionis elatione, primò mulier, deinde vir Diabolo suadenti consenserunt. Contra quod dictum obijciens, dicit, quòd si sic est, ergo sequitur hominem non alterius suggestione, sed propria superbia peccasse, vt Angelus; & per consequens, vt Angelus corruisse, cuius tamen contrarium dicebatur in

præce-

[illegible] distinctione. Ad quod respondet, dicendo, quod [illegible] elationem quandam in peccato primorũ parentum præcessisse, non ita intelligebat, quòd, scilicet, illa [illegible] præcesserit suggestionem, sed benè opus peccati. Nam in illo peccato ille fuit processus, & ordo, quòd primò præcessit tentatio Diaboli, ex qua immediatè secuta est hominis elatio, quam deinde secutum est peccatum, & vltẽ[illegible] pœna peccati. Et subdit, quòd talis elatio fuit aliter in muliere quàm in uiro: quia mulier credidit fieri, sicut Deus, putans esse verum esse, quod Diabolus suadebat. Vir autem non credidit, nec putauit verum esse, quod Diabolus [illegible]debat, aliqua tamen elatio in mente eius per tentationẽ [illegible]stitit. Vndè uir aliter fuit seductus, quàm mulier, quod Magister diuersis sanctorum auctoritatibus confirmat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur illa alia conclusio. Grauius Eua, quàm Adam peccauit transgrediendo diuinum præceptum in paradiso. Quam conclusionem Magister tripliciter probat. Primò ex hoc, quòd mulier verũ esse credebat, quod Diabolus ei dixit, quod non fecit vir, vt patet ex prædictis. Secundò ex hoc, quòd mulier elata nimis, præsumebat se posse fieri æqualem Deo, quod nõ fecit vir qui de pœnitẽtia, & misericordia Dei cogitans, in hoc tantùm deceptus fuit, quod peccatum, quod fuit mortale, credebat esse veniale. Tertiò ex hoc, quòd mulier peccauit in Deum, in se, & in proximum. Vir autem solùm in Deum, & in seipsum. Sed contra illud obijcit tripliciter. Primò auctoritate beati Augusti. dicentis, quòd utriusque erat par fastus, & per consequens æqualiter peccauerunt. Ad quod respondens, dicit, quòd licet vtriusq; fuerit par fastus in excusatiõne peccati, eo quòd mulier excusauit se per serpentem, & vir per mulierem: in muliere tamen erat maior fastus, quoad tria prædicta. Secundò obijcit iterum auctoritate beati Augusti. dicentis, quòd etiam vir voluit esse æqualis Deo. Ad quod respondens, dicit, quòd hoc aliqui opinati fuerunt, qui tamen cum hoc posuerunt, quòd vir non tanta ambitione ad hoc exarsit, sicut mulier. Tertiò obijcit contra idem assu-

mens, quòd tribus modis peccatum committitur, scilicet, ex ignorantia, ex infirmitate, & ex industria: & grauius est peccatū, quod cōmittitur ex infirmitate, quàm, quod cōmittitur ex ignorātia: & grauius, qđ cōmittitur ex industria, quàm quod committitur ex infirmitate. Cùm ergo mulier videatur peccasse ex ignorantia, quia seducta fuit, Adam verò ex industria, quia non fuerat seductus secundum Apostolum; videtur dicendum virum grauius peccasse, quàm fecerit mulier. Et respondens Magister, dicit, quòd licèt mulier peccauerit ex ignorantia, quo ad hoc, quia seducta per Diabolum, credidit esse verum quod ipse suadebat: non tamen peccauit ex hoc per ignorantiam, quòd non nouerit præceptum Dei. Et ideò excusari à peccato per ignorantiā non potuit; quia omnis ignorantia, & excusatio tollitur, vbi mandatum Dei non ignoratur, & peccatum esse contra ipsum mandatum non dubitatur. Postea subdit distinctionem ignorantiæ, dicens, quòd ignorantia triplex est. Vna est vincibilis: & hæc est eorum, quæ homines nolunt scire, & tamen possunt, & tenentur. Et hæc non excusat à peccato, sed ipsa est peccatum. Alia est inuincibilis: & est eorum, quæ homines volunt scire, & non possunt. Et hæc excusat à peccato, & non est peccatum, sed pœna peccati. Tertia mediocriter se habet: & est eorum, qui simpliciter nesciunt non renuentes, vel proponentes scire. Et hæc aliquo modo excusat, ut minus puniatur homo. Quæ omnia confirmat auctoritate beati August. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Malus consensus hominis naturam bonā habentis, processit ex proprio libero arbitrio, & suggestione Diaboli suadentis. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit, cùm natura hominis esset sine vitio, vnde processit consensus malus? Et respondens, dicit, quòd processit ex libero arbitrio volūtatis, & rationis. Vndè & hoc, quòd homo fiebat deterior, hoc fuit à Diabolo, qui suasit, & à voluntate, quia homo suadenti consensum dedit; quia licèt liberum arbitrium de se sit bonum, de ipso tamen potuit procedere consensus malus. Quærit etiam vlterius,

verum

vtrum voluntas, illud peccatum præcesserit. Et respondet, quòd cum in voluntate, & in actu consistat peccatum, voluntas actum præcessit, sed ipsam malam voluntatem alia hominis voluntas mala non præcessit: sed prima mala hominis voluntas ex Diaboli persuasione, & ex hominis libero arbitrio processit. Et hæc de hac distinct. dicta sufficiant.

QVARE DEVS PERMISERIT hominem tentari, sciens eum esse casurum.

DISTINCT. XXIII.

TEXT.

Præterea quæri solet: cur Deus hominem tentari permiserit, quem decipiendũ fore præsciebat. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista uigesimatertia distinctio cùm superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de tentatione primorum parentum ex parte tẽtati, & tentatoris: consequenter nunc in hac agit de eadem ex parte Dei permittentis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Mag. determinat quare Deus hominem tentari permisit. In secunda verò ostendit, primũ hominem omni scientia pertinente ad suum statum illustratum fuisse. In tertia autem, & ultima ostendit, qualiter primus hõ ante peccatum, futurum euentũ sui status nõ præsciuerit. Pro declaratione igitur primæ par. ponitur hæc cõclusio. Deus hoĩem, quẽ pſciuit decipiendũ ad laudabilius bonum tentari permisit. Quam quidem conclusionẽ Mag. probans,

probans, quærit quinque quæstiones. Quarum prima est, Cur Deus hominem tentari permisit, quem decipiendum præsciuit? Et respondens ad hoc, dicit, quòd ad ostendendam dignitatem humanæ naturæ; quia dignior est conditio posse tentari, & non consentire; quàm nec posse tentari, nec posse consentire. Secunda quæstio est, Cur Deus illos homines creauit, quos futuros malos preuidit? Et respondens, dicit, quòd propter bonum, quod inde venturū nouit. Tertia quæstio est. Cur Deus non fecit hominem impeccabilem? Et respondens, dicit, quòd hoc ideò fuit, quia melius erat vtranque naturam esse, vnam, scilicet, quæ non peccare posset, cuiusmodi est in sanctis Angelis per gratiam in gloria confirmatis: alteram verò, quæ peccare, & non peccare posset, si vellet, qualis fuit in hominibus, quàm facere vnam naturam tantùm vnius modi solùm. Quarta quæstio est. Cur Deus, qui sola sua voluntate potuit eos salu..re à malo eorum consensu, hoc non fecit? Et respondens dicit, quòd voluit eos in sua natura relinquere, ut nec insu..ctuosè boni essent, nec impunè mali. Quinta, & ultima quæstio est. Cur Deus, cùm sit omnipotens, non conuertit voluntates eorum ad bonum? Et respondet, quòd noluit, cuius quidem nolitionis causa ulterius non est quærenda. Et hęc de prima parte sufficerant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Deus mox hominem creatum repleuit omni scientia pertinente ad suum statum. Quam probans, dicit, quòd primus homo non per interualla, siue per successionem temporis, sed creatus mox scientiam sibi necessariam, & competentem accepit. Vnde triplici cognitione primus parens preditus fuit. Primò cognitione rerum propter se creatarum, quarum curam erat habiturus. Vndè, & eis nomina imposuit, (ut in Gen. legitur.) Quam quidem cognitionem etiam post peccatum retinuit. Secundò dotatus fuit primus homo cognitione sui creatoris, scilicet, Dei Opt. Max. non quidem per ænigma, sed per quandam interiorem inspirationem, non tamen ita clarè, sicuti in patria habent sancti. Tertiò fuit illustratus cognitione suijpsius, nā cognouit quid deo, quid sibi, & quid alijs

...us debuit. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur illa conclusio. Homo ante peccatum, non præsciuit futurum euentum sui status. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum primus homo habuerit scientiam eorum, quæ circa ipsum futura erãt. i. ante præsciuerit qualia bona habuisset, si perstitisset: vel etiam ante præsciuerit ruinam sui lapsus. Et respondens dicit, quòd primus homo acceperat scientiã eorum, quæ agenda, & dimittenda fuerant, (aliàs peccatum fuisset sibi iniustè imputatum) sed non fuit præscius sui casus, cuius simile suprà dictum est de Angelis corruentibus, quod confirmat auctoritate beati August. Et hęc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE GRATIA HOMINIS, & de potentia ante casum.

DISTINCT. XXIIII.

TEXT.

Nunc diligenter inuestigari oportet, quam gratiam, vel potentiam habuerit homo ante casum, & Vtrũ per eam potuerit stare, vel non. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimaquarta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de culpa, per quam homo cecidit: consequenter nunc in hac agit de auxilio per quod stare potuit. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter primis parẽtibus fuerit datum sufficiens

ficiens adiutorium ad status innocentiæ tentationem. In secunda verò subdit,, quòd illud auxilium, fuit liberum arbitrium, insinuans ad quam animæ portionem ipsum pertineat. In tertia autem, & ultima subiungit, quòd nos peccantes sequimur quodammodo primorum parentum tentationem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Primus homo auxilio gratiæ à creatione sibi inditæ, potuisset absque meritò cuilibet tentationi resistisse. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd primus homo ex creatione habuit sibi inditum rectæ voluntatis auxilium, quo potuit resistere malo, licèt non ad meritum gloriæ. Et ratio est, quia si tale auxilium non habuisset, peccatum non fuisset sibi iustè imputatum. Sed contra obijcitur dupliciter. Primò quærendo, quomodo talis voluntas recta possit dici, cùm primus homo nec meruerit, nec flexerit? Et respondet, quòd ipsa fuit recta per carentiam culpæ, & quia tempus stare uoluit. Secundo obijcit, quærendo, quomodo potuit resistere malo in primo statu, cùm resistere malo sit meritorium? nam si sic, ergo potuit mereri. Et respondet, quòd resistere malo est meritorium in natura corrupta, in qua aliquid est impellẽs ad malum: non autem in natura integra, in qua fuit auxilium includens rectitudinem omnium potentiarum animæ absq; quocunque impellente ad malum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Auxilium, quo homo in statu innocentiæ potuisset vitasse peccatum, est liberum arbitrium pertinens ad superioris rationis portionem. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Quid sit illud auxilium, quo homo potuisset in primo statu vitasse peccatum. Et respondens, dicit, quòd fuit liberum arbitrium, quod describens, dicit, quòd sit facultas voluntatis, & rationis, qua bonum eligitur cum gratia, & malum sine gratia: & dicitur liberum, quo ad uoluntatem, & arbitrium quo ad rationem, ad quam spectat potentia discernendi. Et dicitur facultas voluntatis, & rationis, eo quòd tam ad voluntatem, quàm ad rationem spectat. Ex quo correlari è infert, quòd liberum

liberum arbitrium sit potentia rationalis naturæ, qua potest uelle bonum, vel malum utrunque discernendo, & per consequens bruta animalia eo carent, & sic tantùm sensum, & appetitum (qui sensualitas dicitur) habent. Et subdit, q; sensualitas, & ratio sunt duæ animę potentiæ abinuicē differentes. Nam sensualitas respicit sensus corporis, & appetitus eorum. Ratio uerò est quædam uis animæ superior, excedens omne illud, quod habemus commune cum brutis. Cuius quidem rationis duplex est portio. Vna inferior, quæ disponit temporalia. Alia verò superior, quæ ęternis bonis conspiciendis intendit. Et hæ duę portiones non nominant duas esse animę potentias, sed diuersa officia vnius esse, & eiusdem potentiæ. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur ista conclusio. Tunc mortaliter, uel uenialiter peccamus, dum uel in opus, uel in delectationem culpę consensum damus. Quam Magister probans, dicit, quòd ad similitudinem primi hominis primi peccati, aliquando contingit nos peccare. Nam sicut in primo peccato primorum parentum inueniebatur serpens suadens mulieri, & mulier suadens uiro: ita & in nobis sensualitas per modum serpentis, suadet rationis portioni inferiori, & inferior portio rationis, suggerit superiori. Inferior autem, & superior rationis portiones, se habent sicut uir, & mulier; quia sicut mulier producta fuit de uiro, & sola in adiutorium data, & unum cum ipso in carne una: ita & inferior rationis portio à superiori deducta est, & ei in adiutorium data, & cum illa vna natura mentis existens. Et sicut vir seductus fuit à muliere, & mulier à serpente: ita rationis portio superior decipitur ab inferiori, & inferior à sensualitate. Et subdit, quòd motus ad peccandum, qui solùm est in sensualitate, est peccatum veniale: sed perueniens ad rationem superiorem, est peccatum mortale: consistens verò in ratione inferiori, si non diu tenetur in cogitatione etiam est veniale. Si verò diu in cogitatione teneatur, & delectatio placeat, pœnitus est mortale. Et hæc omnia probat authoritate beati August.

Addens etiam quòd largè ratio inferior aliquando sumitur pro sensualitate. Quod dimitto diligenti lectori perscrutandum. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis satis dicta sint.

REDIT AD LIBERI ARbitrij considerationem.

DISTINCT. XXV.

TEXT.

Iam verò ad propositum redeamus, scilicet, ad liberi arbitrij tractatum. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista vigesimaquinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in præcedenti distinctione egerit de libero arbitrio in comparatione ad alias potencias: consequenter nunc in hac determinat de eo quantum ad sui propriam rationem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, respectu quorum sit liberum arbitrium, & quòd aliter sit in Deo, aliter in Angelo, & aliter in homine. In secunda verò ostendit, quomodo differenter ad bonum, vel ad malum se habeat in viatoribus. In tertia autem, & vltima ostendit, quomodo ipsum nunc ex peccato debilitatum sit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Liberum arbitrium, quod in viatoribus solùm respectu futurorum contingentium esse dicitur, aliter in Deo, aliter in Angelis, & aliter in hominibus existit. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd liberum arbitriū

philosophi diffinientes, dixerunt, hoc esse liberum de voluntate iudicium: eo quòd liberè possit moueri ad hoc, vel ad illud: non autem attenditur libertas arbitrij respectu præsentium, aut præteritorum, quia præsentia, & præterita determinata sunt, nec subiacent facultati nostræ uoluntatis; sed solùm respectu futurorum contingentium, quæ in nostra potestate sunt. Postea subdit, quòd liberum arbitrium dissimiliter est in Deo, nobis, & Angelis beatis. Nam in Deo est omninò liberum arbitrium à seruitute peccati. In Angelis beatis per gratiam confirmatum. In nobis autē hominibus est flexibile in bonum, uel in malum. Vndè secundum quadruplicem hominis statum; quadruplex assignatur in homine fuisse libertas. Nam primò in statu innocentiæ erat in homine libertas, qua potuit peccare, & non peccare. In statu verò beatitudinis, seu patriæ erit in homine libertas, qua nullo mō poterit peccare. In isto statu viæ post peccatum; & ante reparationem, habuit homo libertatem, qua non potuit non peccare etiam mortaliter. In statu verò post peccatum, & post reparationem, ante gloriam, habet libertatem, qua non potest non peccare venialiter. Sed arguitur in contrarium sic. Homo potest mortaliter peccare post peccatum, & post reparationem ante statum gloriæ: ergo illud dictum Magistri non videtur verum esse asserendum. Antecedens probatur, quia ille potest mortaliter peccare, qui habet potentiam ad opposita existentem sed homo in isto statu existens, habet ad opposita potentiā inclinatam: ergo potest etiam mortaliter peccare. Maior huius probationis patet. Minor verò nota est ex hoc, quòd homo habet in isto statu potentiam rationalem, quæ est ad opposita. Solutio satis patet, quia potest liberè, non tamen cogitur ab aliquo impellente ex necessitate. Ex quo infert corrolarium, nempè, quòd liberum arbitrium per peccatum est quodammodo vulneratum, & expoliatum: vulneratum, quo ad naturalia: expoliatum, quo ad gratuita. Quæ duo homo sine gratia non potest reparare, sicut aliquis, qui seipsum occideret, non posset ille per se ad uitam redire; quoniam non ens, non potest esse alicuius rei

producibilis principium: sed per interfectionem occisus, factus est non ens; ideò per se non potest ad vitam redire; licèt tamen possibile sit per virtutem Diuinam, aliàs non: quoniam sequeretur quòd idem esset suiipsius principium productiuum; quod contradictionem implicat. Postea subdit, quòd libertas triplex est. Prima est à coactione. Et hæc semper fuit, & manet in hominibus in omni statu. Alia est libertas à miseria. Et hæc fuit in homine in statu innocentiæ, & erit in statu beatitudinis. Tertia est libertas à peccatis. Et hæc est in hominibus viatoribus solùm, qui hic secundum gratiam à peccatis liberantur. Et subdit, quòd sicut seruus iusticiæ liber est à peccato; ita seruus peccati liber est à iustitia, quia ei non seruit; nec tamen propter hoc seruus peccati est liber dicendus, eo quòd libertas à iustitia non sit vera libertas censenda. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis homo solo libero arbitrio mediante, non possit perfectè per se in bonum, per se tamen ipso solo mediante, potest in malum. Quam Magister probans, quærit. Vtrum in homine ad bonum, & ad malum faciendum sit libertas arbitrij. Ad quod respondēs, ponit duas opiniones, & postea sententiam suam propriam. Prima opinio dicit, quòd homo solo libero arbitrio, etiam nullo addito, potest liberè facere bonum, uel malum. Secūda dicit, quòd non sola libertas arbitrij efficiat, sed mediante aliquo alio addito; ita quòd pronitas ad peccandum addita libero arbitrio, moueat ipsum ad malum: gratia verò ipsi apposita moueat ipsum ad bonum. Sed Magister ponēs sententiam suam, dicit, quòd vtrunque sit à libero arbitrio, scilicet, & posse in bonum, & posse in malum: ita quòd posse in malum habeat homo ex se, posse autem in bonum mediante gratia, sine qua nemo potest benefacere, nisi valde debiliter. Quod confirmat Magister August. auctoritate. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Liberum arbitrium est quodammodo in hominibus per peccatum diminutum. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, ꝙ

ex præ-

ex prædictis patet liberum arbitrium in homine esse per peccatum minutum, seu quodammodo in sua libertate corruptum: quia ante peccatum homo potuit sine difficultate moueri in bonum, quod post peccatum non potest lege membrorum repugnante, eo quòd per peccatum recipit difficultatem ad bonum, & incitamentum, seu pronitatem ad malum: quæ ante peccatum non habebat. Deinde concludit, quòd nullus potest solo libero arbitrio naturæ, seu à coactione facere bonum meritorium, nisi adsit libertas gratiæ, i. libertas à miseria, & à peccato, licèt possit facere malum. Quod probat auctoritate Apost. dicentis, non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, qui operatus in nobis velle, & perficere. Si sic, ergo homo per se potest peccare, idest solo libero arbitrio: non tamen per se potest benefacere, nisi gratia liberante, seu adiuuante. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinct. dicta sunt satis

DE GRATIA OPERANTE, & cooperante.

DISTINCT. XXVI.

TEXT.

Hæc est gratia operans, & cooperans. Operans enim gratia præparat hominis voluntatem, vt velit bonum. Gratia cooperās adiuuat, ne frustra velit. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimasexta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs determinauerit de libero arbitrio secundum propriam sui rationem; consequenter hic agit de eo per comparationē

Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, voluntatem hominis adiuuari ad bonum gratia operante, & cooperante. In secunda verò ostendit, ipsam gratiam operantem non acquiri ab ipsa voluntate meritò aliquo. In tertia autem, & vltima ostendit, gratiam dici operantem, & cooperantem propter diuersos effectus. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Iuuatur hominis voluntas ad bonum perficiendum operante, & cooperante gratia. Quam quidem conclusionē Magister probans, ponit duplicem esse gratiam, qua liberū arbitrium hominis iuuatur ad bonum. Quarum prima dicitur operans præueniens voluntatem bonam: ea enim liberatur, & præparatur voluntas hominis, vt sit bona, & vt bonum efficaciter velit. Alia est gratia cooperans sequens ipsam bonam voluntatem præparatam, vt bonum velit, & effectu. Quod probat Magister, auctoritate beati Aug. Deinde recitat Magister errorem cuiusdam hæretici dicentis, hominem posse velle bonum operari solo libero arbitrio sine gratia. Quem errorem excludit Magister auctoritate Apostoli dicentis. Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Super quod dictum beatus August. ait. Non.n. ideò Deus alicuius miseretur, quia vult, & currit: sed ideò vult, & currit, quia Deus sui miseretur. Paratur enim voluntas hominis à Deo, & à Domino gressus hominis diriguntur. Deinde subdit descriptionem voluntatis, quam ponit Aug. dicens, quòd voluntas animi motus est nullo cogente ad aliquid non admittendum, vel adipiscendum. Annectens, quòd eandem gratiam, quam ipse suprà distinxit in operantem & cooperantem, etiam vocamus præcedentem, & subsequentem. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Gratia operans, quæ est fides cum dilectione, bonam voluntatem non tempore, sed natura, & causaliter præcedens, non acquiritur ab ipsa voluntate aliquo meritò. Quam conclusionem Magister probans, dicit, quòd voluntas, vt perficitur per gratiam præueniẽtem seu operantem, non præuenit gratiam ipsam, sed sequitur ipsam; quia nullum

lum meritum voluntatis præcedit gratiam, sed ipsam gratiam ordine causalitatis benè sequitur, quæ quidem gratia operans est fides cum dilectione. Quod probat per beatũ Aug. Ex quibus verbis manifestè exprimitur, quòd per fidem iustificamur, & per consequens gratia operans (i. fides) prævenit voluntatem, seu meritum voluntatis. Contra quod obijcit Magister duabus auctoritatibus, & soluit, vt in textu videre est, in quo alia clarè patent. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem textus partis, ponitur hæc conclusio. Vna est gratia operans, & cooperans secundum rem, diuersimodè tamen nominatur secundum diuersos eius effectus. Quam conclusionem Magister probans, quærit. Verum gratia operans, & cooperãs sint diuersæ gratiæ, seu vna gratia diuersis vocabulis designata. Et respondens, dicit, quòd sit vna, & eadem gratia, & idem Donum: tamen propter diuersos effectus est diuersis nominibus vocata. Nam inquantum liberat voluntatem à malo, dicitur operans: inquantum verò adiuuat ad bonum alicuius faciendum, dicitur cooperans. Cætera patent in littera. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis satis dicta sint.

DE VIRTVTE QVID SIT, & quid sit actus eius.

DISTINCT. XXVII.

TEXT.

Hic videndum est, quid sit virtus, & quid sit actus, vel opus eius. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimaseptima distinctio cum superiori, hoc in modum. Cùm enim Magister suprà determi-

terminauerit de efficacia gratiæ liberi arbitrij generaliter: hic nunc vult agere de efficacia virtutis specialiter. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter virtus capiatur pro qualitate animi, & non pro actu, uel motu mentis. In secunda verò ostendit, neminem sine gratiæ auxilio posse mereri. In tertia autem, & ultima ostendit, quòd fides, & charitas non sunt motus, seu affectus mentis, sed virtutes, quæ mouent mẽtem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Virtus, quæ est bona mentis qualitas censenda, non est actus, neque motus animi verè dicenda. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd quædam sunt magna bona hominum, (vt in pen. cap. præcedentis distin. dixit) cuiusmodi sunt virtutes, quibus nemo malè vitur. Quædam autem sunt bona minima, vt bona temporalia. Quædam verò sunt media, vt potentiæ animæ. Et illis quidem minimis, & medijs bonis, tam benè, quàm malè vti possunt homines: magnis verò bonis, scilicet, virtutibus nemo potest malè vti. Dicit etiam quòd liberum arbitrium in medijs bonis est. Inducit autem ad hoc authoritates August. Ex quibus contrarietatem colligit, quia primò ponit quædam verba Aug. in quibus dicitur, quòd opus virtutis, est bonus vsus liberi arbitrij. Secundò ponuntur quædam verba eiusdem, in quibus dicitur, bonum usum liberi arbitrij esse uirtutem, quæ duo contrariantur, quia opus uirtutis non est uirtus: Si ergo opus liberi arbitrij est uirtus, non est opus uirtutis, cuius oppositum dixerat. Postea soluit, ostendens, quòd uirtus non est actus, & ponit talem rationem. Causa uirtutis in nobis est Deus, & non nos, sed cuiuslibet actus nostri nos causa sumus: ergo virtus non est actus, & per consequens gratia non est actus, cum gratia sit uirtus, uel aliquid simile uirtuti. Si sic, ergo vsus liberi arbitrij, qui est actus noster, non est uirtus. Probat autem in hac dist. ꝙ uirtutis causa in nobis sit Deus, Primo de uirtute in communi, per eius diffinitionem, quam Aug. ponit, dicẽs, quòd uirtus est bona qualitas mẽtis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine

nobis

nobis operatur. Secundò probat eam in speciali de virtute iustitia, de qua beatus Aug. ait, quòd nullus eam in homine efficit, nisi Deus. Tertiò probat eam specialiter de fide, quam secundum Apost. solus Deus infundit. Postea dicit, quòd omnis motus, & affectus mẽtis ex libero arbitrio est, sed bonus quidem ex gratia, & libero arbitrio, malus verò ex libero arbitrio tantùm. Quod probat auctoritate beati Aug. Ex qua vna cùm prædictis infert, quòd virtus nõ est motus, vel affectus animi, sed qualitas animam informans. Quod de gratia, quæ etiam virtus dici potest, asserit fore censendum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis absq; libero arbitrio mereri nemo possit, gratia tamen principale merendi erit principium. Quam ponens, sententialiter dicit, quòd quamuis nullum meritum sit in homine, quod non fit per liberum arbitrium; principalis tamen causa merendi, est ipsa gratia gratum faciens, (sed non gratis data, quæ est Donum Dei, hæc enim gratia est illa, per quam vnus homo cooperatur alteri ad hoc quòd ad Deum reducatur, vt notat. D. Th. in 1.2. Q. 111. art. 1.) Qua quidem gratia sanatur, & iuuatur hominis voluntas, vt sit bona, & producat bonas operationes, & sic ex gratia, & libero arbitrio procedit primus bonus motus mẽtis, cui correspondet primum meritum hominis. Ex quo concludit, ꝙ ex actibus virtutum boni sumus, & iuste viuimus. Et quod B. Aug. suprà dicit vsum liberi arbitrij virtutẽ esse, ibi sumpsit virtutem pro actu virtutis, quia aliàs sibi ipsi contradiceret. Et hæc de 2. par. sufficiant. Pro declaratione aũt 3. par. ponitur hæc conclusio. Fides, & charitas nõ sunt motus, seu affectus mentis, sed virtutes mentem mouẽtes. Quam quidem conclusionem Mag. probans, recitat quandam auctoritatem in littera introductam ex verbis Augu. quibus (vt suprà dictum est in prima ꝓpositione) videtur dicere Aug. ꝙ vsus liberi arbitrij, sit vsus virtutis, & virtus; & dicit quosdam opinatos fuisse, quòd virtutes essent propriè actus naturalium potentiarum; non tamen omnes, sed tantummodo interiores in mente existentes.

Exte-

Exteriores verò actus, puta, qui per corpus geruntur, dixerunt esse propriè actus virtutum, & non virtutes. Vndè dixerunt, quòd dictum beati Aug. quo dixit opus uirtutis esse bonum vsum naturalium potentiarum, debet intelligi de actu exteriori. Quod verò dicit vsum liberi arbitrij esse virtutem, intelligi debeat de motu, siue de actu interiori, quē ipsi uirtutem dicebant. Quod confirmabant per hoc, quòd idem beatus Aug. dicit super Ioan. quòd fides est credere quod non vides. Cùm ergo credere sit motus mentis interior, videtur, quòd uirtus fidei sit interior mentis motus. Et similiter dicebant de alijs virtutibus fore iudicandum. Sed Magister illam opinionem remouens, dicit, beati Aug. auctoritates innuentes, quòd fides, & charitas sint motus animi, seu mentis, non sic esse intelligendas, vt sonant: sed cùm dicit, quòd fides sit credere quod non vides, idem est, ac si diceret. Fides est virtus mouens ad credendum, quod non uides: & sic de singulis uirtutibus conformiter est. Et hæc de tertia, & ult. par. huius distinctionis dicta sufficiant.

PRÆDICTA REPETIT, VT alia addat, diffinitam assignationem ponens de gratia, & libero arbitrio contra Pelagianos.

DISTINCT. XXVIII.

TEXT.

Id verò inconcussè, & incunctanter teneamus liberum arbitrium sine gratia præueniente, & adiuuante non sufficere ad salutem. &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimaoctaua distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de libero arbitrio cum gratia: consequenter in hac vult agere de insufficientia liberi arbitrij sine gratia. Diuiditur præsens distinctio in tres partes principales. In quarum prima Magister ostendit, liberum arbitrium non sufficere ad salutem obtinendam sine gratiæ auxilio, excludendo opinionem contrariam Pelagianorum. In secunda verò ponendo obiectiones, & earum solutiones ostendit, viatores non posse libero arbitrio obseruare Dei præcepta, nec uitare peccatum absquè gratia ipsius Dei. In tertia autem & ultima excludit hæreticorum opiniones, quæ uidentur liberum arbitrium tollere. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quanuis liberum arbitrium in merito magnam uirtutem habeat, tamen sine gratia non sufficit homini ad salutem. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd liberum arbitrium nõ sufficit homini sine gratia ad salutem; quanuis Pelagiana hæresis oppositum sentire uideatur. Nam Pelagius Monachus (à quo talis hæresis denominatur) intantum de libero arbitrio præsumebat, quòd asserebat gratiam Dei dari secundum eius merita: & etiam hominẽ posse implere mandata ipsius Dei sine gratia. Vndè increpatus à commonachis suis dicentibus ad quid gratia tunc necessaria esset, si sine gratia possemus adimplere mandata. Qui respondit, ad hoc ut homo facilius cum gratia mandata Dei adimplere posset. Dicebat etiam alia inconuenientia, nempè orationes, quas facit Ecclesia, nihil conferre his pro quibus fiunt, scilicet infidelibus, & peccatoribus, siue fidelibus; quia ex sua propria uoluntate conuertuntur ad Deum, & non ex nostris orationibus; & quòd gratia datur secundum merita nostra, & quòd paruuli sine originali peccato nascuntur, quod totum hæreticum est. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur illa

alia

alia conclusio. Quamuis viatores liberum arbitrium habeant, tamen sine gratia nullus potest Dei adimplere praeceptum, nec uitare peccatum. Quam conclusionem Magister probans, ponit quinque rationes, quibus haeretici, scilicet, Pelagiani suam haeresim confirmabant. Quarum prima est talis. Homo per solum liberum arbitrium sine gratia potest vitare peccatum, & facere bonum: ergo potest per solum liberum arbitrium mereri. Tenet consequentia ex hoc, quòd non imputatur homini culpa in eo, quod uitare non potest. Assumptum probant haeretici auctoritate beati Aug. qui dicit, quòd voluntas est qua peccatur, & qua rectè viuitur. Et respondens Magister, dicit, beatum Aug. illam auctoritatem in libro retractationum glosasse: & dicit eam cum additione fore intelligendam, scilicet, quòd uoluntas, qua peccatur, & rectè viuitur, non potest in bonum dirigi, nisi per gratiam Dei à peccato mundata iuuetur. Secunda ratio est ista. Si mãdata Dei sine gratia Dei seruari non possunt: tunc aliqui non seruantes ea, non peccant; vt patet de paruulis natis in peccato originali: sed consequens est falsum, ergo &c. consequentia patet auctoritate beati Aug. dicentis, quòd nullus debet reputari reus ideò, quia non fecit, quod facere non potuit. Et respõdens Magister, dicit, beatum Aug. hoc verbum scripsisse cõtra Manicheos, qui posuerunt in homine duas esse naturas, vnam bonam, aliam malam: bonam à Deo, malam uerò à Diabolo. Quod si ita esset, tunc secundum illam malam naturam hõ non posset facere bona, nec vnquam posset bonũ velle. Et tunc huiusmodi non esset sibi imputandum, quod nõ faceret bonum, nec etiam quòd esset malus. Tertia ratio est ista. Homo resurgere põt à peccato sine gratia; ergo põt facere bonum sine gratia. Tenet cõsequentia: sed assumptum patet auctoritate B. Aug. dicentis, quod mutare voluntatem est in nostra potestate. Et respondens Magister, dicit, B. Aug. intellexisse, quod quamuis mutare voluntatẽ sit in nostra potestate, hoc tamen est à Deo per gratiam. Quarta rõ est. Homo per se absq; gratia põt credere in Deũ igitur &c. Consequentia tenet. Antecedens uerò patet per beatum

Aug. dicentem, quòd credere, & uelle nostrum est. Et respondet Magister, dicens, quod credere, & uelle Dei est principaliter, nostrum autem ex consequenti. Quinta, & ultima ratio est. Habere fidem est naturale homini: igitur homo sine gratia potest credere in Deum, & habere fidem, & per consequens benefacere. Et hoc similiter per Aug. confirmant. Ad quod Magister respōdet, quod illa uerba, nempè habere fidem est naturale homini, sunt uera; quia designant, quod homo sic secundum sua naturalia aptus ad credendum, & diligendum, & nihilominus credere, uel diligere sine gratia esse non possunt. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Ex prædictis constat omnes hæreticos illos errare, qui dicunt nos ad bonum Dei auxilio non indigere. Quam Magister sententialiter ponens, dicit, illos hæreticos errare, qui ponunt hominem propter malam naturam non posse uitare peccatum, cuiusmodi fuerunt Manichei: & etiam alios, qui ponunt homines nō posse peccare propter bonam naturā: sicuti fuerunt Iouiniani. Quæ ambæ opiniones tollunt liberum arbitrium, quo mediante homo potest semper peccare, & non peccare. Et hæc de hac distinct. dicta sufficiant.

VTRVM HOMO ANTE peccatum eguerit gratia operante, & cooperante.

DISTINCT. XXIX.

TEXT.

Post hæc considerandum est, Utrum homo ante peccatum eguerit gratia operante, et cooperante &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista uigesimanona distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de gratia absolutè: consequenter hic determinat de ea in comparatione ad statum primi hominis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, primum hominem in statu innocentiæ indiguisse gratia ad exercendam iustitiam. In secunda uerò ostendit, primum hominem post peccatū fuisse expulsum de paradiso, & loco uoluptatis. In tertia autem, & ultima ostendit, primum hominem amisisse immortalitatem propterea quòd nō habuit frequentem usum ipsius ligni uitæ. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Primus homo in statu innocentiæ non indiguit gratia ad expellendum malitiam, sed gratia, & charitate ad exercendum iustitiam. Quam quidem cōclusionem Magister probans, quærit duas quæstiones, quarum prima est hęc. Vtrum primus homo indiguerit gratia in statu innocentiæ tam operante, quàm cooperante. Et respondens Magister, dicit, quòd indiguit vtraque gratia: non tamen indiguit gratia operante secundum omnem eius operandi modum. Nam illa gratia operatur duobus modis, s. adiuuando liberum arbitriū à malo, & seruitute peccati. Et sic hoc modo gratia operante primus homo in statu innocentiæ nō indiguit, eoquòd sine peccato erat. Alio modo operatur gratia operans præparando hominis voluntatem ad bonū. Et sic hoc modo primus homo ipsa indiguit, cum eius uoluntas per se in bonum efficaciter moueri non posset. Quod probat Magister auctoritate beati Augu. Secunda quæstio est hæc. Vtrum primus homo in statu innocentiæ habuerit etiam uirtutes. Et respondet, quòd aliquibus uidetur, quòd non habuerit eas: quod hoc modo probant. Iustitiam non habuit, quia præceptum Dei contempsit. Prudentiam non habuit, quia sibi non prouidebat. Temperantiam similiter non habuit, quia aliena appetijt. Nec fortitudinem

habuit,

habuit, quia prauę suggestioni non restitit. Magister autem ad hoc respondens, dicit, quòd licèt Adam quando actualiter peccauit, tunc illas uirtutes non habuerit: nihilominus tamen habuit eas ante peccatum, quas per peccatum, dicitur abiecisse. Quod diuersis sanctorum auctoritatibus confirmat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista conclusio. Primus parens propter peccati indignitatem fuit de paradiso expulsus, & prohibitus de ligno uitæ edere, propter quod poterat, si perstitisset in æternum uiuere. Quam conclusionem probans Magister, dicit, quòd primus homo in pœnam sui peccati exclusus est à loco voluptatis, & ab esu ligni uitæ, per cuius vsum in æternum poterat viuere; non quidem post peccatum de ipso edendo, sed ante. Vbi soluit auctoritatem Gen. qua uidetur innui, quòd etiam post peccatum si de ligno uitæ comedisset, in æternum uixisset. Et dicit, quod auctoritas dicit, uidete ne fortè manum suum mittat ad lignum vitæ, & viuat in æternum. Quæ sic glosanda est. Videte vos angeli ne comedat de ligno vitæ, quo indignus est: de quo si perstitisset, & comedisset, vixisset in ęternum. Et subdit, quòd ad impediendum reditum hominis in paradisum, apposita est Angelica, & ignea custodia, s. Cherubin, & flammeus gladius atque versatilis, ne post peccatum possit homo illuc accedere. Et hęc de secũda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hęc conclusio. Licèt sit probabile Adam in statu innocentiæ comedisse de ligno uitæ: tamen quia frequenter eius vsum non habuit, immortalitatem non obtinuit. quam quidem conclusionẽ Magister probans, quęrit. Vtrum ante peccatum etiam de ligno uitæ comederit: & si comederit, quare non fuit factus immortalis. Et respondens, dicit, quòd comedit de ipso ante peccatum, eo quòd omnia ligna præter vnum sibi ad usum fuerunt concessa: sed ex hoc ipse non fuit effectus immortalis, quia non frequenter de ipso gustauit. Nam illud lignum non poterat conferre immortalitatem, nisi per frequentem eius usum. Et hęc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVOD

QVOD PER ADAM PECcatum, & pœna transijt in posteros.

DISTINCT. XXX.

T E X T.

In superioribus insinuatum est, licèt ex parte, (non enim perfectè sufficimus exponere) qualiter primus homo deliquerit, & quam pro peccato pœnam subierit: quibus adijciendum est, peccatum simul ac pœnam per eum transisse in posteros. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista trigesima distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de peccato primorum parentum, quo persona corrumpebat naturam: consequenter in hac incipit agere de peccato paruulorum, quo natura corrumpit personam. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter peccatum, quod in primis parentibus fuit actuale, in posteros transijt per originem ab ipsis, simul etiam cum ipsius peccati pœna. In secunda uerò ostendit quid sit, & quibus nominibus peccatum originale nominetur. In tertia autem, & ultima parte ostendit, omnes, qui descendunt ab Adam, fuisse in ipso secundum seminalem rationem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Primorum parentum primum peccatum fuit actuale mortale in ipsis, originale verò,

verò, inquantum ab eis in posteros deriuatum est. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit, quòd peccatum, & pœna in posteros transeunt, ex peccato tamen primi hominis, quod nonnulli dixerunt esse peccatũ actuale ipsius Adæ: quod probant auctoritate Apostoli dicentis, quòd peccatum, quod per vnum hominem in mundum intrauit, et inobedientia, quæ videtur esse peccatum actuale, vt dicit opinio ista. Alij verò, sicut Pelagiani, dixerunt peccatum, quod in mundum intrauit per Adam, etiam esse peccatum actuale, sed non ipsius Adæ, sed peccatum cuiuslibet hominis, quod dicebant per Adam in mundum esse introductum, non introductione originis, sed per quandam imitationem, vel similitudinem præuaricationis, eo quòd ille vnus omnibus exemplum reliquit. Quod videtur esse falsum, quia dato, quòd peccatum originale diceretur solùm exemplum peccati præteriti ad peccandum, tunc deberemus dicere, quòd etiam transiret à Dæmone in homines, cùm ipse primum peccandi exemplum omnibus reliquerit. Quod omninò à veritate alienum est. Vnde Magister dicit esse tenendum, peccatum ab Adam transiuisse in posteros non solùm imitationis exemplo, sed etiam propagationis, & originis vitio. Quod probat per beatum August. apertè dicentem, quòd peccatum originale transiuit ab Adam in omnes per eius carnem vitiatam concupiscentialiter generatos. Et hæc de prima parte sufficiant.

Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio.

Originalis culpa est quædam habitualis, & vitiosa concupiscentia excitans in nobis contra rationem desideria. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd peccatum primi hominis, secundum veritatem, (dimittens aliorum opinion.) est culpa à primis parentibus per originem in posteros traducta, quæ culpa non est actus ipsius hominis, sed quædam habitualis, & uitiosa concupiscentia excitans in homine mala desideria: quæ quidem culpa à sanctis Doctoribus diuersimodè nominatur.

N Quan-

Quandoque enim nominatur languor naturæ. Quandoque lex membrorum, quandoque lex carnis. Quandoque fomes peccati. Quandoque tyrannus. Quandoque concupiscentia, vel concupiscibilitas. Postea soluit duas difficultates cuiusdam hæretici Iuliani, scilicet, quærentis. Primò quomodo peccatum originale subintret paruulos, cum ipse nec genitus, nec generans peccet, nec conditor. Et respondet secundum beatum August. sententialiter dicentem, quòd odiosa primi parentis inobedientia fuit causa quare in nobis natus est fomes peccati, & concupiscentia. Secundò quæsiuit, an illud peccatum sit à natura, vel à voluntate. Et respondet sententialiter, dicens, quòd licet peccatum originale sit in nobis necessarium; tamen in primo parente, qui ipsum fecit, fuit voluntarium. Et hæc de secunda parte sufficiant.

Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Omnes qui descendunt ab Adam propagationis lege, fuerunt in lumbis eius seminali, seu materiali ratione. Quam probans, quærit. Quomodo in Adam potuerunt omnes homines secundum carnem esse, cùm nec tot athomi in ipso esse potuerunt, quot homines ab ipso processerunt? Et respondens, dicit, quòd omnes homines materialiter, vel carnaliter in ipso fuerunt: quia aliquid ab ipso decisum est, à quo sine alterius additione per solam multiplicationem materiæ in seipsam, corpus filii eius generatum est: & sic consequenter per decisionem facta in posteros, genus humanum multiplicatum est: ita quòd nihil omninò exterius adueniens, transit in veritatem humanæ naturæ, quod probat primò auctoritate Euangelii dicentis, omne quod intrat in os in ventrem vadit. Secundò per hoc, quòd omnes in resurrectione habebunt quantitatem perfectam sine alterius materiæ additione. Quæ Magistri sententia non tenetur communiter ab omnibus. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVO-

QVOMODO PECCATVM originale à patribus transeat in filios, an secundum animam, an secundum carnem.

DISTINCT. XXXI.

TEXT.

Nunc superest inuestigare, qualiter peccatum à patribus traducatur in filios, scilicet, an secundum solam animam, an secundum carnem, siue secundum vtrunque. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimaprima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim in præcedenti distinctione Magister egerit de quidditate peccati originalis, consequenter nunc determinat in hac de ipsus traductione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit, peccatum originale traduci per carnem, quæ animæ vnitur, non autem secundum animam. In secunda verò ostendit, qualiter anima maculetur ex cõiunctione carnis ad seipsam. In tertia adr, & ultima ostendit rõnem, per quã dicatur originale peccatũ. Pro declaratione igitur primæ par. ponitur ista cõclusio. Per carnẽ, qua uitiosa cõcupiscentia cõcipitur, & animæ vnitur, & non per animam peccatũ originale traducitur. Quam quidem cõclusionẽ Mag. probans, quęrit. Vtrum peccatũ ori-

ginale traducatur à parentibus in filios secundũ solam carné, vel secundum solam animam, vel secundũ vtrunque. Et Magister respondens, dicit, quosdam fuisse opinatos, quod peccatum originale traducatur secundum animam, ponentes animam ex traductione incipere: ratio autem eorum erat, quia sicuti in generatione prolis caro filij substantialiter de carne patris trahitur: ita etiam anima filij de anima patris essentialiter generatur. Quam opinionem Magister respuit, tanquam fidei catholicæ contrariam, eo quòd peccatum non secundum animam, sed secundum carnem solùm à parentibus trahitur. Nam in feruore libidinis concipitur caro in corpus formanda, quæ quidem caro virtute dicitur in se habere maculam peccati: & ideò ex vniore animæ ad ipsam contrahitur peccatum originale. Et sic peccatum dicitur virtualiter manere in carne, non tamen sicut in subiecto proprio, cùm caro non possit esse subiectũ culpæ, sed sicut in causa, & origine, sed virtualiter in carne cõtentum. Quæ omnia probat Magister auctoritatibus beati Aug. & Ambr. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundę partis, ponitur ista alia conclusio. Peccatum originale quidam defectus, & fomes peccati esse asseritur, quo anima carni vnita inficitur. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit, Vtrum talis carnis infectio sit culpa, vel pœna. Quod non sit culpa probat per hoc, q̃ est in subiecto irrationali, in quo culpa esse nõ potest. Quod etiam sit pœna probat per hoc, quòd inter pœnalitates non connumeratur. Et respondet, quòd sit quidam carnis defectus, & polutio, quæ rectè vitium, siue carnis corruptio nuncupari potest, quæ quidem fęditas est in carne ante coniunctionem animæ, quod patet ex hoc, quia anima dum infunditur, ex corporis corruptione maculatur. Et subdit non esse mirandum filios contrahere peccatum originale à parentibus iam per baptismum mundatis, sicuti non miramur, quòd ab homine circunciso nascatur homo preputiatus, & ex grano depurato grana crescãt paleis circunsepta. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio.

lo. Peccatum originale ideò dicitur originale, quia, scilicet, ex vitiosa libidine, qua concipimur, contrahitur. Quam probans, dicit sententialiter, quòd illud peccatum igitur dicitur originale, quia ex vitiosa lege originis nostræ, qua concipimur, contrahitur, scilicet, ex carnis seminali commixtione cum feruore libidinis, & quia Christus talem libidinem non habuit, ideò illud peccatum non traduxit. Alia patent in litterá. Et hæc de hac distin. dicta sufficiant.

QVOMODO ORIGINALE peccatum dimittatur in baptismo, cùm & post sit illa concupiscentia, quæ dicitur originale peccatum.

DISTINCT. XXXII.

T E X T.

Quoniam suprà dictum est originale peccatum esse vitium concupiscentiæ, assignatumque quomodo à parentibus trahatur, & originale dicatur: superest inuestigare quomodo in baptismo dimittatur. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimasecunda distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm. n. Magister superius egerit de peccati originalis quidditate, & traductione; agit modò hic per ordinem de eius remissione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Mag. ostendit, quomodo peccatum per baptismum remittatur. In secunda verò, qualiter à Deo causetur. In tertia aūt, & vltima ostendit, peccatū originale fuisse voluntariū in primis parentib. in nobis verò esse necessariū rōne ineuitabilitatis.

Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quamuis in baptismo remaneat concupiscentia gratia exercitij, vt pœna eius, tamen potestas libidinis per gratiā Christi minuitur ne regnet, vt culpa. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit duas quæstiones. Quarum prima est. Quomodo peccatum originale per baptismum remittatur, cum concupiscentia remaneat in baptismo, etiam & post baptismum. Et respondens, dicit, quòd hoc ideò est, quia post baptismum concupiscentia minuitur, eo quòd regnare, & dominari prohibetur, & reatus per gratiam baptismi tollitur. Vndè sicut peccata actualia transeunt actu, & remanent reatu: Sic econtra baptismi gratia peccatum originale transit reatu, sed remanet actu, scilicet, quantum ad concupiscentiam, quæ actu remanet, vt pœnalitas quædam. Secunda quæstio est. Vtrum caro purgetur in baptismo à fœditate sua, quam à libidinosa concupiscentia traxit. Et respondet secundum aliquos, quòd nō solùm anima, sed etiam caro à sua fœditate in baptismo purgatur, eo quòd aliqua (vt dicunt) ad illam purgationē ordinantur. Secundum alios verò solùm purgatur fœditas animæ, & non carnis. Quæ autem istarum opinionum verior sit, Magister non determinat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Pœnæ, qua iustè punitur post baptismū peccator, Deus ipse est principalis conditor. Quam quidē conclusionem Magister probans, quærit duas quæstiones. Quarum prima est hæc. Vtrum originalis concupiscentiæ Deus sit causa. Et respondet, quòd sic: Nam concupiscentia illa, quæ in nobis existit ex peccato primorum parentum, est & pœna, & culpa. In quantum ergo est pœna, est à Deo auctore, tanquam iustè inflicta. In quantum verò culpa est, sic à Diabolo est, & à primo homine peccante. Secunda quæstio est. Quare peccatum originale imputatur animæ, cuius contractionem vitare non potest? Et respondet, quòd hoc non fit ideò, quia anima condelectetur carni infectę, cui ea vnitur, (quanuis hoc quidā dixerint) sed prouenit ex peccato primi parentis, cuius anima peccans fecit carnem corrupti-

ruptibilem, & peccatricem. Cuius quidem ratio est, quia si esset ex delectatione animæ, quando carni vnitur, seu infunditur, tunc esset peccatum magis actuale, quàm originale. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis Originale peccatum sit malum necessarium, tamen inquantum à primi hominis voluntate prouenisse tenetur, dicitur voluntarium. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit quatuor quæstiones. Prima est. Vtrum peccatum originale sit voluntarium, uel necessarium. Et respondens, dicit, quòd sit necessarium, eoquòd uitari non potest. Etiã est voluntarium, eo quòd à voluntate primi hominis processit. Secunda quæstio est. Quare Deus animam carni infundit, præsciens ipsam per carnem fore maculandam. Et respondens, dicit, quod hoc ideò facit, vt saluetur institutio humanæ propagationis. Vel quòd hoc remittendum sit diuinorum iudiciorum altitudini. Tertia quæstio est. Vtrum anima, dum corpori infunditur, talis sit, qualis à Deo creatur. Et respondet, quòd non sit omninò talis: quia à Deo creatur munda, sed ex coniunctione ad carnem maculam contrahit. Quarta quæstio est. Vtrum omnes animæ sint simpliciter æquales à Deo creatæ. Et respondet, quòd non: quia inæqualia naturalia receperunt in ipsarum creatione, sicuti & Angeli. Quæ omnia Magister probat diuersorum sanctorum auctoritatibus. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis satis dicta sint.

AN PECCATA OMNIVM præcedentium patruum paruuli originaliter trahant, vt peccatum Adæ.

DISTINCT. XXXIII.

TEXT.

Prædictis adijciendum videtur, an peccata præcedentium patrum ad paruulos transeant, sicut illud primi hominis delictum in omnes carnaliter genitos diximus redundasse. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimatertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de peccati originalis quidditate, traductione, & remissione: consequenter hic agit de eius in posteros augmentatione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit, paruulos non contrahere, nisi vnum peccatum originale, non autem peccata actualia successiuorum parentum, quæ paruulis imputari non possunt. In secunda vero ostendit, peccatum originale non esse grauissimum omnium peccatorum. In tertia autem, & ultima ostendit, peccata parentum non puniri in filijs, nisi hoc sit per imitationem quandam. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis primis parentibus plura possint peccata assignari, tamen paruulis precisè vnū peccatū in imputatur, & non plura originalia. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum actualia peccata aliorum parentum imputentur filijs, sicut peccatum primi parentis. Et arguit quòd sic. Primò per authoritatem Exod. 20. vbi dicitur, quòd Deus visitat peccata parentum in filios vsque ad tertiam & quartam generationē: vbi etiam sequi videtur, quòd plura peccata contrahuntur ab origine. Quod confirmat per illud Psal. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis, &c. Vbi peccatum originale exprimitur pluraliter. Item quia plura

peccata

peccata videntur fuisse in peccato Adæ secundum August. Deinde arguit in contrarium. Nam si peccata proximorũ parentum paruuli contraherent, tunc sequeretur quòd pœna paruulorum non esset mitissima, cuius oppositum dicit August. Magister autem ad quæstionem respondens, dicit, peccata actualia aliorum, & etiam plura actualia primorũ parentum non contrahere paruulos ab origine, sed tantùm vni, & non pluribus peccatis paruuli obligati sunt per originem. Et quamuis quædam auctoritates Aug. videantur hoc sonare, tamen beatus Aug. nunquam inuenitur hoc determinatiuè posuisse. Nec obstat dictum Psal. allegatum: quia secundum morem sacræ scripturæ aliquando singulare exprimitur pluraliter, & econuerso, cuius exempla patent in textu. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Peccatum originale, & inobedientiæ primorum parentum, non fuit grauissimum omnium peccatorum. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum peccatum Adæ fuerit grauius cæteris peccatis. Et respondet, quòd quamuis quibusdam sic videatur, eo quòd totam humanam naturã corrumpebat: teneri tamen põt, quòd cæteris omnibus grauius non fuit: eo quòd non fuit grauius peccatis in Spiritumsanctum. Quod patet ex hoc, quia Adæ suum peccatum per pœnitentiam remissum fuit, licèt non recuperauerit paradisum corporalem. Peccatum verò in Spiritumsanctum non remittitur in hoc seculo, neque in futuro; & quod peccatum Adæ totam naturam corrumpebat, hoc non fuit ratione suæ grauitatis, sed ideò quia ab homine committebatur, in quo tota natura simul existebat. Intulit etiam plura, & maiora mala, quàm alia peccata sequentia, non quantũ ad pœnã æternam, sed solũ quantũ ad multiplices defectus ex ipso plusq̃ ab aliis peccatis secutos. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione auttem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Peccata parentum minimè in filiis puniũtur, nisi in illis, qui eos imitãdo sequũtur. Quam probans, q̃rit q̃dõ peccata parentũ in filios visitentur, iuxta illud Exod. Ego sum Deus visitans iniquitates

patrum

patrum vsque ad tertiam, & quartam generationem; cùm tamen dicatur in Ezech. Filius non portabit iniquitatem patris. Et respondet, quòd solùm illa peccata parentum visitentur i. puniuntur in filijs, in quibus filij suos parentes imitantur: adeo quòd filij non puniuntur pro peccatis parentum, sed pro peccatis eorum proprijs, in quibus imitati sunt malitiam parentum. Ezech. uerò loquitur de peccatis, in quibus filij paternæ malitiæ imitatores non existunt. Et ideò facit mentionem de tertia, & quarta generatione, quia vsque ad illam generationem consueuerunt filij parentes videre, & imitari eorum malitiam. Tangit etiam mysticam expositionem, quæ clarè patet in littera. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVÆ DE PECCATO animaduertenda sint.

DISTINCT. XXXIIII.

TEXT.

Post prædicta de peccato actuali diligenti indagine quædam consideranda sunt. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimaquarta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de peccato actuali primorum parentum, quo persona corrumpit naturam, & de peccato originali, quo natura corrumpit personam: consequenter in hac incipit agere de peccato actuali adultorum, quo persona corrumpit seipsam. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter primum malum ipsius

ficus hominis, habuerit originem à bono. In secunda verò ostendit, qualiter malum tam culpæ, quàm etiam pœnæ, non possit esse nisi in re bona, tanquam in subiecto. In tertia autem, & vltima infert quoddam sequens correlarium, nempè quòd contraria simul sunt in subiecto contra dialecticorum regulam. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Primum malum, quo deturpatus fuit primus homo, non processit, neque originem habuit nisi à bono. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit sententialiter, quòd creaturæ rationalis primum peccatum propriè non habuit causam efficientem, sed voluntatem obliquam contra regulam iustitiæ deficienter eligentem. Nam dicit, quòd origo, & causa primi peccati, non fuit malum, sed tantùm natura boni, & incorrupta. Sed aliorum malorum (i. peccatorum sequentium) extitit primò voluntas mala. Nam iste fuit ordo ingressus mali in mundum, quia natura boni, fuit causa primæ voluntatis malæ: & prima voluntas mala causa fuit sequentium prauarum voluntatum, & malorum operum. Vndè patet, quod origo, & prima causa peccati fuit bonum: proxima autem, & secundaria causa fuit mala voluntas, quæ ortum habuit à bono. Quod probat Magister auctoritate beati August. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Tam malum culpæ, quàm malum pœnæ non potest esse, nisi subiectiuè sit in re bona. Quam Magister probans, dicit, quòd subiectum mali non nisi res bona esse potest. Nam malum nihil aliud est, quàm priuatio, & corruptio boni: cùm ergo vbi nõ est bonum non possit esse priuatio boni, consequens est, malũ non nisi in bono subiectari. Vndè sicut mors, & vulnera requirunt corpora in quibus sunt, vt in subiecto: sic malũ culpæ est in re bona, vt in subiecto. Et concludit, quòd cùm dicitur homo malus, idem est, ac si diceretur bonum malum; & hoc confirmat auctoritate beati Aug. & hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Regula dialecticorum hic deficere videtur, qui dicunt in eadem re non posse simul, & semel

mel existere contraria. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quòd bonum, & malum sunt in eodé simul, eoquòd malum in bono subiectatur, & malum à bono originatur, quod non potest dici de aliis contrariis puta albo, & nigro, dulci, & amaro. Postea soluit quoddam dubium; nam superiùs dictum fuit, quòd dicere hominé malum, est dicere bonum malum: sed hoc videtur contrarium sententiæ. Propheticæ Esai. quæ dicit, Veh qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Quod dubium soluit per Aug. dictum, quòd illa maledictio Prophetæ debet intelligi de actionibus hominum malis, vt qui diceret adulterium esse bonum, vel orare Deum esse malum. Non autem de rebus bonis secundum se. Vndè qui dicit hominem, qui est natura bona, esse malum ex culpa, dicit bonum esse malum, nec incidit in maledictionem prædictam. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

QVID SIT PECCATVM.

DISTINCT. XXXV.

TEXT.

Post hæc videndum est, quid sit peccatum. Peccatum, vt ait Aug. est omne dictum, vel factum, vel concupitum, quod sit contra legem Dei, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimaquinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in præcedenti distinctione determinauerit de causa mali, seu peccati: consequenter nunc in hac agit de ipsius peccati quidditate. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister assignat peccati diffinitionem. In secunda verò ostendit, peccatum magis principaliter esse in actu

[illegible] interiori, quàm exteriori. In tertia autem, & ultima [illegible] quòd uoluntas, & eius actus, inquantum sunt, quæ-[illegible] sunt: inquantum verò sunt contra legem Dei, ni[illegible]. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio, Peccatum diuersimodè à diuersis Doctoribus diffinitur. Quam quidem conclusionem Magister probans, ponit tres peccati diffinitiones. Prima est beati Aug. dicentis, quòd peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Secunda est eiusdem alibi dicentis, quod peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat. Quæ quidem diffinitiones conueniunt solùm peccatis actualibus mortalibus, & non venialibus. Sed prima harum conuenit peccatis, prout tam in exteriori actu, quàm etiam in interiori existunt. Secunda verò diffinitio peccati, prout solùm per actum interiorem committuntur. Tertia diffinitio est beati Ambrosii dicentis, quòd peccatum est præuaricatio legis Diuinæ, & inobedientia Cœlestium præceptorum. Deinde subdit, quod per primam, & tertiam peccati diffinitionem, tam actus interior, quàm exterior ostenditur esse peccatum: sed per secundam tantum actus interior ostenditur esse peccatum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis peccatum simul sit tam in actu interiori, quàm exteriori: principalius tamen consistit, & reperitur in actu interiori. Quam quidem conclusionem Mag. probans, dicit diuersas fore opiniones circa hoc. Nam aliqui dixerunt peccatum esse in actu interiori tantùm. Alij autem in actu tam exteriori, quàm etiam interiori esse dicunt. Alij verò dixerunt, quod nec in voluntate interiori, nec in actu exteriori consistat. Quorum ratio fuit hæc. Nam voluntas, & actus eius habent entitatem: cùm ergo peccatum nihil sit secundum Aug. quod nec voluntas, nec actus eius proprie dici possit peccatum. Magister autem dicit sanè credendum esse, quòd peccatum consistat tam in actu exteriori, quàm interiori voluntatis, principalius tamen in actu interiori: eo quòd sicuti fructus ex arbore procedunt; sic mala exteriori procedunt ex mala interiori uoluntate.

Et

Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione uerò tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Humana uoluntas, & eius actus, inquantum sunt, quædam bona sunt: inquantum verò sunt contra legem Dei nihil sunt. Quam conclusionem probans, dicit, quosdam beatum Aug. in hoc fuisse secutos, dicendo, volũtatem, & actum eius, inquantum sunt, esse quædam bona: inquantum verò sunt contra legẽ Dei, nihil esse. Quod patet per hoc, quia omne quod à Deo est, bonum est, quia aliàs Deus nõ esset summè bonus: cùm ergo uoluntas, & eius actus à Deo sint, (quia aliàs ad Dei prouidentiam non pertinerent) consequens est, quòd uoluntas, & eius actus, inquantum sunt à Deo, bona sint. Postea contra illam sententiam obiicit tripliciter, & soluit. Primò sic. Si omnis actus volũtatis esset à Deo, sequeretur ex hoc, quòd adulterium, homicidiũ, & huiusmodi essent à Deo, eo quòd actus sunt uoluntatis. Et respondens ad hoc, dicit: quòd adulterium, homicidium, & huiusmodi non nominant præcisè actus quosdam, sed etiam quorũdam actuum deformitates. Et quantum ad hoc non sunt à Deo. Secundò obiicit sic. Peccata omissionis important priuationes, & negationes: sed priuationes, & negationes non sunt à Deo: ergo tales actus non sunt à Deo. Et respondet, quòd quantumcunque peccatum consistat in omissione, semper tamẽ intelligitur ibi aliquis actus positiuus voluntatis, sicut declinare à bono, & nolle credere in Christum, sunt actus reales malæ uoluntatis. Declinare enim à bono est quoddam malum. Vndè non sunt omninò nihil, ut obiectio prædicta intendit. Tertiò obiicit sic. Peccatum inquantum peccatũ, est corruptio pœnalis: sed omnis pœna est à Deo: ergo peccatum est à Deo. Cui obiectioni Magister respondens, dicit, quòd peccatum inquantum peccatum est, non est corruptio passiua, cuiusmodi est pœna: sed est corruptio actiua, quæ nihil est, & quæ non est à Deo: quia alias sequeretur Deum per se esse authorem culpæ. Quod non est dicendum. Postea declarat hoc à simili, quòd corruptio actiua sit nihil: quia sicuti abstinentia cibi nihil est, & tamen corrumpit corpus, similiter peccatum nihil est, & tamen

cor-

corrumpit animam, ſpoliando eam à gratuitis, & vulnerando eam in naturalibus: & hoc tam quo ad animam, quam à peo elongat, quàm quo ad corpus, quod immortalitate priuat. Vnde concludit corruptionem actiuam eſſe peccati eſſentiam, paſſiuam verò peccati effectum, & pœnam. Et hæc de tertia, & vltima par. huius diſtinctionis dicta ſufficiant.

QVOD QVÆDAM SIMVL Sunt peccata, & pœna peccati: quædam peccata, & cauſa peccati: alia verò peccata, & cauſa, & pœna peccati.

DISTINCT. XXXVI.

TEXT.

Sciendum eſt tamen quædam ſic eſſe peccata, vt ſint etiam pœnæ peccatorum. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur iſta trigeſimaſexta diſtinctio cum ſuperiori, hunc in modum. Cùm enim Magiſter ſuperius oſtenderit diuerſas opiniones circa peccati quidditatem: conſequenter nunc in hac diſtinctione oſtẽdit quandam peccati diuerſitatem. & inquirit qualiter vnũ peccatum ſit pœna alterius. Diuiditur præſens diſtinctio in tres partes. In quarum prima oſtendit, vnum peccatum poſſe eſſe alterius pœnam. In ſecunda verò hoc idem confirmat,

firmat, non solùm quantum ad causam, sed etiam esse vere quantum ad essentiam. In tertia autem, & vltima ostendit, quædam peccata fieri ex necessitate. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Scriptura vnum peccatum fore pœnam alterius concedit, inquãtum ab alio causaliter procedit. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit, quædam peccata esse aliorum peccatorum pœnas, quod probat vtriusque testamenti auctoritatibus diuersis: inter quas ponit auctoritatem beati Greg. qua dicit, quòd peccatum, quod citò per pœnitentiam non deletur, aut peccatum, & pœna peccati est: aut peccatum, & causa peccati est: aut peccatum, & causa, & pœna peccati est simul. Postea mouet circa materiam hanc quandam dubitationem quærendo. Vtrum peccatum inquantum peccatum, sit pœna peccati. Et arguit, quòd non. Nam secundũ beatum Aug. omnis pœna peccati iusta est, & iustè fit: si ergo peccatum inquantum peccatum, esset pœna peccati, peccatum iustè fieret, quod non est verum. Et respondens, dicit, quòd effectus peccati, cuiusmodi est corruptio sequens peccatum, est pœna peccati: non autem peccatum inquantum peccatum. Deinde subdit, quòd licet omne peccatum secundum istum sensum (eo quòd quædã corruptio sit) sit pœna, tamen non omne peccatum potest dici pœna peccati: sed illud solùm dicitur pœna alterius peccati, quod causatur ab alio, cùm solus effectus peccati secundum præmissa, sit pœna peccati. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Catholicè affirmare possumus, quædam peccata non solùm causaliter, sed etiam essentialiter esse aliorum pœnas. Quam probans, finaliter eius asserit rationem, dicẽs, quòd quædam peccata essentialiter pœna sunt, inquantum animã puniunt, idest, actiuè corrumpunt, pœnam infligẽdo. Quod probat per beatum Aug. dicentem, quòd quædam peccata, non tamen inquantum peccata, sed inquantum pœna, à Deo sunt: ut rebellio carnis ad spiritum, quæ est pœna iustè inflicta, & peccatum, scilicet, veniale, & ex necessitate in nobis. Et confirmat hoc idem per hoc, quòd quædam prin-

cipalia

cipalia peccata pena dicuntur quia pœnalem habent passionem annexam; sicut ira, inuidia, superbia, & huiusmodi., attamen dicit, quod passio illa eis annexa, non debet dici peccatum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Ex veritate scripturæ, & sanctorum authoritate elicitur, aliqua peccata fieri ex necessitate. Quam conclusionem probans Magister, dicit, notandum esse, quod licet beatus Aug. dicat quædã peccata fieri ex necessitate: beatus autem Hier. dicat semper esse in hominis potestate posse peccare; & nõ posse peccare; non tamen sibi inuicem contradicũt: B. Aug. loquitur de peccatis uenialibus. Hieron. verò de peccatis mortalibus, supposito tamen gratiæ adiutorio ad uitandũ peccatum. Vel aliter, quod. s. Hieronimus loquitur de peccatis hominis secundum statum eius ante peccatum, Aug. uerò de illis secundum statum hominis post peccatum. Vltimo recapitulat pdeterminata in præcedenti distinctione, Et dicit, quòd omnes actus, inquantum sunt, boni sunt, & à Deo. Aliqui autem actus, non solùm boni sunt, quantum ad essentiam actus, sed etiam ex genere, ut dare eleemosynam indigenti. Alij autem sunt boni, quantũ ad essentiam actus, & quantum ad genus, & quantum ad causam, vt qui fiunt ex bona uolũtate, & propter finem bonum, & isti sunt perfectè boni. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

ALIORVM PONIT SENTENtiam, qui dicunt malos actus nullo modo esse à Deo, nec esse bonos, siue in eo quod sunt, siue alio modo.

O DI-

DISTINCT. XXXVII.

TEXT.

Sunt autem, & alij plurimi longe aliter de peccato, & de actu sentientes, &c.

EXPOSITIO.

CConnectitur ista trigesimaseptima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in superiori distinctione ostenderit quomodo vnum peccatum sit pœna alterius: consequenter in hac inquirit, qualiter auctor malorum sit Deus. Diuiditur præsens distinctio in tres partes In quarum prima Magister ponit quandam opinionem, quæ dicit uoluntatem malam, & eius actum malum, nullo modo à Deo procedere. In secunda verò ponit illius opinionis confirmationem, asserendo Deum nullo modo esse culpæ auctorem. In tertia autem, & vltima parte ostedit, non culpæ Deum per se, sed mali pœnæ esse auctorem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista cōclusio. Aliqui opinati sunt volūtatem malam, & actum eius malū nullatenus à Deo procedere. Quam quidem conclusionem Magister ponēs, dicit (vt suprà dictum est) quosdam opinari, quòd voluntas mala, & actus eius, nec bona sunt, nec à Deo sunt, etiam quacunq; ratione: confirmantes dictum suum per illud Ioan. 1. sine ipso factum est nihil, idest, peccatum. Ratio autem contrarium opinantium, scilicet, Aug. fuit ista, (vt suprà dictum est) quòd scilicet, talia à Deo essent, inquantum sunt, eo quòd inquantum sunt, bona sunt. Hoc soluentes dicūt, quòd ista propositio: omnia quæ sunt, inquantum sunt, bona sunt: solùm habet veritatem in his, quæ naturale, & substantiale esse habent: quale esse peccata non habent. Et hæc de prima parte sufficiant Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio Peccatum nullo modo per se dicitur esse à Deo. Quæ quidem conclu-

cõclusio duplici ratione probatur. Prima est ista. Illud per quod homo fit deterior, non est à Deo: sed per peccatum homo fit deterior: igitur peccatum non est à Deo. Secunda ratio est hęc. Nihil Deus nõ est auctor: sed peccatum est nihil, vt dicitur Ioan. 1. ergo peccatum non est à Deo, vt di cit opinio. Et Magister vtranq; opinionem, (scilicet, & illã, quæ dicit peccatum esse à Deo, inquantum est actus quidã; & illam, quæ dicit, peccatum nullo modo esse à Deo) relinquit indeterminatam, relinquens ipsas diligẽtię lectorum. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hęc conclusio. Secundum doctrinã sacrę scripturæ, & concordem sanctorum Doctorum sententiam, Deus hæreticè ponitur per se esse causa alicuius mali culpæ, licèt verè mali pœnę per se dicatur causa. Quã quidem conclusionem Magister ponens, dicit, Deum tamẽ posse esse causam mali pœnę. Vndè Amos. 3. dicitur. Non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Et Esa. 45. Ego sum Dominus creans malum, & faciens bonum. Quæ propositiones non essent verę, nisi Deus esset auctor mali pœnę. Contra quam sententiam Magister arguit per illud Sapientiæ. 1. Deus mortem non fecit, quæ quidem mors dicitur esse, quoddam malum pœnæ. Ad quod respõdẽs, dicit, illam scripturæ auctoritatem esse intelligendam, quòd Deus mortem non fecit. i. malum culpæ, quod est causa mortis. ita quod nomine effectus sigificetur ibi causa. Ipsa tamen mors, quæ est effectus, & pœna peccati, est à Deo. Et de hac distinctione satis dicta sint.

DE VOLVNTATE, ET FINE eius, ex quo & ipsa iudicatur.

DISTINCT. XXXVIII.

TEXT.

Post prædicta de volũtate, eiusq; fine disserendũ est. &c.

EXPOSITIO.

CОnnectitur ista trigesimaoctaua distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de peccato actuali secundum se: consequenter hic incipit agere de peccati radice, scilicet, de voluntate, quæ est radix peccati. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter voluntas sit recta, vel mala ex fine bono, vel malo. In secunda verò ostendit differentiam, quæ est inter voluntatem, intentionem, & finem. In tertia autem, & vltima ostendit probabiliter, posse quempiam eodem actu velle finem, & ea quæ sunt ad finem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Ex bono, vel malo fine perpenditur rectitudo, vel peruersitas voluntatis humanæ. Quam ponens Magister, dicit, quòd voluntas humana rectitudinem, vel peruersitatem habet à fine bono, vel malo. Vndè bonus finis voluntatis, est Charitas, beatitudo ipsa, vita æterna, vel Deus ipse. Et secundũ beatum Aug. quod propter Charitatem non fit, rectè non fit. Qui quidem voluntatis finis, scilicet, charitas, ad finem vlteriorem ordinatur, scilicet, ad Deum. Malarum verò voluntatum finis, est mala delectatio in actu vitioso. Et subdit, quod tam bonæ, quam malæ voluntates possunt habere plures fines inter medios, qui sunt quasi quoddam medium, & iter perueniendi ad vltimum finem. Contra quod Magister obijcit auctoritate beati Aug. dicentis, quòd non possumus nobis duos fines constituere simul. Et respondens dicit, quòd hoc verum est, vbi fines sic se habent, quòd vnus non sit sub alio contentus: vel quòd vnus non sit ad alium ordinatus: & non vbi vnus ad alium refertur, sicuti est in proposito. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Voluntatem, finem, & intentionem omninò fore idem congruè negatur. Quam quidem conclusionem Mag. probans quærit, Vtrũ voluntas, finis, & intentio sint idem. Et respondet, quòd nõ omninò sint idem: quia voluntas nominat potentiam volitiuam,

nam, intentio autem, & finis non. Quod per Aug. declarãs, dicit, q voluntas est potentia, qua volumus. Finis verò est illud, quod volumus. Intentio verò est illa interior motio, qua per voluntatem in finem tendimus. Sicuti v.g. si velim esurientem reficere, vt habeam vitam æternam; tunc voluntas est potentia, qua volo reficere esurientem, cuius finis medius est refectio esurientis. Vltimus verò finis est vita æterna. Intentio verò est ille motus interior, quo ad finem peruenire volo. Vndè patet ista tria non esse omninò idem. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Satis constat probabiliter, quòd aliquis eodem actu velit finem, & illud quod ad Deum vltimum finem ordinatur. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum sit idem actus voluntatis, quo vult finem, & ea, quæ sunt ad finem. Et Respondens, dicit, quòd aliquibus videtur, quod non sit idem actus, sed plures: sicut non est idem actus uidere fenestram, & uidere per fenestram transeuntes in via. Aliquibus placet, quòd verò sit idem actus uoluntatis, qui solùm secundum diuersitatem uolitorum sit diuersificatus. Quæ autem istarum opinionũ uerior sit, Magister relinquit indeterminatum. Sed probabiliter dici potest, quòd sit idem per se, ratione verò diuersus. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

CVM VOLVNTAS SIT DE his, quæ homo naturaliter habet, quare peccatum fore dicatur, cũ nullum aliud naturale peccatũ sit.

DISTINCT. XXXIX.

TEXT.

Hic autem oritur quæstio satis necessaria ex superioribus causam trahens, &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur ista trigesimanona distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in præcedenti distinctione ostenderit vnde sit rectitudo, & vitium in uoluntate, cōseqenter in hac inquirit, qualiter in uoluntate sit peccatum. Diuiditur presens distin. in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, voluntatem per actum suū inordinatum esse malam, nō autem inquantum est potentia animæ rationalis. In secunda verò ostendit, quare actus voluntatis potius dicatur peccatum quàm actus aliarum potentiarum. In tertia autem secundum quosdam ostēdit, qualiter non sit idem actus, quo voluntas bonum eligit, & bonum respuit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hec conclusio. Quanuis voluntas humana de sui natura sit bona, & recta creata: tamen, inquantū inordinata est per actum suum, dicitur mala. Quam quidem cōclusionem Magister probans, quærit, quomodo voluntas potest esse mala, & in ea esse peccatum, cùm tamen habeat naturalem bonitatem, sicut & cæteræ potentiæ naturales, quæ quantumcunq; vitijs deprauentur, nunquam tamen possunt dici malæ, sed bonæ manent: vt ratio, ingenium, & consimilia. Et respondens ad hoc Magister, dicit, quòd voluntas non dicitur mala, seu peccatum, inquantum est quædam naturalis potentia: sed inquantum per actum suum deordinatur, dicitur mala, & peccatum. Sed tunc dicit Magister, quòd adhuc quæri potest, quare non ita est inordinatio in alijs potentijs: veluti in memoria, ratione, ingenio, & huiusmodi; sicut in voluntate? Et respondens Magister, dicit, quòd in potentia voluntatis non est inordinatio, sed in actibus eius; qualiter non est in actibus aliarum potentiarum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Nullus actus aliarum potentiarum, (licèt ipsis homo quandoquè abutatur) potest dici malus, sicuti actus voluntatis malus iudicatur. Quam probans Magister, quærit, quare huiusmodi

modi actuum deordinatio non sit ita benè in actibus aliarum potentiarum, sicut in actibus voluntatis? Et respondens, dicit, quòd hoc ideò est, quia non sunt eiusdem generis cum actibus voluntatis: eoquòd non ordinatur ad aliquid concupiscendum, adipiscendum, vel non admittendum, sicut actus voluntatis. Aliquando tamen actibus aliarum potentiarum vitiosè homo abutitur. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Non est idem actus, quo voluntas bonum eligit, & malum operatur. Quam probans Magister, quærit. Vtrum eadem sit voluntas, quæ naturaliter vult bonum, & repugnat bono. Et dicit, quòd secundum aliquorum opinionem, non eadem est voluntas: eoquòd non est idem motus voluntatis. Vnus enim est naturalis, idest competens homini à prima sui cõditione, in qua creatus fuit homo rectus. Alter est voluntarius non purè naturalis, nec competens homini, inquantum est per gratiam à seruitute peccati liberatus. Alia est opinio, quæ dicit, q̄ sit idem motus voluntatis. Quarum opinionum alterum Magister non determinat. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

AN EX FINE OMNES actus pensari debeant, vt simpliciter boni, vel mali dicantur.

DISTINCT. XL.

TEXT.

Post hæc de actibus adijciendum videtur, Vtrum & ipsi ex fine, sicut voluntas, pensari debeant boni, vel mali, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs determinauerit de peccato, pro vt respicit actum voluntatis interiorem: consequenter hic determinat de eo secundum quòd est in actibus exterioribus. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, actus exteriores dici bonos, vel malos moraliter, secundum quòd ex recta, vel inordinata voluntate oriuntur. In secunda verò ostendit, non omnes actus humanos exteriores, per bonam voluntatem esse rectificabiles. In tertia autem, & ultima ostendit, actus de se malos non posse fieri bonos intentione finis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis actus exteriores, inquantum sunt, boni reputentur: tamen moraliter boni, vel mali iudicantur, secundum q; ex recta volūtate, vel inordinata oriuntur. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, q; licet omnes actus exteriores sint boni, inquantum sunt, tamen moraliter iudicantur boni, uel mali, secundum q; ex bona, uel mala intentione procedūt; ita q; illi simpliciter boni, uel mali dici debent, qui bonā, & rectam habent causam, seu intentionem, i. ad bonum finem tendunt. Mali uerò simpliciter dici debent, qui ex peruersa intentione procedunt. Quod probat auct. Ambr. & per illud Euang. Non potest arbor bona malos fructus facere; nec econuerso arbor mala bonos fructus facere. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Non omnes actus humani per bonam uoluntatē sunt rectificabiles. Quam cōclusionem probans Mag. quærit. Vtrum uniuersaliter sit uerum, q; oēs actus habeant exteriorem malitiam, uel bonitatem à uoluntate. Et rñdens dicit, de hoc uarias esse opiniones. Nam quidam concedunt, q; omnes actus exteriores sint de se indifferentes, & per consequens generaliter capiāt suam bonitatem, uel malitiam à uoluntate, ex qua producuntur. Alij uerò dicunt non omnes fore indifferentes,

sed

sed aliquos esse de se bonos : & illos dicunt non recipere absolutè suam bonitatem à uoluntate, & dicunt etiam tales absolutè non posse recipere malitiam suam à uoluntate. Aliquos uerò econuerso in se esse malos dicunt, qui etiam suam malitiam non habent à uoluntates: & tales etiam dicunt suam bonitatem non posse recipere à uoluntate. Aliquos denique dicunt esse indifferentes, & tales solùm sunt, qui recipiunt suam malitiam, seu bonitatem à uoluntate. Tertij autem, quibus Magister uidetur consentire, dicunt, omnes actus exteriores à uoluntate posse recipere bonitatem, uel malitiam, solùm præter illos, qui ita de se sunt mali, qui nullo modo per uoluntatem fieri boni possunt, sicut declarat per exempla. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Malum pia intentione productum nequaquam iudicatur bonum. Quam ponens Magister, dicit, actus de se malos nunquam posse habere bonam causam. Ad quod adducit plura exempla, quibus concludit, quòd furtum factum, vt pauperi subueniatur: vel furtum facere, vt Deo offeratur; adulterium perpetrare, ut homo à morte liberetur, & alia huiusmodi: hi actus licèt causas habeant, quæ uidentur esse bonæ, sunt tamen mali. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis satis dicta sint.

AN OMNIS INTENTIO, vel actio eorum, qui carent fide sit mala.

DISTINCT. XLI.

T E X T.

Cumque intentio (vt suprà dictum est) bonum opus faciat, & fides intentionem dirigat: non immeritò quæri potest. Vtrum omnis intentio omneque

neque illorum opus malum sit, qui fidem non habent? &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimaprima distinct. cum superiori hunc in modum. Cùm enim Magister in praecedenti distinctione ostenderit rectitudinem, & vitiū humanorum actuum ex parte finis ordinantis consequenter facit idē in hac ex parte principii mouentis. Diuiditur praesens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, infideles, qui fide carent, nō posse operari bonum meritorium. In secunda verò ostendit, nullum peccatum esse demeritorium, quod quodammodo non sit voluntarie. In tertia autem, & vltima parte correlariè infert, quòd etiam ipsa mala voluntas sit peccatum. Pro declaratione igitur primae partis, ponitur ista conclusio. Quamuis infideles quandoquè faciant bona opera exteriora, non tamen agūt bonum, scilicet, meritorium. Quam quidem conclusioné Magister probans, quaerit, cùm fides intentionem dirigat, actus tam interior, quàm exterior ab intentione malitiam, aut bonitatem habeat. Vtrum ergo omnis actus infidelis, qui fide non diriguntur, peccatorum existat. Et arguit primò, quòd sic: Tum quia Apostolus dicit. Omne quod nō ex fide est, peccatum est: Tum quia actus infidelium ad bonum finem, qui est charitas Dei, & proximi, non referuntur. Deinde in oppositum arguit auctoritate beati Aug. dicitis, infideles multa bona opera operari. Ad quod respondens Magister, dicit, infideles multa bona opera operari, scilicet, bona de suo genere, licèt per talia non possint mereri. Addens bonum dici multipliciter. Nam aliquando bonum dicitur illud, quod est licitum. Et aliquando illud, quod est vtile. Aliquando dicitur illud, quod est signum boni, vel quod habet speciem boni. Denique bonum aliquando dicitur illud, quod est remunerabile, vel remuneratione dignum. Ideò primis tribus modis possunt infideles bonū operari, sed quarto modo non, eo quòd careant fide. Et hac de pri-

de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia cõclusio, Nullum peccatum est demeritorium, quod quodammodo non sit voluntarium. Quam ponens Magister, quærit. Vtrum omne peccatum sit voluntarium. Et respondens, dicit, quòd sic. Nam in peccato originali, & in peccatis ex ignorantia factis, & in omni peccato actuali, seu veniali, seu mortali, aliquo modo voluntas concurrit: quod confirmat auctoritate beati Aug. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. In tantùm liberè, & voluntariè quis operatur, quòd etiam ipsa mala voluntas, qua peccatur, peccatur peccatum nominatur. Quam ponens Magister, dicit, peccatum adeò esse volũtarium, quòd non solùm actus peccati peccatum dicitur, sed etiam ipsa mala voluntas, qua actualiter peccatur, peccatum appellatur. Quod probat per beatum Aug. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

AN VOLVNTAS, ET ACTIO mala in eodem homine, & circa eandem rem, sint vnum peccatum, an plura.

DISTINCT. XLII.

TEXT.

Cùm autem voluntas mala, & operatio fiat peccatum, quæri solet. Vtrum in eodem homine, & circa eandem rem, hæc duo vnum fiat peccatum, vel diuersa: &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

CONnectitur ista quadragesimasecunda distinctio, cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de peccato secundùm se: cõsequenter hic agit de peccato per comparationem ad suas differentias. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter uoluntas mala, & actus eius malus exterior, non duo, sed vnum sint peccatum. In secunda verò ostendit, in anima post actum peccati remanere reatum illius. In tertia autem, & ultima ostẽdit, peccatum respectu diuersorum diuersimodè diuidi, & distingui. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quantuis uoluntas, & actus exterior sint duo actus distincti realiter, vnum tamen numero conformitate, vel disconformitate boni, uel mali dicuntur moraliter. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum uoluntas mala interior, & operatio mala exterior, sint duo peccata, uel unum. Et respondens, dicit, quosdam dixisse, quòd sint nisi vnum peccatum. Alij verò dicunt, quòd sint diuersa peccata, qui suam opinionem contra primam tribus rationibus probant. Primò sic. Voluntas interior, & actus exterior sunt duo diuersa: aut ergo sunt diuersa peccata, aut diuersa non peccata: sed non sunt non peccata, quia vtrunque est peccatũ: ergo sunt diuersa peccata. Et respondet Magister (primam opinionem saluans) dicens, quòd licèt sint duo actus, sunt tamen vnum peccatum: quia ambo vnum contemptum faciunt. Secundò sic. Si illi duo actus sunt tantùm vnum peccatum, & non diuersa: igitur non magis debent puniri, peccant actu exteriori, & interiori simul, quàm qui peccant interiori tantùm: quod est inconueniens. Ad quod respõdens Magister, dicit, quòd qui peccat ambobus actibus simul, plus punitur, quàm qui peccat interiori tantùm: non ideò, quia illi duo actus sint peccata diuersa, sed ideò quia ex pluribus factum est peccatum. Tertiò sic. Diuersis mandatis prohi-

prohibetur actus interior, & actus exterior: ergo sunt di-
uersa peccata. Et respondens Magister, dicit, ex diuersita-
te mandatorum, quibus illi duo actus prohibentur, nó pos
se argui, quòd sint diuersa peccata, quia sicut una Chari-
tas Dei, & proximi diuersis mandatis pręcipitur: sic etiam
diuersi actus unum peccatum facientes, diuersis mandatis
prohiberi possunt, absque hoc, quòd sint diuersa peccata.
Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò
secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Anima per pec-
catum sua pulchritudine destituta, post transitum interio-
rum, & exteriorum actuum manet corrupta, & polluta.
Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit.
Vtrum expleto, & transeunte actu tam interiori, quam ex-
teriori remaneat peccatum, idest reatus culpę in homine.
Et arguit, quòd non, quia uoluntas illa, peracto actu ui-
tioso, non est mala, neque actus exterior est, neque homo
uult postea, quod antea uolebat; neque agit, quod antea
egit. Et respondens Magister, dicit, quòd peccatum dici-
tur transire actu, & remanere reatu, idest quòd obligat ho-
minem ad pœnam siue æternam, si fuerit mortale, siue
temporalem si fuerit ueniale. Et hæc de secunda parte suf-
ficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc
conclusio. Peccatum secundum quòd per comparationem
ad diuersa uariè accipitur, diuersimodè distinguitur.
Quam ponens Magister, dicit, quod peccatum quadru-
pliciter diuiditur. Primò enim diuiditur peccatum quan-
tum ad eius radicem in duo, quod probat per beatum Aug.
dicentem super illud Psal. Incensa igni, & suffossa, &c. quòd
ex duobus peccatur, scilicet, ex cupiditate malè inflammá-
te, & ex timore malè humiliáte: ad quæ duo omnia alia pec
cata reducuntur mortalia. Nam oĩs peccans, aut cupit non
cupienda, aut timet non timenda. Secundò diuiditur pec-
catum quantum ad eius actum, quo peccatur. Nam (ut di-
cit beatus Hier. super Ezech.) peccatum cómittitur tribus
modis, cogitatione, scilicet ore, & opere. Et tribus his mo
dis addit beatus Hieronymus quartum, scilicet, aut con-
suetudine. Tertiò diuiditur peccatum quo ad eius obiecta.

Nam

Nam homo quandoquè peccat in Deum, vt cùm malè sentit de Deo per hæresim, vel in alijs, quæ Dei sunt. Quandoquè in proximum, vt cùm eum in se, vel in suis iniustè lædit. Quandoquè tantùm in seipsum, vt cùm sibi, & non alteri nocet. Quartò diuiditur peccatum quoad eius nomen, quo nominatur. Nam peccatum dicitur ratione malæ actionis, vel quia scienter committitur. Delictum verò dicitur ratione derelictionis boni: quia in quolibet peccato bonum deseritur, & malũ operatur, vel etiam quia ignoranter committitur. Postea enumerat septem peccata mortalia capitalia, ideò sic dicta, quia omnia alia cætera peccata ex istis septem peccatis mortalibus oriuntur: quæ significantur per septem gentes quas Dominus de terra promissionis eiecit. Postea ait, quòd ex superbia omnia alia peccata oriuntur. Et ponit quatuor species superbiæ secundũ Gregorium. Prima est, cùm bonum, quod quis habuit, vel habet, à se habere existimat. Secunda est, cùm credit habere à Deo, tamen propter merita sua. Tertia cùm se iactat habere, quod non habet. Quarta cùm cæteris despectis vult singulariter videri. Vltimò opponit contra prædicta sic. Cùm enim cupiditas sit radix omnium peccatorum, vt ait Apost. ergo est radix superbiæ. Et respondet, quòd vtrunque verum est, quantum ad genera singulorum peccatorum. Nullum enim est peccatum, quod interdum non possit ex cupiditate, & superbia oriri. Et ideò vtrunq; eorum dicitur radix, & ad inuicem sic se habent illa duo, quòd vnum ex altero oriri potest. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE PECCATO IN SPIRItumsanctum, quod dicitur, etiam peccatum ad mortem.

DISTIN-

DISTINCT. XLIII.

TEXT.

Est præterea quoddam peccati genus cæteris grauius, abominabilius, quod dicitur peccatum in Spiritum sanctum, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimatertia distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in præcedenti distinctione ostéderit diuisionem peccatorum in generali: consequenter nunc in hac tractat de quodam peccato cæteris grauiori in speciali. i. de peccato in Spiritũsanctum. Diuiditur præsens distinctio in tres par. In quarum prima ostendit Magister, peccatum in Spiritumsanctũ esse omnibus grauius. In secunda verò ponit variam ipsius descriptionem. In tertia autem, & ultima ostendit, peccatum in Spiritumsanctum communiter esse contra omnes personas Diuinas, specialiter tamen contra Spiritumsanctum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio Peccatum in Spiritumsanctum dicitur omnium peccatorum grauissimum. Quam quidem conclusionem probans, dicit, quòd peccatum in Spiritumsanctum dicitur omnium grauissimum, quia neque hic, neque in futuro seculo remittitur. Quod hoc verum sit, probatur per dictũ Christum in Euang. scilicet, qui peccat in Spiritumsanctum non remittetur ei neque hic, neque in futuro. Secundò per illud Io. in sua canonica dicentis. Qui peccat in patrem, vel in filium remittetur ei, sed non qui blasphemauerit in Spiritumsanctum, quia illud peccatum est ad mortem, & pro illo non est orandum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia cóclusio. In Spiritumsanctum peccare, est vtilia ex proposito ad

ad salutem refutare, vel supernam gratiam oppugnare, vel scienter Spiritumsanctum blasphemare. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit, quid sit peccatum in Spiritumsanctum: ponens triplicē eius descriptionem. Prima est quòd peccatum in Spiritumsanctum sit obstinatio, idest obduratio in malitia, per quam contemnitur Diuina iustitia. Vel desperatio, quæ est diffidentia bonitatis Diuinæ, per quam spernitur Dei bonitas, & misericordia. Vndè quæritur incidentaliter. Vtrum omnis obstinatio, & desperatio sit peccatum in Spiritumsanctum. Et respondens, dicit, aliquas fuisse opiniones, quòd sic: sed quia multi obstinati, & desperati conuertuntur, ideò illi communiter dicunt, quòd peccatum in Spiritumsanctum non sit simpliciter irremissibile, sed quòd difficulter remittitur. Alios uerò dicit fuisse opinatos, quòd non omnis obstinatio, vel desperatio sit peccatum in Spiritumsanctum, sed tantùm illa, quam concomitatur finalis impœnitentia. Et secundum istos peccatum in Spiritumsanctum nunquā remittitur. Secunda descriptio peccati in Spiritumsanctum est, quòd sit inuidentia, seu oppugnantia fraternæ, & supernæ gratiæ; quod ideò non dicitur remitti, quia tales delinquentes humilitatem petendi veniam subire nō possunt. Subdit tamen, quòd talis inuidentia, seu oppugnantia, non est peccatum in Spiritumsanctum, nisi cum finali impœnitentia. Et videtur Magister hic accipere finalem impœnitentiam, non solùm pro vt negat actum pœnitendi sed etiam propositum. Tertia assignatio peccati in Spiritumsanctum est, quòd sit peccatum contra bonitatem, & virtutem Spiritusſancti commissum: quam ponit ex verbis Ambr. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Peccatum in Spiritumsanctum, ideò non dicitur, quia sit solùm contra tertiam personam in diuinis, sed quia communiter eo offenduntur omnes personæ, specialiter tamen Spiritussanctus, cui appropriatur bonitas, quàm Magister ponens dicit, diligenter esse animaduertendum, quòd cùm dicitur aliquod peccatum in Spiritumsanctum committi, non sic

esse

esse intelligendum, quòd sit aliqua offensio, qua offenditur Spiritussanctus: & alia, qua offenduntur aliæ personæ: immò offensa vnius, omnium est offensa. Sed hoc ideò est, quia in sacra scriptura Patri attribuitur potentia: ideò peccatum commissum ex infirmitate dicitur factum contra patrem. Filio verò sapientia: ideò peccata, quæ committuntur ex ignorantia, dicuntur fieri contra filium. Spirituisancto verò bonitas, seu clementia: ideò peccata commissa ex malitia dicuntur fieri contra Spiritumsanctum, seu in Spiritumsanctum: quamuis tamen communiter huiusmodi peccata fiant contra singulas personas. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

DE POTENTIA PECCANDI an sit homini, vel Diabolo à Deo.

DISTINCT. XLIIII.

TEXT.

Post prædicta consideratione dignum occurrit. Vtrum peccandi potentia sit nobis à Deo, vel à nobis, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimaquarta, & vltima huius secundi libri distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de peccato: consequenter hic vltimò agit de potentia peccandi. Diuiditur præsens distinct. in duas partes. In quarum prima Magister ostendit, omnem potentiam etiam peccandi esse à Deo. In secunda verò ostendit, non debere nos obedire potestati malè administranti, sed semper superiori. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista cõclusio.

Quanuis secundum aliquos à Deo sit omnis potentia, inquantum est potestas operandi, non autem quatenus potẽtia peccandi: tamen secundum Magistrũ omnis etiam peccandi potentia est à Deo. Quam ponens Magister, quærit, Vtrum potentia peccandi sit à Deo. Et respõdet, quosdam opinatos fuisse, quòd potentia peccandi non sit à Deo. Et illorum ratio erat, quòd sicut bona voluntas inest nobis à Deo, mala autem voluntas à nobismetipsis, & à Diabolo: sic etiam peccandi potentia non inest nobis à Deo, sed à Diabolo, & nobisipsis. Magister autem tenens oppositum, dicit, quòd omnis potentia tam benè, quàm malè agendi, & peccandi, est à Deo. Et hoc probat auctoritate Apost. dicentis, Non est potestas nisi à Deo. Quod non de potestate boni tantùm, sed & mali intelligi oportet. Et hoc pro sua opinione Magister confirmat pluribus auctoritatibus Sanctorum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quanuis potestati benè administranti sit semper secundũ sacram scripturam obediendum: abusui tamen eius secundum rectam rationem est quandoque resistendum. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit, Vtrum quilibet resistens potestati peccet, cùm omnis potestas sit à Deo. Et respondens, dicit, quòd sic, quod probat per Apostolum dicentem, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Cùm ergo Diabolo sit potestas mali Dei ordinatione, eius potestati non esse resistendum videtur. Sed notandum Apostolum ibi loqui de seculari potestate, scilicet, Regum, & Principium, cui non est resistendum in illis, quæ à Deo sunt ordinata. In illis autem, quæ à Deo non sunt ordinata, nulli tenemur potestati obedire. Vndè si erunt plures plura præcipientes, semper superiori obediendum est. Et ideò nullus inferior Debet præcipere aliquid, quod sit contra Deum. Vltimò continuat dicta dicendis, dicens, se in tertio libro seq. acturum esse de Verbi æterni incarnatione. Et hæc de hac distinctione, necnon secundo libro dicta sufficiant.

Explicit Secundi Libri Sententiarum Expositio.

LITTERAE TERTII LIBRI MAGISTRI SENTENTIARUM EXPOSITIO.

DE INCARNATIONE Verbi, alijsque ad hoc spectantibus.

DISTINCT. I.

TEXT.

Cum venit igitur plenitudo temporis (vt ait Apostolus) misit Deus filium suum factum de muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt in adoptionem filiorũ Dei reciperemur. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur iste tertius liber sententiarum cum secundo, & primo, hunc in modum. Cùm enim Magister suprà in primo libro egerit de Deo secundũ rationem suæ naturalis perfectionis, & in secundo, secundum quòd eius potentia relucet in effectu mundanæ creationis: consequenter nũc in hoc tertio libro Magister agit de Deo, inquantum eius sapientia resplẽdet in effectu mundanæ restaurationis. Diuiditur iste liber in tres partes

 prin

principales. In quarum prima agit de Verbi æterni incarnatione. In secunda verò tractat de eiusdem verbi incarnati passione. In tertia autem, & ultima determinat Magister de Donorum, & Virtutum perfectione. Hæc autem prima distinctio diuiditur in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, visibilem Dei filij missionem esse ipsam incarnationem. In secunda verò ostendit, qualiter specialiter filium incarnari decuit. In tertia autem, & ultimo subdit, qualiter Pater, & Spiritussanctus, si voluissent, potuissent incarnari. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Visibilis Dei filij missio est ipsa verbi incarnatio. Quam quidem conclusionem Magister probat auctoritate Apost. dicentis, quòd in tempore plenitudinis.i.tempore gratiæ, quod initium habuit ab aduentu Saluatoris nostri, Pater misit filium suũ antiquis Patribus promissum in lege. Cuius quidem filij visibilis in carnem missio, dicitur esse ipsa incarnatio. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis à qualibet persona Diuina potuerit humana natura assumi, nulla tamen personarum ita congruè humanari potuit, sicut persona verbi.i. filij. Quam quidem conclusionem Magister probat tribus rationibus. Quarum quidem rationum prima sumitur ex appropriato filij, scilicet, sapientia. Nam consonum fuit, vt deus, qui in sapientia omnia condidit, per sapientiam etiam omnia restauraret: quod confirmat parabola Euangelica de muliere quærente, & inueniente dragmam perditam; Lucæ 15. Secunda ratio sumitur ab origine ipsius filij. Nam origo filij, est esse ab alio. Congruum igitur fuit, vt primò mitteretur ille, qui est à solo patre; & deinde Spiritussanctus, qui est à patre, & filio. Quam rationem confirmat auctoritate beati Aug. Tertia ratio ad idem colligitur ex proprio filij. Nam proprium filij est esse filium. Congruum igitur fuit, ut qui in Deitate erat Dei filius, in humanitate fieret hominis filius. Et ideò ne duos filios æstimaremus, decuit personam filij præcipuè incarnari. Quam rationem cõfirmat Magister auctoritate Aug. ut in littera uidere est.

Et hæc

Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis, Pater, & Spiritussanctus incarnari possent, si uellent, aut uoluissent, ad solum tamen filium carnis assumptio terminata est. Quam quidem conclusionem probat Magister per hoc, quia vna, & eadem est Diuinarum personarum potentia: Si igitur ex illa potentia vna potuit incarnari; & omnes potuerunt incarnari, sicut etiam nunc possunt: Postea Magister obijcit contra superiùs dicta, scilicet, quòd solus filius sit incarnatus. Et arguit sic. Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa: Si igitur filius assumpsit naturam humanam, & Pater, & Spiritussanctus assumpserunt. Alioquin aliquid faceret vna persona, quod non faceret alia: & sic opera ad extra ipsius Trinitatis essent diuisa. Ad quam obiectionem Magister dicit, quòd quamuis tota Trinitas incarnationem Christi sit operata, eoquòd opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, sola tamen persona filij est incarnata; eoquòd assumptio naturæ humanæ ad ipsum terminata est. Et hoc per duo exempla declarat, scilicet, de columba, & voce patris. Pōt ēt exemplificari de tribus puellis vni ipsarū tunicam induentibus, quę oēs operantur ad induitionē, & tamē vna sola est induta. Et hęc de hac prima dist. dicta sufficiāt.

QVARE TOTAM HVMANAM naturam accepit, & quid nomine humanitatis, vel humanæ naturæ intelligendum sit.

DISTINCT. II.

TEXT.

Et quia in homine tota humana natura vitio corrupta erat, totam assumpsit, idest, animam, & carnem, vt totam curaret, & sanctificaret. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista secunda distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in præcedē ti distinctione egerit de persona carnem assumēte: consequenter hic in hac tractat de natura assumpta, & modo assumendi. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter Verbum totam naturam humanam assumpserit integrè. In secunda verò ostendit, qualiter ordinatè assumpserit carnem, scilicet, mediante anima. In tercia autem, & vltima ostendit, totam naturam simul tempore, (scilicet, animam, & carnem) à Verbo fuisse assumptam. Pro declaratione igitur primæ partis ponitur hæc conclusio. Filius Dei cùm sibi humanam naturam vniuit, totam naturam integrè (scilicet corpus & animam simul) assumpsit. Quam quidem conclusionem Magister probans, dicit sententialiter, quòd quia per peccatum primorum parentum tota natura humana corrupta fuit, ideò Dei filius totam naturā assumpsit, quæ constat ex corpore, & anima, vt totam curaret, & sanctificaret. In Christo enim vna fuit persona, & duæ substantiæ, seu naturæ, scilicet, Diuina, & humana. Si igitur habuit, & assumpsit humanam substantiam, assumpsit tam corpus, quàm animam, & per consequens naturam totam, & integram, cùm nomine humanitatis corpus, & anima simul intelligantur. Postea excludit errorem quorundam dicentiū, quòd filius Dei carnem humanam, vel humanitatem non assumpsit, secundum substantiam ipsius naturę, sed solùm secundum quandam proprietatem, à qua proprietate hominis denominationem accepit: & fuerunt isti fortè de opinione illorum hęreticorum, qui Christum, secundum quòd homo, dicebant non esse quid, sed aliqualiter se habentem, ponentes humanitatem esse in Christo, vt habitum. Sed hunc errorem Magister excludens, inquit, filium Dei assumpsisse carnem, & animam, & omnes proprietates ipsas sequentes: Quod confirmat Magister auctoritate Ioannis

ris Damasc. vt in littera videre est. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quanuis vtranque, scilicet carnem, & animam assumpserit Dei filius, tamen carnē assumpsit mediante anima. Quam ponens Magister, reddit huius rationem, dicens, quòd Diuina natura est tantæ simplicitatis, quòd non debuit immediatè vniri carni de limo terræ formatæ, sed mediante spiritu creato, scilicet, anima rationali: quæ quidem vnio ab intellectu humano inuestigari nō potest. In qua vnione, non corpus fantasticum, sed verum corpus natum de muliere Christus assumpsit, quòd tamen quidam hæretici negant, æstimantes Verbum Dei veram non posse assumere sine sui inquinatione; quem errorem dicit elidi per radios solares, quos super immunda, & fœda diffundi uidemus, & tamen non inquinari. Et hæc de secūda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. In assumptione perfectæ humanitatis inter conceptionem, & animationem, & vnionem, non fuit ordo temporalis posteritatis, vel prioritatis. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum Verbum simul assumpserit carnem, & animam, vel prius carnem, quàm animam, aut econtra. Et respondendo, dicit, quòd simul, & semel carnem, & animam assumpsit Spiritusfancti operatione, nec vnum prius assumpsit alio. Quòd Probat auctoritatibus beatorum, scilicet August. & Gregor. Et hęc de hac distin. dicta sufficiant.

DE CARNE QVAM VERBVM assumpsit, qualis ante fuerit, & qualis assumpta sit.

DISTINCT. III.

T E X T.

Quæritur etiam de carne Verbi, an priusquam con-

ciperetur obligata fuerit peccato, an & talis assumpta fuerit à Verbo: &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista tertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de persona carnem assumente, & modo assumendi, agit hic consequenter de qualitate naturę assumptæ. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter caro Christi materialiter fuerit peccato obligata antequam conciperetur, & à Virgine separaretur, quamuis deinde in assumptione fuerit ab omni culpa immunis operatione Spiritussancti. In secunda verò ostendit, ipsam nõ fuisse decimatam in lumbis Abrahæ. In tertia autem, & vltima declarat, qualiter in principio suæ conceptionis fuerit simul animata, & assumpta. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Caro Christi antequam esset de Virgine separata, materialiter, sicut reliqua caro Mariæ, fuit peccato obligata. Quam Magister ponens, proponit duas quæstiones. Quarum prima est. Vtrum caro Christi fuerit peccato obligata ante sui conceptionem, videlicet, antequam à carne Virginis separaretur. Secunda quæstio est. Vtrum adhuc caro Christi fuerit peccato obligata, quando à Verbo sumebatur. Ad primam respõdet, ꝙ caro ante sui conceptionem fuit peccato obligata, sicut & reliqua beatissimæ Virginis caro. Ad secundam similiter respondet, quòd caro illa ad hoc quòd vniretur Verbo, spiritussancti operatione immunis reddebatur ab omni peccato remanente tamen in ea possibilitate patiendi: & hoc nõ ex aliqua necessitate, sed ex libera voluntate ipsam assumẽtis. Postea dicit, quòd Spiritussanctus præueniens Virginem in conceptione, ipsam ab omni peccato purgauit, extinguendo in ipsa fomitem peccati, ita quòd ex tunc nihil posset existere, quod eam inclinaret ad malum. Deinde dicit ipsam Virginem nouam generandi potentiam, absque virili semine, & absque vitio tam concipientis, quam etiam nati habuisse. Non tamen fuit Caro Christi (qui natus ex propagine primi hominis, originem tantùm generis, & non crimi-

trimina duxit) alterius naturæ, quàm aliorum homi-
num, sed fuit in eodem excellens gratia singularis; Et om-
nes has sententias probat Magister August. & Damas. au-
ctoritatibus. Subdit etiam beatam Virginem fuisse omni
gratia repletam. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro
declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclu-
sio. Quamuis Christus de semine Abrahæ secundum cor
pulentam substantiam sit natus, non tamen est in eo deci-
matus sicut Leui, cùm ab ipso non sit secundum culpam
propagatus. Quam quidem conclusionem Magister pro-
bans, quærit. Quare Christus non dicitur decimatus in
lumbis Abrahę, vt Leui, cùm vterque fuerit in eo? Ad
quod respondens, inquit, quòd licèt vterquè ipsorum fue
rit in Abraham, & ab eo descenderit, tamen Leui in eo
fuit secundum rationem seminalem, & ab eodem descen-
dit secundum legem communem, scilicet, per carnis libi-
dinem: Christus verò fuit in ipso solùm secundum causam
materialem, & non secundum legem communem. Et ideò
omnes in Adam peccauerunt, & tamen Christus non pec-
cauit. Et subdit, quòd caro Christi fuit talis, qualis fuit
in statu innocentiæ primitùs instituta; & ideò dicitur sum-
psisse primitias nostras. Vndè caro eius fuit similis no-
stræ, non in culpa, sed in humanis pœnalitatibus. Et li-
cèt eadem sit caro Christi, & aliorum hominum secun-
dum materiam, tamen caro Christi fuit per gratiam con-
cepta, & sanctificata, & nata; quod aliorum hominum
caro non habet: & propter hoc caro Christi non fuit obli-
gata peccato. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro de-
claratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio.
Caro Christi in principio suæ conceptionis fuit simul de-
bita membrorum distinctione formata, animata, & assum-
pta: licèt tamen in quadraginta sex diebus membra corpo-
ris Christi ad tantam quantitatem, qua distinctè discerni
possent, sint adducta. Quā probans, obijcit contra superiùs
dicta, scilicet, quòd caro Christi non fuit prius concepta,
quàm assumpta, & hoc per verbū beati Aug. super illud ver
bū Io. Soluite tēplum hoc, & in tribus dieb. excitabo illud.

Dixe-

Dixerunt ergo Iudæi, quadraginta, & sex annis ædificatum est hoc templum, & in tribus diebus excitabis illud? Hic numerus (dicit beatus Aug.) perfectioni Dominici corporis conuenit: quia (vt dicunt physici) tot diebus forma humani corporis perficitur. Ex quibus verbis patet, carnem Christi per successionem dierum fuisse formatam, sicut cæterorum hominũ; & per consequens non in principio suæ conceptionis animatam, seu assumptam. Ad quod respondens, dicit, beatum August. verba illa non ideò dicere, quia caro Christi per aliquos dies sit formata, antequam animata, seu assumpta: sed ideò, quia distinctio membrorum corporis, quod Verbum animatum in principio conceptionis assumpsit, tam tenuis, & parua erat, quòd vix discerni potuisset, quæ quia in quadraginta sex diebus tantum creuit, quòd perfectè discerni potuit: ideò dicit numerum tot dierum Dominici corporis perfectioni conuenire, quod confirmat auctoritate Damas. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

QVARE IN SCRIPTVRA Sæpius tribuatur incarnatio, quæ est opus Trinitatis, Spirituisancto, & de ipso etiam conceptus, & natus dicatur.

DISTINCT. IIII.

T E X T.

Cùm verò incarnatio Verbi, sicut in superioribus tractatum est, operatio verè sit Patris, & Filij, & Spi-

& Spiritusſancto: inuestigatione dignum nobis videtur, quare in ſcriptura Spirituiſancto hoc opus ſæpius tribuatur, & de ipſo Chriſtus conceptus, & natus memoretur. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur iſta quarta diſtinctio cum ſuperiori, hunc in modum. Cùm enim Magiſter ſuperius egerit de qualitate naturæ aſſumptæ: conſequenter in hac agit de auctore aſſumptionis. Diuiditur præſens diſtinctio in tres partes. In quarum prima Magiſter oſtendit, quare opus incarnationis ita frequenter attribuatur Spirituiſancto, cum tamen tota Trinitas incarnationem ſit operata. In ſecunda verò oſtendit, Spiritumſanctum non poſſe dici patrem Chriſti, licèt de ipſo natus dicatur Chriſtus. In tertia autem, & vltima declarat, quare Apoſtolus dicat potius Chriſtum de muliere fieri, quàm naſci. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc concluſio, Quamuis opus carnalis incarnationis frequenter attribuatur Spirituiſancto, ab hoc tamen non excluditur Patris, & filij cooperatio. Quam quidem concluſionẽ Magiſter probans, quærit, Quare opus incarnationis Spirituiſancto ſpecialiter attribuitur in ſcripturis, cùm tamen (vt ſuprà dictum eſt) tota Trinitas ipſam incarnationem operata ſit? Et reſpondens, dicit, quòd hoc ideò ſit, non quòd Spiritusſanctus ſolus ſit incarnationem operatus, ſed quòd Verbũ Dei factum eſt caro ex ineffabili charitate, & ineſtimabili Dei dono, & bonitate: quæ quia Spirituiſancto attribuuntur, & appropriantur, ideo opus incarnationis ſibi ſpecialiter attribuitur: nec per hoc ab ipſo opere incarnationis Pater, & Filius excluduntur; quia in actionibus eſſentialibus ſub vna perſona cæteræ ſubintelliguntur, cùm opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa. Quod confirmat Magiſter auctoritate beati Aug. quæ patet in littera. Et hæc de prima parte ſufficiant. Pro declaratione verò ſecundæ partis, ponitur

nitur ista alia conclusio. Licet filius Dei dicatur natus de Virgine, vt de matre; tamē de Spiritusāncto non est natus, vt de patre. Quam quidem conclusionem Magist. probans, quærit, cùm Christus sit natus de Spiritusancto, an debeat dici filius Spiritussancti. Et arguit, quòd non. Nam pater eum genuit, secundum quod est Verbum: si ergo Spiritussanctus eum genuisset, secundum quod est homo Christus ex duabus naturis, scilicet, Diuina, & Humana compositus esset, & secundum vnam esset filius vnius, & secundū aliam esset filius alterius, quod est absurdum. In oppositū verò arguit sic. Sicut Christus natus est de Beata Virgine, & dicitur filius beatæ Virginis: similiter cùm sit natus de Spiritu sancto, debet dici filius Spiritussancti. Ad quod respondens Magister, dicit, quòd filius Dei non potest dici filius Spiritussancti, quia non est natus de ipso, vt de patre: sed benè dicitur filius beatæ Virginis, eo quòd natus sit de ipsa, vt de matre. Quam sententiam confirmat per hoc, quòd multa de aliqua re nascuntur, quæ tamen non dicuntur filij eius, vt pili de capite, & etiam hi, qui nascuntur ex aqua, & Spiritusancto in Baptismate, non dicuntur aquæ filij, Sed Ecclesiæ. Et econuerso multi aliquorum filij dicuntur, qui tamen de ipsis non nascuntur, vt filij adoptiui, & filij gehennæ. Et subdit etiam Magister duas rationes, quare Christus specialiter dicatur natus de Spiritu sancto. Quarum prima est, quia, scilicet, huiusmodi incarnatio est Donum Dei, ad designandum, quòd nullis præcedentibus meritis, sed ex solo Dei Dono copulatio naturæ humanæ cum persona Diuina sit expleta. Et secundum hoc, cùm Christus dicitur natus de Spiritusancto, lyde, denotat rationem operis. Secunda est, quòd Christus dicitur natus de Spiritusancto, non sicut de seminali materia, sed sicut de causa efficiente. Et sic cùm Christus dicitur natus de Spiritusancto, lyde, denotat habitudinem causæ efficientis, sicut homines dicuntur esse ex Deo, non substātialiter, sed effectiuè. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis Christus natus sit de Virgine, potius tamen dicitur fa-

ctus,

ctus, quàm natus, cùm non sit conceptus ex virili semine. Quam intimuãs Magister, quærit, cur Apostolus dicat Christum factum ex semine David, & alibi dicat ipsum factum ex muliere, cùm tamen nos dicamus Christum natum, & aliud est nasci, & aliud est fieri? Ad quod respondens, dicit, quòd Apostolus tantùm dixit Christum factum ex muliere, ad ostendendam differentiam conceptionis suæ à communi hominum conceptione. Nam Christus ratione suæ singularis conceptionis, habet tam nati, quàm facti rationem, ex eo quòd sola operatione Spiritus sancti in vtero Virginis formabatur. Cæteri autem homines habent solam rationem nati, & non facti; quia caro eorum uirtute uirilis seminis formatur in vtero. Quare etiam homines dicũtur filios generare, & non facere. Et subdit, quòd Apostolus dicit Christum factum ex semine, non ideò, quia semen hominis eius conceptioni interuenerit, sed quia ex carne Virginis, quæ ex semine Dauid processit caro Christi formata fuit. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sint satis.

SI PERSONA VEL NATVRA personam, vel naturam assumpsit, & si natura Dei incarnata sit.

DISTINCT. V.

TEXT.

Præterea inquiri oportet, cùm ex præmissis constet Verbum Dei carnem, & animam simul assumpsisse in vnitatem personæ, quid horum potius concedendum sit, scilicet, quòd persona personam, vel natura naturam, vel persona naturam, vel natura personam assumpserit. &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista quinta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius ostenderit quid sit assumens, & quid assumptum hic cõsequenter determinat de vtroque simul, Verũ, scilicet, assumens, & assumptum habeant rationem naturæ, an personæ. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister per determinationem quarundam quæstionum ostendit, personam assumpsisse naturam. In secunda verò subiungit, quòd licèt natura Diuina in persona filij possit dici incarnata, non tamen potest dici simpliciter caro facta. In tertia autem, & vltima subdit, Verbum non assumpsisse personam hominis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Personam assumpsisse personam, vel naturam, naturã nullus catholice concedit. Quam quidẽ conclusionẽ Magist. probans, quærit quadrimembrem quæstionem. Quarum prima est hæc. Vtrum persona assumpserit personam. Secunda est. Vtrum natura assumpserit personam. Tertia est. Vtrum persona assumpserit naturam. Quarta est. Vtrum natura assumpserit naturam. Et rñdens ad primos tres articulos, dicit, quòd certum est, quòd persona non assumpsit personam, nec natura personam, sed persona naturam. Sed ad quartũ articulum, scilicet, an natura assumpserit naturam, maximè difficile est respondere, cùm præclari Doctores sententias quasi contrarias de hoc uideantur tenuisse. Nam quòd natura non assumpserit naturam, hoc uidetur sentire auctoritas Concilij Toletani dicens, quòd quanuis incarnationem tota Trinitas sit operata, (cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, sicut eius substantia) solus tamen filius carnem, vel naturam assumpsit humanam. Quòd autem natura naturam assumpserit, hoc videtur sentire beatus Augu. dicens, quòd ista natura, quæ semper manet genita ex patre, naturam assumpsit humanam. Vbi beatus August. expressè dicit naturam assumpsisse naturam. Et confirmat

hoc

hoc idem per beatum Aug. dicentem; quòd cùm forma sit idē quod natura, & forma Dei formam sensibile acceperit, videtur certè August. velle naturam, naturam assumpsisse. Quod Magister iterum confirmat auctoritatibus Sanctorū Hilar. & Hier. Quam difficultatem tandem soluens, dicit, esse tenendum, quòd Diuina persona assumpsit humanam naturam, & quod natura Diuina humanæ naturæ in persona filij sit vnita, & q̃ natura Diuina incarnata sit, sic quamuis dicatur, quòd solus filius naturam, seu formam accepit, ab hac tamen exceptione non excluditur natura Diuina: sed hoc dicitur, quoniam huiusmodi assumptio in persona patris, vel Spiritussancti non est facta. Vndè cùm dicitur proprium esse filij; quòd naturam humanam assumpsit, talis sensus exprimi extenditur, quòd in propria hypostasi filij, & non in tribus personis Deus sibi humanam naturam vniuit. Pro cuius euidentia Magister allegat auctoritatem Dam. quæ patet in textu. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia cõclusio: quamuis sit concedendum, q̃ Diuina natura in persona filij sit incarnata, nō tñ est cõcedendū simpliciter, quòd eadem sit caro facta. Quam Mag. ponens, quærit, Cùm natura Diuina possit dici incarnata, an etiam sit cõcedendum, quòd sit caro facta: sicut ratione incarnationis dicitur, quòd Verbum caro factum est. Et respondet, q̃ si huiusmodi locutio: Natura Diuina est caro facta: in scriptura inueniatur, intelligenda est, vt idem sit, quod incarnata. Sed tamen melius dicitur, quòd simpliciter est neganda, ne putetur, quòd natura Diuina sit in carnem conuersa: quia iste modus locutionis nimiam videtur facere expressionem. Deinde quærendo subdit, ex quo natura Diuina assumpsit naturam humanam, quare ratione illius assumptionis natura Diuina non possit dici facta esse homo, vel esse homo, sicut Verbum Dei dicitur factum esse homo, & esse homo ratione illius assumptionis. Et respondet hoc esse ideò, quia natura Diuina non vniuit sibi naturam humanam in vnitate naturæ, sicut Verbum Dei vniuit sibi naturam humanam in vnitate personæ. Et hæc de secūda par
te

te sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Sic vniuit Verbum Dei animam sibi, & corpus, quòd non assumpsit aliquam personam hominis. Quam ponens, dicit, quòd Verbum non assumpsit personam hominis, quia caro humana, & anima, quam Verbum assumpsit, non fecerunt aliquam personam ante sui assumptionem. Sed contra illud obiicit dupliciter. Primò sic. Verbum assumpsit animam, sed anima, cùm sit rationalis naturæ indiuidua substantia, est persona: ergo Verbum videtur assumpsisse personam. Secundò sic. Secundum beatum Aug. Verbum assumpsit hominem; sed cùm homo sit persona, videtur Verbum assumpsisse personam, quod est contra prædicta. Ad primam obiectionem respondet Magister dicens, quòd anima carni vnita non habet rationem personæ, sed tantùm à corpore separata: cùm igitur Verbum non assumpserit animam separatam, sed coniunctam, videtur (ut prius) non assumpsisse personam. Sed in hoc, quòd Magister dicit animam esse personam, non tenetur à Modernis Doctoribus, quia nec separata, nec coniuncta est persona, cùm non sit completa substantia, ut dicit Dur. Ad secundum respondet, quòd cùm dicitur Verbum assumpsisse hominem, ly homo, sumitur pro natura humana, & non pro persona; ita quòd sit sensus, assumpsit hominem, idest naturam humanam. Et hęc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

DE INTELLIGENTIA HARVM locutionum, Deus factus est homo, Deus est homo: an his locutionibus dicatur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid, vel non esse aliquid.

DISTIN-

DISTINCT. VI.

TEXT.

Ex præmissis autem emergit quæstio plurimum continens vtilitatis, sed nimium difficultatis, atq; perplexitatis. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista sexta distinctio cū superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs determinauerit de filij Dei incarnatione, scilicet, de conditionibus cō sistentibus actum vnionis; consequenter hic incipit agere de conditionibus actum vnionis consequētibus. Diuiditur hæc, & sequens distinctio in tres partes. (Nam in explicatione litteræ ex his duabus distinctionibus fit vna distinctio.) In quarum prima Magister proponit quasdam quæstiones, an scilicet, Deus factus est homo, vel homo factus sit Deus, & huiusmodi. In secunda verò ponit antiquorum opiniones In tertia autem, & vltima (quæ est sequentis distinctionis) dat quæstionum motarum solutiones. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur hæc conclusio. Ad huiusmodi q̄stiones, scilicet, an Deus factus sit homo, vel homo factus sit Deus, & consimiles, difficulter possunt dari responsiones, Quam probans Magister dicit, quòd ex dictis præcedentibus emergunt quæstiones difficiles, & dubiæ. Quarum prima est hæc. Cùm dicitur, filius Dei factus est homo, & Deus est homo, & homo est Deus, Vtrum Deus factus sit aliquid, vel aliquid dicatur esse Deus. Secunda est. Vtrum benè possit dici. Homo factus est Deus, sicut benè dicitur econuerso. Deus homo factus est. Et respondens, dicit, quòd difficilè est ad huiusmodi quæstiones respondere, cùm multi Doctores videantur in earum solutionibus discordare, Et sic dimittit eas absquè vlteriori responsione vs-

ne vſquè ad ſequentem diſtinctionem. Et hæc de prima parte ſufficiant. Pro declaratione verò ſecundæ partis, ponitur iſta alia concluſio. Tres ſunt antiquorum opiniones de æterni Verbi incarnatione. Quam probans, recitat illas opiniones, ſed non diſcutit, ſed earum diſcuſſiones legentibus derelinquit. Quarum quidem opinionem prima dicit, quòd anima, & corpus Chriſti ordine, non temporis, ſed naturæ prius fuerunt ad inuicem vnita ad cõſtituendũ hominem, & ſic homo ex eiſdem conſtitutus fuit à Verbo aſſumptus: & quia homo eſt nomen ſuppoſiti, ideò opinio dicit duo ſuppoſita eſſe in Chriſto. Vnum creatum, quod eſt homo ſubſiſtens in natura humana. Aliud increatum, quod eſt Verbum ſubſiſtens in natura Diuina. Et quamuis hæc opinio ponat in Chriſto duo ſuppoſita, in ipſo tamen non ponit niſi vnam perſonam, ſcilicet, perſonam Verbi, quia ſuppoſitum creatum nõ dicit eſſe perſonam, quia vnitum eſt digniori, ſcilicet, ſuppoſito Diuino. Perſona enim dicit ſuppoſitum ad dignitatem pertinens. Præterea iſta opinio dicit, quòd proprietas vnius ſuppoſiti in Chriſto nõ dicitur de altera abſolutè, ſed tantùm cum quadam reduplicatione, nam tales propoſitiones non ſunt concedendæ. Ille homo, demonſtrato Chriſto, eſt æternus, niſi addatur, in quantum Deus eſt. Similiter iſta. Ille homo eſt mortuus, demonſtrato eodem, niſi addatur, in quantum homo eſt: Item opinio hæc dicit, quòd perſona Verbi non fuit magis compoſita poſt incarnationem Verbi, quàm ante, cùm homo aſſumptus non pertineat ad vnitatem perſonæ Diuinæ. Secunda opinio, quam Magiſter recitat, ponit quattuor. Primum eſt, quòd corpus, & anima Chriſti fuerunt prius natura, & non tempore vnita, non ad conſtitutionem ſuppoſiti, ſed tantùm ad conſtitutionem naturæ humanæ; & ſic à Verbo ſimul fuerunt aſſumpta. Secundum eſt, quòd in Chriſto non eſt, niſi vnum ſuppoſitum, ſeu vna perſona ſubſiſtens in duabus naturis, Diuina, ſcilicet, & humana. Tertium eſt, quòd propter vnitatem ſuppoſiti in duplici natura, poſſint de Chriſto verè prædicari nomina ſignificantia proprietates vtriuſque

naturæ

naturæ, vt dicendo, Deus est passus, vel iste homo est æternus, & sic de aliis. Quartum est, quòd persona Verbi post incarnationem facta est composita, quæ prius erat simplex, ita intelligendo, quòd persona Verbi, quæ ante incarnationem subsistebat tantùm in vna natura, post incarnationem subsistit in duabus. Tertia opinio similiter ponit in quatuor. Primum est, quòd anima Christi, & corpus Christi diuisa ab inuicem, sine vlla compositione inter se, Verbo fuerunt vnita, seu à Verbo assumpta, ita quòd cùm dicitur filius Dei assumpsit naturam humanam, intelligendum est secundum ipsam materialiter, vt sit sensus, filius Dei assumpsit naturam humanam, idest assumpsit partes humanæ naturæ, quæ dicuntur humana natura, sicut partes domus, dicuntur domus. Secundum est, quòd anima, & corpus fuerunt Verbo vnita solùm accidentaliter per modum extrinseci habitus, sicut vestis vnitur corpori. Tertium est, quòd anima Christi, & corpus non pertineant ad personalitatē Verbi, sed extrinsecè se habeant ad illum, sicut indumentū ad hominem. Quartum ex consequenti est, quòd in Christo sit vna persona tam simplex post incarnationem, sicut ante. Et illa omnia fulciuntur auctoritatibus Doctorum, quæ patent in textu. Et subdit postea quatuor genera habituum, eliciens exinde, qualiter Verbum Dei sit in carne, & in anima, quasi habitu indutum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur cōclusio, quæ est in seq. dist. De hac dicta sufficiant.

POSITIS SENTENTIIS prolatisque testimonijs, intelligentias propositarum locutionum exequitur secundum singulas sententias, & prius secundum primam.

DISTINCT. VII.

TEXT.

Secundum primam verò dicitur Deus factus homo, & homo factus Deus. &c,

EXPOSITIO.

Ista est septima distinctio, quæ continet sententiam tertiæ partis. Pro cuius declaratione, ponitur hæc conclusio. Secundum diuersorum doctorum opiniones, variæ dandæ sunt responsiones. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, exponit primò primam confusionem præcedentis distinctionis, videlicet, istam. Deus homo factus est. Quæ ualet tantum sicut ista. Deus incœpit esse substantia rationalis, quæ prius non erat; & illa substantia cœpit esse Deus, & hoc gratia, non natura, uel meritis habuit. Et ex hoc ad istam quæstionem, cùm dicitur: Deus homo factus est: an Deus dicatur factus aliquid. Secundum primam opinionem dicit respondendum esse affirmatiuè, dicendo, quòd Deus factus est aliquid.i. substantia, quæ cœpit. concedendum etiam est secundū istam opinionem, quòd christus prædestinatus est dei filius, non in quantum Deus, sed inquantum homo. Sed contra hoc arguit sic. Si Deus incœpit esse aliqua substantia, ergo Deus est aliquid, quod non semper fuit. Ad quod respōdens ait, ꝙ hoc benè conceditur, non tamen simpliciter, sed cum determinatione, dicendo, secūdum carnem factus est aliquid, quod prius non fuit. Secundum secundam opinionem, ponit duplicem intellectum dictarum propositionum. Quorū vnus est, cū dicitur, Deus factus est homo, sensus est, quod Deus incœpit esse subsistens in duabus naturis. Alius est, ꝙ Deus humanam naturam assumpsit, secūdum quam homo dicitur esse à Deo assumptus. Et subdit, ꝙ ly homo, potest

enti pro persona, vel pro natura: & secundum hoc diuersimodè in diuersis propositionibus accipitur. Secundum hanc quoq; opinionem christus inquantum homo est prędestinatus, non inquantum Deus. subiungit etiam postea solutiones auctoritatum diuersorum, quæ videntur dicere, quòd homo sit assumptus à Verbo, & quòd christus non sit vnius personæ inquantum Deus, & inquantum homo, sed alterius. Ponit etiam quasdam auctoritates, per quas determinatur, quomodo persona Verbi sit composita post incarnationem. Quarum intelligentiam similiter, ponit in littera. Determinat etiam alias auctoritates, quæ putent in littera. Secundum tertiam opinionē ponit intellectum dictarum propositionum, dicens, quòd cùm dicitur: Deus factus est homo: & Deus est homo: per prędicatum, s. ly homo, denotatur solus habitus, vt sensus, Deus habet hominē, vel est persona humanata. Similiter cùm dicitur, filius Dei prædestinatus est esse homo, vel homo Dei filius, sic est intelligendum, quia, s. prædestinatum est à Deo ab æter. quòd Deus sit homo, & ꝙ homo sit Deus. Similiter licèt benè dicatur, homo est Deus, non tamen pōt dici, homo est Dominicus, quia hoc beato Aug. non placuit, imò postquam frequentius hoc dixerat, hoc ipsum retractauit. Et sic vltimò omnia ista in duabus distinctionibus istis disputatiuè dicta Magister non discutit, sed lectoris iudicio discutienda derelinquit. Pro quorum aliquali prædictorū euidentia notandum est, ꝙ præcedentes opiniones, in quatuor punctis conueniunt, & in quatuor differunt. conueniunt primò in hoc, ꝙ ponunt in christo vnam personam contra hæreticū Nestorium, qui ponit in christo duas. Secundò in hoc, ꝙ ponunt in christo duplicem naturam, s. Diuinam, & humanam cōtra errorem Eutij, qui posuit post incarnationē in christo ex Diuina, & humana natura vnam naturā factā: & in hoc, ꝙ ponunt tres substantias in christo, s. corpus, animam, & Deitatem contra errorem Apollinaris, qui posuit animam non esse à Verbo assumptam, sed Deitatē esse loco animę. Tertiò conueniunt in hoc, quòd ponūt veram carnē, & veram animam Verbū assumpsisse cōtra errorem Mani-

Manichei, qui posuit Christum habere carnem phantasticam. Quartò conueniunt in hoc, quòd corpus Christi, & anima non fuerunt prius tempore, quàm essent assumpta: & hoc contra errorem quorundam dicentium, quòd primo intellectus fuit assumptus, & postea homo. Similiter in quatuor punctis differunt prædictæ opiniones. Primò in hoc, quòd prima opinio ponit duo supposita in Christo. Secunda autem opinio tantùm vnum suppositum, quod idem ponit subsistere in duabus naturis. Tertia verò opinio licèt ponat tantùm vnum suppositum in Christo, tamē ponit illud per accidens subsistere, dicit enim, quòd anima, & corpus fuerunt Verbo vnita solùm accidentaliter per modum extrinseci habitus, sicut vestis vnitur corpori. Secundo differunt quantum ad hoc, quòd prima opinio dicit hominem assumptum. Secunda humanitatem. Tertia verò dicit nec propriè hominem, nec humanitatem, nisi solùm in suis partibus. Tertiò differunt quantum ad hoc, quia prima ponit corpus, & animam esse partes hominis assumpti, & non personæ assumentis. Vndè dicit, quòd persona assumens modò sit æquè simplex, scilicet, post assumptionem, vt ante fuit. Secunda opinio econuerso ponit esse partes assumptas, vt personæ assumentis, & non hominis assumpti: quia secundum illam opinionem, non homo, sed humanitas assumpta fuit. Vndè dicit, quòd persona, quæ antea fuit simplex, facta est composita quodammodo. Tertia autem ponit eas assumptas, nō vt partes hominis assumpti, nec vt personæ assumentis, sed solùm, vt quendam habitum exteriorem. Quartò, & vltimò differunt in hoc, quòd prima opinio ponit, quòd Christus est aliquid secundum quòd est homo, quia ponit eum fore quoddam suppositum à Verbo assumptum. Secunda verò dicit, quòd sit aliquid secundum quòd habet naturam humanam, quia natura humana, quam assumpsit, prædicatur de eo concretiuè. Tertia autem ponit, quòd Christus non sit aliquid secundum quòd est homo, sed tantùm aliquo modo se habens, sicut homo indutus aliter se habet, quam nudus. Et hæc de hac, & præcedenti distinctione dicta sint satis.

AN

AN DIVINA NATVRA debeat dici nata de Virgine.

DISTINCT. VIII.

TEXT.

Post prædictæ inquiri debet, Vtrum de natura Diuina concedendum sit, quòd de Virgine sit nata, sicut dicitur in Virgine incarnata. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista octaua distinctio cum superioribus, hunc in modum. cùm enim Magister superiùs egerit de conditionibus sequentibus actum vnionis, quo ad effectum ex ipsa sequentem: agit nunc consequenter de eisdem conditionibus, quo ad naturam vnientem, & vnitam in hac, & in sequẽti distinctione. Diuiditur præsens, & sequens distinctio in tres partes. In quarum prima Magist. ostendit, qualiter, & quomodo natura Diuina in christo possit dici nata. In secunda verò, qualiter Christus ratione duarum naturarum duas habeat natiuitates ostendit. In tertia autem, & vltima (quæ est sequentis distinctionis) declarat, qualiter humanitas Christi sit adoratione latriæ adoranda, scilicet, eadem qua Verbum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Natura Diuina sumpta pro persona, de Virgine potest dici nata. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum natura Diuina possit dici nata, sicut suprà dicta est incarnata. Et respondendo primò arguit, quòd non. cuius ratio est, quia sicuti natura Diuina non potest dici nata de patre natiuitate æterna, à simili, multo minus debet dici nata de Virgine natiuitate temporali. In oppositum arguit sic.

Naturam humanam in vtero Virginis assumere, est nasci de Virgine: sed natura Diuina assumpsit humanam in vtero Virginis: ergo ipsa est nata de Virgine. Et respõdet Magister, quòd capiendo naturam pro persona, potest dici, q̃ natura Diuina sit nata de Virgine. Sed capiendo naturam pro essentia, minimè debet dici nata, siue de patre æternaliter, siue de matre temporaliter. Vndè vbicunque inuenitur dictum, quòd natura Diuina sit incarnata, siue nata de patre, uel matre, tunc per naturam semper debet intelligi persona, & non absolutè essentia. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Propter proprietates duarum naturarũ in christo, ponuntur eiusdem distinctæ natiuitates. Quam Magister ponens, quærit. Vtrum christus debeat dici bis natus, sicut dicitur filius Dei, & hominis. Et respondet, q̃ propter proprietates duarum in christo naturarum, christus potest dici bis natus, seu habere duas natiuitates. Vndè habet æternam natiuitatem à patre, secundum quam est patri coæternus, & ante secula genitus: & natiuitatem temporalem, secundum quam est à matre in seculo natus. Quæ Magister confirmat auctoritate beati Aug. nec non Ioan. Dam. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur illa conclusio, quæ est in sequenti distinctione. De hac dicta sufficiant.

DE ADORATIONE HVMAnitatis Christi: an eadem sit adoratio humanitati, & Deitati exhiẽda.

DISTINCT. IX.

TEXT.

Præterea inuestigari oportet. Vtrum caro Christi & ani-

& anima, vna eademq; cum Verbo debeat adoratione adorari, illa, scilicet, quæ latria dicitur. &c.

EXPOSITIO.

Ista est nona distinctio, quæ in sui expositione continet sententiam, & conclusionem tertiæ partis. Quæ quidē conclusio est ista, Anima, vel caro christi, inquantū Verbo vnita, est adoratione latriæ adoranda. Quam quidē conclusionem Magister probans, quærit. Verum humana natura in christo debeat eadem adoratione adorari cum Verbo, cui vnita est. Et respondens, dicit, circa hoc fore duas opiniones. Quarum vna dicit, quòd non: quia adoratione latriæ, quæ est cultus Deo debitus, ut creatori, & nulli creaturę exhiberi debet, ipse solus Deus adorari debet. cùm igitur caro, uel anima Verbo vnita sit, ut creatura, patet, quòd eadem adoratione cum Verbo non est adoranda. Est tamen prę cęteris creaturis rationalibus simpliciter, & præcipuè diligenda, & ueneranda, non tamen ut honor Diuinitati debitus, ei per se attribuatur, qui quidem cultus exhibendus consistit in amore, & cordis dilectione, & bonorum corporalium, & temporalium exhibitione, & omnimoda reuerentia, quæ sibi minimè exhibetur. Alia opinio, quæ communior est, & uerior apparet, dicit, quòd humana natura vnita diuinæ personæ, eadem adoratione, qua diuina persona adoratur, est piè adoranda, considerando tamen semper naturam humanam, ut Verbo unitam, & non ab ipso separatam. Nam qui eam sic adorat, & non peccat, qui eam non adorat, ut creaturam, sed ut unitam Diuinæ personæ. Quam opinionem Magister confirmat auctoritatibus Aug. & Damas. Et hæc de hac, & præcedenti distinctione dicta suffi-ciant.

AN CHRISTVS SECVNDVM quòd homo, sit persona, vel aliquid.

DISTINCT. X.

TEXT.

Solet etiam à quibusdam inquiri. Vtrum Christus secundum quòd homo, sit persona, vel etiam sit aliquid. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decima distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de conditionibus cõsequentibus actum vnionis, quo ad naturam venientem, & vnitam: consequenter hic agit de conditionibus eiusdem, quo ad personam, in qua dicimus vnionem esse factam. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, Christum nõ esse personam, inquantum scilicet, est homo. In secunda verò ostendit, Christum non esse filium adoptione, sed natura. In tertia autem, & ultima ostendit, qualiter Christus, secundum quòd homo, dicatur esse prædestinatus.
Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio, Quamuis Christus, vt homo, sit humanæ naturæ indiuidua substantia: idem tamen, secundum quòd homo, non est aliqua persona. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum Christus, secundum quòd homo, sit persona. Et arguit primò quòd sic. Nam Christus, secundum quod homo, est aliquid: aut igitur est substantia, aut aliud: non aliud: ergo substantia: sed non substantia

irra-

irrationalis: ergo rationalis. Cùm ergo omnis substantia rationalis sit persona, (quia secundum Boet. persona est, rationalis naturæ indiuidua substantia) sequitur Christum secundum quòd homo, esse personam. Deinde in contrarium arguit sic. Si Christus, secundum quòd homo, esset persona, ipsa esset tertia persona in Trinitate, & non alia: sed cùm illa sit Deus, sequitur Christum, secundum quòd homo, esse Deum: consequens autem est falsum: igitur & illud ex quo sequitur: sed hoc assumptum, ergo &c. Et respondens Magister, dicit, non esse concedendum, Christū, secundum quòd homo, esse personam: quia dato quòd sic, tunc Verbum non naturam, sed personam assumpsisset; quod est falsum. Ergo Christus, secundum quòd homo, non est dicendus persona, nisi fortè ista præpositio, secundum, expresse denotaret vnitatem personæ. Et hoc patet in littera, ubi etiam ponit multiplicem acceptionem huius præpositionis. Postea Magister soluit argumentum factum in oppositum, dicens, istam consequentiam non valere. Christus est substantia rationalis, secundum quòd homo: ergo est persona. Anima enim est huiusmodi, & tamen nō est persona. Quia persona dicitur quasi res per se sonans, & non alteri coniuncta: quod non est uerum de natura humana in Christo. Ex alio etiam dicit, consequentiam illam non valere; quia deffinitio personæ in argumento allegata, non conuenit Diuinis personis, licèt alijs benè conueniat. Et sic concludit, non esse concedendum, quòd Christus, secundum quòd homo, sit persona. Contra hoc iterum opponit sic. Christus, secundum quòd homo, est prædestinatus, vt sit filius Dei: sed secundum quòd est filius Dei, est persona: igitur secundum quòd est homo, est persona. Et respondens Magister, dicit, antecedens esse multiplex: quia ly, secundum, cum reduplicatione, potest cadere, vel super prædestinationem: & sic assumptum est verum, sed argumentum non valet. Vel potest cadere super filiationē, & sic argumentum est bonum, sed assumptum est falsum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secundæ partis, ponitur ista alia **conclusio**. Filius Virginis

nis temporalis, non est filius Dei adoptiuus, sed naturalis. Quam probans Magister quærit. Vtrum christus, secundum quòd homo, sit filius adoptiuus. Et respondens, dicit, Christum esse filium non adoptione, sed natura: non tamen dicitur sit filius natura, sicut dicitur Deus natura Diuinitatis: quia Deus dicitur ratione Diuinitatis, filius verò ratione naturalis natiuitatis, secundum quam fuit æqualis patri, & coæternus patri genitus. Quòd autem non sit filius adoptiuus, patet, quia prius non fuit non filius, & postea in filium adoptatus, sicut homines in filios adoptantur; sed semper fuit filius: ergo non adoptiuus. Sed contra hoc arguit sic. Christus est filius Dei natura, & filius Virginis per gratiam: cùm igitur esse filium per gratiam, sit esse filium adoptione: videtur certè, ꝙ secundum quòd homo, sit filius adoptiuus. Et respondet, ꝙ licèt sit filius Virginis simul per naturam, & gratiam vnionis: ex hoc tñ non sequitur, ꝙ possit dici filius adoptiuus, cùm non sit filius Virginis per gratiam adoptionis, quod pluribus auctoritatibus probat. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione verò tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Filius Dei, qui quatenus Deus, pro nostra salute temporaliter est incarnatus: est, secundum quòd homo, æternaliter prædestinatus. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum natura, vel persona in Christo fuerit prædestinata. Et respondens, dicit, quòd Vtrunque. Nam persona fuit prædestinata secundum hominem assumptum vt ipsa scilicet, ens homo esset filius Dei, & similiter natura, vt vniretur Verbo Dei in vnitate personæ. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

VTRVM CHRISTVS SIT creatura, vel creatus, vel factus.

DISTINCT. XI.

TEXT.

Solet etiam quæri. Vtrum debeat simpliciter dici, atque

atque concedi, Christum esse factum, vel creatum, vel creaturam. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vndecima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de conditionibus ad dignitatem personæ pertinentibus: nunc in hac agit de conditionibus ad defectũ spectantibus. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit, Christũ nõ debere dici creaturam simpliciter, & absolutè. In secunda verò ostendit, ipsum posse dici creaturam, cum certa tamen determinatione. In tertia autem, & ultima ostendit, qualiter non valeat consequentia, dicendo, Christus, vt homo, est creatura: ergo simpliciter christus est creatura. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quanuis persona Verbi sit hypostaticè in humana natura, absolutè tamen loquendo Christus non est creatura. Quam quidem cõclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum sit concedendum, quòd Christus debeat dici factus, vel creatus, vel creatura. Ad quam quæstionem respondendo, dicit, quòd nullo modo simpliciter debeat dici, quòd sit factus, vel creatus, vel creatura, quod diuersis sanctorum auctoritatibus probat in littera. Quorum quidam dicunt, quòd ex quo per ipsum facta sunt omnia, non potest dici factus, & per consequens nec creatura. Alij verò dicunt, quòd si Christus fuisset creatura, mandatum sibi fuisset Euangelium prædicari, cùm in Euang. dicatur, Prædicate Euang. omni creaturæ. Præterea, si Christus esset creatura, esset subiectus vanitati, cùm Apostolus dicat, omnem creaturam vanitati esse subiectam. Vnde in hoc errauit Arrius dicens, christum esse puram creaturam. Quæ omnia absurda sunt, & per consequens, simpliciter loquendo, Christus non est creatura. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secũdæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quanuis simpliciter loquendo non

non sit concedendum Christum esse factum, vel creaturā: potest tamen concedi cum determinatione, vt dicēdo Christus secundum naturam assumptam est creatura: vel Christus est creatura secundum quòd incepit esse homo. Quam cōclusionem Magister probat pluribus auctoritatibus, quæ patent in littera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Licèt sit concedendum, quòd Christus secundum humanam naturam sit factus, vel creatura: ex hoc tamen inferri non debet, quòd sit creatura, vel creatus, vel factus simpliciter. Quæ conclusio patet per hoc, quòd arguitur indirectè, vt dicendo. Christus, secundum quòd homo, est creatura: igitur Christus est creatura. Quia arguitur à dicto secundum quid, ad simpliciter, quæ argumentatio non valet, nam illud, quod est patris attribuitur toti. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

AN HOMO ILLE SEMPER fuerit, vel cœperit esse.

DISTINCT. XII.

TEXT.

Post prædicta quæritur. Vtrum homo ille cœperit esse, vel semper fuerit, sicut simpliciter enunciamus Christum, vel Dei filium semper fuisse, nec cœpisse, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista duodecima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs inquisiuerit, an Christus debeat dici natura creata: consequenter

quenter hic inquirit, an in ipso fuerint defectus, quos natura creata habet sibi communiter annexos. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, posse concedi, Christum, inquantum homo est, incœpisse. In secunda verò ostendit, Christum potuisse aliam carnem assumere diuersam ab ea, quam assumpsit. In tertia autem, & vltima ostendit, Christum potuisse assumere naturam humanam in sexu muliebri. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quamuis concedendum sit, Christum secundum humanitatem temporaliter incœpisse: tenendum tamen est, ipsum secundũ Diuinitatem æternaliter fuisse. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum, scilicet, Christus initium habuerit, vel semper fuerit, sicut filium Dei dicimus semper fuisse. Et quòd esse incœperit, arguit sic. Christus esse acquisiuit, quod aliquando non habuit, quia non semper homo fuit: igitur esse cœpit. In oppositum arguit sic. De Christo puero in scriptura legitur, quòd manus eius creauerunt stellas: quod, quia in principio mundi fuit: igitur Christus fuit ante mundum, & per consequens non incœpit esse. Vndè ad quæstionem istam respondens per distinctionem, dicit, quòd si christus consideretur quantum ad personam, tunc semper fuit. Si verò quantum ad naturam humanam, tunc initium habuit. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secundæ partis, ponitur ista alia conclusio Aliunde, quàm de materia Adæ Christus potuit carnem assumere, quamuis tamen nullo modo potuerit peccato esse subiectus. Quam quidem conclusionem Magister ponens, quærit, Vtrum Verbum potuerit alium hominem, quàm assumpsit, assumere, qui, videlicet, non fuisset de primi hominis generatione. Et respondens Magister, dicit, quòd sic. Cuius ratio est, quia sicut primum hominem de terra sine alterius hominis generatione formauit: similiter, & nouo modo potuisset hominem formasse, & assumpsisse: congruum tamen erat, ut de generatione Adæ assumeretur homo, ut per eundem vinceretur Diabolus, per quem homo victus fuit. Postea quæ-

rit,

rit, an iste homo, scilicet christus potuerit peccare. Et respondens, dicit, quòd non. Cuius ratio est, quia si peccare potuisset, damnari potuisset, & sic non fuisset Deus. Vndè persona Christi peccare non potuit, nec natura humana, nec anima, si considerentur pro vt sunt Verbo vnita. Si autem considerentur pro vt si essent, vel esse possent à Verbo separata, tunc possent peccato esse subiecta, & per consequens homo separatus à Verbo potuisset peccare. Sed contra illud obijcit dupliciter. Primò sic. Natura humana Verbo vnita, habuit liberum arbitrium; ergo potuit peccare. Et respondet, quòd non omnes habentes liberum arbitrium possunt peccare, quia Angeli beati habent liberū arbitrium, & tamen non possunt peccare: ergo multo minus ipse Christus. Vndè patet, argumentum non valere. Secundò obijcit auctoritate scripturæ dicentis. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & nō fecit. Et respondendo, dicit, quòd illa auctoritas tota intelligenda est de membris. Christi, & non de capite, s. Christo. Vel partim de membris Christi, & partim de Christo; ut affirmatiua illa, potuit transgredi intelligatur dictum de membris: & negatiua illa, non est transgressus, de Christo. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione verò tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Quamuis sic concedendum, quòd christus potuerit assumere sexum fœmineum; tamen tenendum est, quòd sexum virilem assumere de fœmina, est magis congruum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit, Vtrum Deus potuerit assumere naturam humanam in sexu muliebri. Respondendo autem dicit, quòd sic: sed magis conueniens fuit, & congruum, vt assumeret naturam in sexu virili ex fœmina, vt per hoc ostenderet vtriusque liberationem per christum esse fiendam. Quod confirmat auctoritate beati August. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

SI CHRI-

SI CHRISTVS SECVNDVM Naturam hominis in sapientia, & gratia proficere potuit, & proficere.

DISTINCT. XIIII.

TEXT.

Præterea sciendum est, Christum secundum hominem ab ipsa conceptione gratiæ plenitudinem recepisse. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista decima tertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. cum enim Magister superiùs determinauerit de conditionibus concomitantibus actum vnionis: hic consequenter incipit agere de Donis naturæ assumptæ in ipso actu vnionis collatis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostẽdit plenitudinem perfectionis Christi, quantum ad gratiam affectus, & scientiam intellectus. In secunda verò ostẽdit, Christum non profecisse sapientia, nisi solùm quantum ad ostensionem ipsius sapientiæ effectus. In tertia autem, & vltima concludit, Christum scientia, quam habuit, nõ profecisse, nisi solùm secundum exteriorem apparentiam, seu hominum opinionem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Ab hora suæ conceptionis fuit in Christo gratiæ, & sciẽtiæ plenitudo. Quam quidẽ cõclusionẽ Mag. insinuans, pponit, ꝙ Christo fuit datus spiritus nõ ad mensurã, vt in Euãg. legitur. Et Apost ad col. 2. dicit plenitudinẽ Diuinitatis corporaliter habitasse in Christo. Et subdit, ꝙ quãuis alij sancti dicantur ẽe fuisse pleni gratia, seu

perfecti in scientia, non tamen ita essentialiter sicuti fuit Christus. Quod ostendit per simile. Nam sicut in capite humani corporis sunt omnes sensus, in cæteris autem membris est solùm sensus tactus: sic in Christo est plenitudo gratiæ, sicut in omnium capite; in alijs verò sanctis est gratia, sicut sensus tactus in membris sub capite, quia de plenitudine Christi omnes acceperunt, non illam gratiam essentialiter, quæ in Christo est, sed quodammodo consimilem. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Christus profecisse sapientia non dicitur, nisi solùm quantum ad exteriorem effectus sapientiæ ostensionem. Quam Magister insinuans, obijcit contra prædicta sic dicens. Si Christus ab initio suæ conceptionis tantam habuit donorum plenitudinem, scientiæ, scilicet, & gratiæ: quomodo tunc uerum est, quòd proficiebat scientia, ætate, & gratia, vt dicit scriptura? Et respondet, quòd Christus ab initio suæ conceptionis tantam habuit donorum plenitudinem, quòd amplius recipere capax non fuit. Scriptura autem, quæ ipsum sapientia, ætate, & gratia profecisse asserit, non vult dicere, quòd sapientia, & gratia secũdum temporis processum sint auctæ in Christo, sed dicere intendit, quòd sicut Christus temporaliter in ætate proficiebat: ita dicta dona ab initio suæ conceptionis sibi collata, ad hominum salutem hominibus ostendebat. Vnde patet, quòd proficiebat alijs, sed non sibi: sicut rector Ecclesiasticus dicitur proficere in cura sibi traditæ alijs proficientibus per ipsum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Secundũ duplicem quam Christus habuit scientiam, non profecit secundum alteram, nisi solùm secundum hominum opinionem, seu exteriorem apparentiam. Quam quidem conclusionem Magister probans, obijcit contra prædictam conclusionem dupliciter. Primò per auctoritatem Ambr. dicentis in Christo fuisse duplicem sensum, seu sapientiam, creatam, scilicet, & increatam: & quòd Christus sapientia creata, seu sensu hominis profecit, sicuti ætatis incrementum sumpsit. Secundò

dò obijcit similiter per Esa. dicentem. Et puer antequam sciat vocare patrem, vel matrem accipiet spolia Samariæ. Magister autem respondendo, dicit, quòd auctoritas Ambrosii, quæ dicit, Christum profecisse sensu hominis, nõ est aliter intelligenda, nisi quòd profecerit secundum hominũ opinionem. Et quod dicitur patrem, & matrem ignorasse, dicit non aliter esse intelligendum, nisi quòd similitudinarie ad modum ignorantis se habuit. Et sic non profecit, nisi secundum exteriorem apparentiam. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

SI ANIMA CHRISTI HAbuerit sapientiam parem cum Deo: & si omnia scit quæ Deus.

DISTINCT. XIIII.

TEXT.

Hic quæri opus est, cùm anima Christi esset sapiens sapientia gratuita: Vtrum habuerit sapientiam æqualem Deo, siue omnium rerum scientiam habuerit, vel habeat, idest, Vtrum omnia sciat, quæ Deus scit. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista decimaquarta distinctio cum superiori, in hunc modum. Cùm enim Magister superius egerit de plenitudine perfectionis Christi, quantum ad gratiam, & scientiam: consequenter nunc hic comparat perfectionem, quam habet inquantum homo, ad perfectionem

 Dei.

Dei. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quòd licèt anima Christi sciat omnia, (licèt non ita plenè) quæ Deus scit, non tamen omnia potest, quæ Deus potest. In secunda verò confirmando hoc idem dicit, Christi animam non habuisse omnipotentiam. In tertia autem, & vltima ostendit, Christum, in quantum homo est, omnipotentiam quandoquè accepisse. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quamuis pater dederit Christo secundum animam omnem scientiam, eidem tamen communicare non potuit omnipotentiam. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum anima christi habuerit sapientiam æqualē Deo: & Vtrum omnia sciat, quæ scit Deus. Et respondendo, dicit secundum quorundam opinionem, ꝙ anima Christi non habuit æqualem sapientiam cum Deo, nec scit omnia, quæ scit Deus: eo quòd anima Christi sit creatura, & nulla creatura sit æqualis creatori. Et cōfirmat hoc auctoritate Cassiodori, q̄ patet in littera. Præterea si anima Christi sciret omnia, quæ scit Deus, sequeretur, quòd non solùm seipsum, sed etiam totum mundum creare sciret, cùm hoc sciat Deus: sed hoc est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Postea Magister ponit suam opinionem propriam, dicens, animam christi per sapientiam sibi gratis collatam, in Verbo, cui vnita est, scire omnia, quæ scit Verbum, idest Deus. Et subdit, quòd quamuis sciat omnia, quæ Deus scit, non tamen potest omnia, quæ Deus potest, neq; etiam scit omnia ita clarè, & plenè sicut Deus scit. Et ita non æquatur creatura creatori suo, quia licèt æquetur scientiæ Dei, quo ad numerum scitorū, & non tñ æquatur sibi in modo sciendi. Quod aūt Apost. dicit: Nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi spiritus Dei: istis dictis non obstat, imò arguit propositum; quia intelligit de spiritu, qui datus est in Christo non ad mensurā. Etiam Mag. probat propositū suum tali rōne. Nullus scit aliquid, qđ anima eius ignorat: sed Christus secundū oēs Doctores, scit oīa: igitur eius anima scit omnia. Ad argumentum in contrariū factum, quo dicitur, quòd si anima Christi sciret omnia, sciret creare mundum, & so-

Verū ā nō aēq; de nu. me. scitorum scīa visionis nō aūt simpli. cis, intelligētiæ.

& seipsam, respondet, quòd anima Christi habet scientiam creandi, sed non potentiam, quia scit quomodo mundum creauerit Deus, & se ab ipso fuisse creatam, & non de nouo creandam. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur illa alia conclusio. concedimus catholicè christi animam non habuisse omnipotentiam. Hæc conclusio est secunda pars primæ conclusionis, quam Magister insinuans, quærit. Cur anima christi non habet potentiam omnia faciendi, sicut potentiā omnia cognoscendi? Et respondet, quòd hoc est ideò, quia fuit naturaliter capax omnis scientiæ, non tamen omnis potentiæ. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. christus, vt homo, dicitur quandoquè accepisse omnipotentiam, inquantum, s. cœpit homo esse filius Dei, & filius Dei filius hominis, & homo Deus, & Deus homo. Quam conclusionem Magister insinuat auctoritate Ambros. dicentis super illo Verbo Luc. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Dicit magnus erit, quia potentiam, quam filius Dei naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus, vt vna sit persona homo, & Deus. Quæ tamen verba non ideò dicuntur, quia christus habuerit secundum humanam naturam omnipotentiam ex tempore, sicut habuit secundum Diuinam naturam ab æterno: sed quia filius Dei ab æterno omnipotens, futurus erat homo in tempore habens omnipotentiam, non secundum humanam, sed secundum Diuinam naturam. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE HOMINIS DEFECTIBUS QUOS ASSUMPSIT CHRISTUS IN HUMANA NATURA.

DISTINCT. XV.

TEXT.

Illud quoque prætermittendum non est, quòd Dei filius naturam hominis accepit passibilem, animam passibilem, carnem passibilem, & mortalem. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decimaquinta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de Verbi æterni incarnatione: consequenter hic per ordinem incipit agere de eiusdem Verbi incarnati passione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarũ prima Magister ostendit, quos defectus Verbum cum natura humana assumpserit. In secunda verò subdit, hoc fuisse factum non necessitate coacta, sed spontanea, & libera uoluntate ipsius Christi. In tertia autem & vltima excludit quorundam hæreticorum errorem dicentium, Christum, secundum quòd homo, impassibilem fuisse. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur illa conclusio. Filius Dei carnem passibilem, & animam pro nobis assumpsit, & omnes defectus, quos suæ dignitati, & nostræ saluti congruere nouit. Quam quidem conclusionẽ Magister probans, proponit, quòd filius Dei naturam humanam passibilem, tam quo ad corpus, quàm quo ad animam assumpsit. Et vt probaretur habere verum corpus, & veram animam, assumpsit cum natura humana ipsius naturæ defectus, vt famem, sitim, tristitiam, timorem, & huiusmodi. Quorum quidam dicuntur defectus animæ, ut tristitia, & timor. Quidam verò corporis, vt fames, & sitis, & huiusmodi. Vnde vlterius concludit, quòd Verbum assumpsit non omnes defectus pœnæ, sed tantùm illos, quos ipsi pro redemptione generis humani congruebat assumere, & suam dignitatem decebat. Et subdit, quòd si in scriptura

inueni-

inuenitur, quod filius Dei omnes nostras infirmitates assumpserit præter peccatum, hoc intelligendum est de defectibus, qui suæ dignitati non derogant. Non enim assumpsit ignorantiam, quæ quandoque est pœna, seu defectus, & non culpa: neque assumpsit difficultatem ad benè operandum: quæ tamen spectant ad nostram miseriam, & defectum; & per consequens non assumpsit omnes pœnales defectus animæ. Similiter etiam non assumpsit omnes defectus corporis, quia non assumpsit plures ægritudines, & vitia corporis. Vndè tandem concludit, quòd omnes defectus assumpsit, quos eum decebat, & nobis conueniebat ipsum accipere. Quos quidem accepit, vel ad ostensionem veræ humanitatis, vt timorem, vel tristitiam: vel ad impletionem operis, (scilicet, humanæ redemptionis) vt passibilitatem corporis: vel ad erectionem nostræ spei in gloriā immortalitatis, vt mortem corporis. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur illa alia conclusio. Christus nostras infirmitates non accepit coacta necessitate, sed suæ miserationis spontanea voluntate. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, Christum huiusmodi defectus non assumpsisse ineuitabiliter, sicut nos, qui talibus ex necessitate subiacemus: sed ex miseratione suæ uoluntatis spōtè eos assumpsit. Nā nos ex peccato originali eos contrahimus, immo vitare nō possumus. Christus autem huiusmodi peccatum non cōtraxit, nec actuale mortale, vel veniale commisit. Et ideò ex debito suæ conditionis ipsos habere non debuit. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Sicut hæretici humanam naturam in Christo passibilitati fore subiectam negant: sic ipsum Christum secundum carnem impassibilem fore asserunt. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, opinionem istorum hæreticorum esse falsam. Quod probat diuersis auctoritatibus, quæ patent in littera. Postea subdit quorundam auctoritatum declarationem, scilicet, Aug. & Hier. quæ videntur dicere, quòd Christus non timuit, nec tristatus extitit, i. nec tristatus fuit, dicens, eos

velle dicere, quòd christus non timuit, nec tristatus fuit coacta necessitate, (sicut nos quandoque timemus, vel tristamur) sed spontanea, & libera voluntate. Et quòd nõ habuit ista per modum passionis, sed propassionis, quæ propassio non perturbat rationem, sicuti passio. Non habuit etiam causam timoris, vel tristitiæ, hoc est, peccatum, sicut nos habemus. Vltimò obijcit per Hilar. cuius verba prolixè ponit, & postea exponit, vt patet in littera. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

AN IN CRHISTO FVERIT necessitas patiendi, & moriendi, quæ est defectus generalis.

DISTINCT. XVI.

T E X T.

Hic oritur quæstio ex prædictis ducens originem. Dictum est enim suprà, quòd Christus in se nostros defectus suscepit præter peccatum. Est autem hominis quidam generalis defectus, qui peccatum non est moriendi est, scilicet, necessitas patiendi, vel moriendi. &c.

E X P O S I T I O.

Connectitur ista decimasexta distinctio cum superiori, hunc in modum. cùm enim Magist. superiùs egerit de christi patientis passibilitate: consequenter in hac agit de patiendi necessitate. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister confirmat, christum

stum non assumplisse aliquem defectum, qui in se peccatu aliquod includat. In secunda verò ostendit, christum susce pisse necessitatem moriendi libera sua voluntate, non autē necessitate aliqua. In tertia autē, & vltima ostendit, christum de quolibet statu hominis aliquid assumpsisse. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. christus omnes defectus nostros assumpsit, qui nullatenus culpam, vel peccatum includunt. Hæc conclusio suprà probata est, igitur suppono eam veram. cùm igitur necessitas moriendi sit defectus quidam, & non culpa; dubitari potest non immeritò, an christus etiam talē defectum assumpserit, s. necessitatē moriendi. De aptitudine moriendi non est dubium, quia illa etiam in homine à natura fuit ante peccatum, quando nullus defectus in eo fuit. Et respondēdo, (pro declaratione secundæ partis) ponit hanc conclusionē. christus, qui immunis fuit à peccato, suscepit necessitatem moriendi solā spontanea voluntate, & nulla coacta necessitate. Quam probans, reddit rationem huius, quæ est, quòd (vt dictum est suprà) christus, assumpsit naturā talem, qualē homo habuisset * in statu innocentię; in quo statu non fuisset necessitas moriendi. Nam necessitas moriendi non competebat homini ex natura suæ conditionis secundum quòd natura primitùs instituta fuit: sed solùm secundum, q̄ postea fuit per peccatū vitiata: sed talem naturam christus non assumpsit: ergo quamuis necessitatem moriendi nō assumpserit, sponte tamen moriebatur. Et hæc de prima, & secunda parte dicta sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio, christus, qui dicitur naturam humanam redemisse, de quolibet statu hominis dicitur aliquid assumpsisse. Quam ponens Magister, dicit, quadruplicem esse statum hominis. Quorum

* *Verum est de natura in statu innocentiæ non autem secundum se. Nam sic alias hominibus & Christo in ita præsenti vita necessitas moriendi ineret natura, vt patet ex contrariis composita nō tamē ex peccato, sicut alijs hominib. post lapsum Adæ.*

Quorum primus fuit ante peccatum, scilicet, status innocentiæ. Secundus fuit post peccatum, & ante gratiam. Tertius verò fuit post peccatum, & sub gratia. Quartus autem erit in gloria expers omnis miseriæ. Ideò de primo statu accepit Christus peccati immunitatem. De secundo poenales defectus. De tertio plenitudinem gratiæ. De quarto non posse peccare, & Deum perfectè contemplari. Cum igitur Iesus venit in hunc mundum, tanquam vniuersalis redemptor, omnes saluaturus, naturam humanã assumens, de quolibet horum statuum (vt dictum est) aliquid assumpsit. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

SI OMNIS CHRISTI Oratio, vel voluntas expleta sit.

DISTINCT. XVII.

TEXT.

Post prædicta considerari oportet. Vtrum Christus aliquid voluerit, vel orauerit, quod factum non sit. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decimaseptima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de patiendi necessitate: hic modò agit de patientis uoluntate. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostẽdit, quòd Christus aliquid petijt, inquantum homo, quod tamen nõ obtinuit à patre. In secunda verò subdit, qualiter Christus secundum vnam volun-

voluntatem pati voluit, secundum aliam verò noluit. In tertia autem, & vltima ostendit, quòd Christus de patris potestate non dubitauit, sed ad modum dubitantis se habuit.

Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Non quodlibet, quod Christus orando à Patre petijt, obtinuit. Quam quidem conclusionem Magister probans, quęrit, Vtrum Christus aliquid orauerit, uel pecierit, quod factum non fuerit. Et arguit, quòd sic. Quod probat per hoc, quòd petebat à se transferri calicem passionis, quod tamen factum non fuit. In oratione etiam videbatur à patris voluntate discordare. Pro cuius quæstionis euidentia & solutione, dicit, quòd Christus secundum duplicem naturam, quam habuit, scilicet, Diuinam, & humanam, etiam duplicem habuit voluntatem, scilicet, Diuinam, & humanam: quæ humana etiam duplex fuit, scilicet, sensualitatis, & rationis. Secundum igitur voluntatem Diuinam, & rationis affectum, pati, & mori volebat. Secundum sensualitatem verò passionem, & mortem refugiebat, & per consequens pati nolebat. Propter hoc tamen dicit, quòd nō fuit rebellio carnis ad spiritum: quia talis non est nisi in illis, in quibus est carni, concupiscentia, quæ in Christo nō fuit: fuit tamen in cōsensualitatis affectus, & humanitatis veritas probaretur. Vndè concludit, quòd sicut in membris Christi, (idest, in nobis,) ita & in Christo fuit geminus affectus humanitatis, scilicet, mentis, quo mori volebat, & sensualitatis, quo mori recusabat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Secundum Doctores Christus duplicē voluntatem habuit, secundum quarum vnam pati voluit, & secundum aliam noluit. Quæ conclusio satis patuit supra. Ideò dicit hoc esse contra nonnullos hæreticos, qui firmiter ponebant, in Christo solùm vnam voluntatem. Quod tamen Magister reprobat, asserens per multas auctor, diuersas in Christo fuisse voluntates. Vbi addit quòd Christ. aliquid petijt, quod non impetrauit, puta, translationem calicis à se: immò sciebat Deum patrem hoc non facturum: non tamen in vanum orauit, sed ad hoc orauit, vt suis

vr suis membris imminente perturbatione, orandi, & clamandi ad Deum, & voluntatē suam voluntati Diuinæ subdendi exemplum daret. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. christus in horto de Patris potestate non dubitauit, sed ad modum dubitantis se habuit. Quam Magister insinuans, dicit, quoddam dubium fuisse exortum ex dictis beati Ambros. qui videtur dicere, quòd christus secūdum humanam naturam de Patris potentia dubitauit: quod sic dicit esse intelligendum, non quòd christus dubitauerit inquantum Deus, neque etiam inquantum homo; sed quòd dicatur dubitasse, quia modum gessit dubitantis, & hominibus dubitate videbatur. Vltimò Magister inducit quædam * verba Hylar. quibus videtur dicere, quòd christus non super se timuit, nec pro secūdum se tristatus fuit, nec pro se orauit, sed pro suis. Quæ dicit Magister à lectore piè esse intelligēda. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

Non erat dubitatio in ratione, sed in sensualitate quæ faciebat apparere dubitationem in ratione, erat vera dubitalis.

* *Verba Hyl. sunt intelligenda secundum quod ratio pro se, non pro sensualitate proponebat. sic enim non pro se, sed pro suis orabat: secundum autem quod pro sensualitate proponebat, sic orabat pro se.*

SI CHRISTVS MERVIT sibi, & nobis, & quid sibi, & quid nobis.

DISTINCT. XVIII.

T E X T.

De merito etiam Christi prætermittendum non est: de quo quidam dicere solent quod non sibi, sed mēbris tantùm meruerit, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista decimaoctaua distinctio cum superiori, hunc in modum. cùm enim Magister superiùs egerit de uoluntate Christi patientis: hic agit per ordinem de merito eiusdem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter christus sua passione sibi, & nobis meruerit. In secunda verò subdit, quòd christus non solùm per passionē sed sibi meruerat etiam ab initio suæ conceptionis. In tertia autem, & ultima concludit, quòd Christus, inquantum erat passibilis, & mortalis, non poterat gloriam, & immortalitatem corporis habere sine aliquo merito. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. christus sua benedicta passione sibi, & nobis meruit. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit primò quorundam opinionem dicentium, quod Christus tantùm nobis, & non sibi meruit. Quam opinionem corrigens Magister, dicit, q & sibi, & nobis meruit. Nobis quidem meruit apertionem regni cœlorum, & redemptionem à Diabolo, à peccato, & à pœna pro ipso debita. Sibi verò meruit corporis immortalitatem, claritatem, & impassibilitatem animæ: & hoc per obedientiam, & humilitatem suæ passionis. Ante mortem enim ipsius corpus erat mortale, & anima eius passibilis. Deinde dicit esse quoddam dubium, de quo adhuc non sumus certificati per aliquam auctoritatem. Vtrum, scilicet, anima Christi facta sit, tunc primò impassibilis, quando corpus factum fuit immortale, scilicet, in principio suæ resurrectionis, vt quidam dicunt: vel facta sit impassibilis statim post separationem à corpore in morte crucis, vt alij asserunt, quod à nonnullis communius tenetur, & probabilius appaiet. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Christus in principio suæ conceptionis tantùm gradum meriti sibi acquisiuit, quòd ad vlteriorem gradum meriti proficere non potuit.

Cuius

Cuius quidem conclusionis sententiam Magister ponens, dicit, Christum ista (scilicet prædicta) meruisse, non solùm per suam passionem, sed ipsa meruerat ab initio suæ conceptionis. Et hoc propter plenitudinem gratiæ, & virtutû in quibus proficere non potuit. Vndè infert, quòd post initium conceptionis solùm profecit quantum ad numerum meritorum, quia multipliciter idem meruit, quod ante meruerat: sed non profecit quantum ad efficaciam, seu uirtutem merêdi. Infert etiam ex dictis, quòd licèt anima Christi aliquid habuerit post mortem corporis, quod ante non habuerit, puta, impassibilitatem, & similia: non tamen potest dici simpliciter, & absoluté beatior post mortem corporis, quàm ante; sed solùm quantum ad aliquid, scilicet inquantum post mortem immunis ab omni miseria extitit. Et subdit, quòd Christus non tantùm sibi sui meruit corporis immortalitatem, & suæ animæ impassibilitatem; sed et hanc honorificentiam, scilicet, quòd vocetur Deus, quod nomen etiam ante mortem habuit. In quantum quidem est Deus, habuit ipsum ab æterno per naturam. In quantû quidem est factus homo, habuit ex tempore per gratiam vnionis. Et hoc licèt fuerit Datum Christo statim quando factus est homo, tamen manifestatum est post passionem suam in resurrectione: & ideò dicitur tunc hoc nomê fuisse sibi datum, quia res dicitur fieri, quando innotescit, non obstante quòd prius extiterit. Postea Magister soluit quandam controuersiam, quę videtur esse inter sanctos, scilicet Aug. & Ambr. de illius nominis donatione. Nam beatus Amb. dicit illud nomen esse donatum Deo. Beat. Aug. verò dicit illud esse Donatum homini. Quod discutiens Magister, dicit, quòd beatus Ambr. intelligit de donatione naturali, non habendo respectum ad humanam naturam. Beatus Aug. autem intelligit de donatione gratuita, quæ respicit naturam humanam. Præterea dictum Ambr intelligendum est de generatione æterna, Dictum verò Aug. de assumptione temporali. Et sic patet eos sibi mutuo non esse contrarios; Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Christus

flus existens passibilis, gloriam tam animæ, quàm corporis sine omni merito habere non potuit. Quam quidem cõclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum Christus sine aliquo merito potuisset habuisse prædictã nominis manifestationem, animæ impassibilitatem, & corporis immortalitatem. Et respondet, quòd potuisset talem naturam assumpsisse, qualis post resurrectionem fuit, potuit etiam nomen suum aliter manifestasse. Non tamen potuit esse homo passibilis, & ad illam gloriam sine omni meritò peruenire: quia quamuis potuisset peruenire ad illam sine merito passionis, non tamen sine gratia, & virtutibus ad merendũ sufficientibus. Et hoc etiam ideò est, quia non decuit, quòd haberet illam sine meritò. Vltimò subdit, quòd non obstante, quòd gratia, & virtutes Christi sufficerent ad merendũ sibi prædicta; pati tamen voluit, vt nobis esset exemplum, & gloriæ causa, & vt nos redimeret à peccatis, à Diabolo, & à pœna, regniq; cœlestis ianuam aperiret. Quomodo autem per mortem suam regnum illud aperuerit, ostendit auctoritate Ambr. dicentis, quòd sic Deus decreuit ex ordine suæ sapientiæ, & iustitiæ, vt homo ad paradisum non rediret, nisi per christum, qui amplius humiliatus est passionem gustando, quàm primus homo transgressus fuit superbiendo. Et quamuis Deus aliter redemisse potuerit, tamen iste redemptionis modus videtur fuisse congruentior cæteris redimendi modis. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

HIC QVALITER A DIAbolo, & à peccato nos redemit per mortem.

DISTINCT. XIX.

TEXT.

Nunc ergo quæramus, quomodo per mortem ipsius à Dia-

à Diabolo, & à peccato, & à pęna redempti sumus. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decimanona distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs determinauerit de merito passionis Christi, secundum quod ordinatur ad consecutionem boni, tam sibi, quàm nobis: hic modò de eodem agit secundum quòd ordinatur ad remotionem mali nostri. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter sua morte Christus nos à culpa pœna, & Diabolo redemerit. In secunda verò ostendit, qualiter tota Trinitas propter cõmunem usum potestatis dicatur redemisse, licèt simpliciter, & propriè nomen redemptoris Christo conueniat. In tertia autem, & ultima ostendit, qualiter mediatoris officium solus Christus habuerit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Christus acerba suæ mortis passione redemit nos à culpa, à pœna, & à uinculis captiuitatis Diabolicæ. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit, quòd per Christi mortem liberati sumus ab omni malo tam culpæ, quàm pęnæ, & etiam à Diaboli potestate. Et hoc probat per triplicem modum, quo Christus nos per suam mortẽ iustificauit. Primò enim iustificauit nos in charitate in morte sua ostensa, nos ad Charitatem prouocando, per quam iustificamur, à peccato liberamur, & per consequens à Diabolo eripimur, qui per peccatum uinctus nos tenebat. Secundò iustificauit nos per mortem suam, inquantum per fidem mortis eius à peccatis mundamur, & iustificamur: nam sicut olim aspicientes serpentem æneum in ligno erectum, à serpentum morsu saluabantur: sic si erecto fidei intuitu christũ aspexerimus, qui pro nobis in ligno pependit, à peccatis saluabimur, & à Diabolo liberabimur. Tertiò iustificauit nos sua morte, quia in morte se offerens uerum sacrificium,

omnium

omnium nostrum culpam destruxit, per quam nos Diabolus ligatos tenebat, & eius potentiam in tantum debilitauit, quòd licet tentari possimus, non tamen nisi spontè superari possumus. Quod patet in beato Petro, qui ante mortem Christi ad vocem ancillæ ipsum negauit. Postea verò ante Reges, & principes deductus, non timuit ipsum confiteri. Quod p plures auctoritates, & parabolas Euang. de forti armato ostendit. Postea ostendit, qualiter nos christus sua morte à Diabolo liberauerit, dicens, quòd Deus factus est homo, vt per mortem eius Diabolum vinceret, qui ante hoīem superauerat. Et sic non violenter, sed iustè eum vicit, vincendo in illa natura, quam ipse prius superauerat postea dicit, quod Christus nos à pœna æterna, & temporali liberauit, siue redemit. Ab æterna quidem relaxando debitum, nam ad pœnam æternā non astringimur, nisi per culpam, cùm ergo Christus sua morte destruxerit culpam, consequens est, quòd etiam destruxerit pœnam pro ipsa debitam, scilicet, æternam. A temporali etiam nos liberauit infundēdo gratiam. Addit etiam, q pœnam peccatorum nostrorum portauit in corpore suo, quia omnis pœna, quæ debetur homini pro peccatis, deletur in baptismo totaliter, & in pœnitentia diminuitur. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis tota Trinitas possit dici nos redemisse propter cōmunem vsum potestatis, non tamen ita specialiter dicitur nos redemisse, sicuti filius secūdum humanam naturam fecit per effectum humilitatis. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit quòd propter causam liberationis à peccato, & à Diabolo, Christus potest dici verè redemptor totius humani generis: & hoc inquantū est Deus, & inquantum est homo. Inquantū Deus quidem propter vsum potestatis remissionis peccatorum, qui sibi cum patre, & Spiritusancto communis est. Propter quem cōmunem potestatis vsum tota Trinitas redemptor dicitur. Inquantum autem homo, dicitur Christus redemptor propter exhibitionem obedientiæ, & humilitatis. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratio-

ne autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Christus humani generis redemptor, dicitur esse vnus solus Dei, & hominum mediator. Quam ponēs Magister, dicit, quod solus Cristus dicitur mediator Dei, & hominum inquantum, si nos Deo reconciliauit, delendo peccata, quibus Deus offenditur, & homo inimicus Dei constituitur. Postea quærit, cùm tota Trinitas peccata deleat, quare solus filius dicitur mediator, & non tota Trinitas potius? Et respondet, quòd hoc est ideo, quia quamuis tota Trinitas peccata deleat vsu potestatis, & per consequens reconciliet nos sibi, solus tamen filius dicitur mediator, quia medius est inter Deum, & hominem; & secundum humanitatem illa opera in se suscepit, quorum fide, & imitatione reconciliamur Deo: & secundum quam naturam, habuit aliquid commune ipsi Deo, scilicet iustitiam, & aliquid commune hominibus, scilicet moralitatem, quæ mediatori conueniunt. Vnde concludit quòd Christus dicitur mediator inquantum homo. Ex quo confunditur error dicentium in Christo esse tantùm vnam naturam, vt facile videre est in littera. Et hæc de hac dist. dicta sufficiant.

QVOD ALIO MODO POtuit Deus liberare hominem, & quare potius isto.

DISTINCT. XX.

TEXT.

Si verò quæritur, Vtrum alio modo posset Deus hominem liberare, quàm per mortem Christi? &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesima distinctio cum superiori, hūc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de passione christi, in quantum est malorum nostrorum remotiua: hic modo singulariter agit de eius congruentia. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter fuerit magis congruum hominem per Christi mortem liberari, quàm alio modo, scilicet, per omnipotentiam Dei. In secunda verò ostendit, quòd causa efficiens passionis Christi, & per cōsequens nostræ redēptionis fuit Christus, & aliquo modo etiam fuerunt Iudæi. In tertia autem, & vltima subdit, qualiter Iudęi occidendo Christum respectu diuersorū fecerint bonum, & malum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quanuis Deus alio modo potuisset hominē quàm per Christi mortem redimisse, scilicet, per omnipotentiam; modus tamen fiēdi per mortem christi, maiorem habuit congruentiam. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum Deus per aliū modum potuerit genus humanum redemisse, quàm per mortem christi. Et respondet quòd sic, sed iste modus, quo liberauit ipsum fuit congruentior. Quod ostendit ex duobus. Primò ex nostra necessitate. Nam per hoc, quòd nos redemit ꝑ mortem filij sui, mens nostra in Deum magis dirigitur, & ad ipsius amorem magis excitatur. Secūdò idem ostendit ex Dei iustitia, Nam Deus iustè permisit hominem à diabolo tentari, & consequenter vinci (quanuis Deus hoc non fecerit, aut fieri iusserit.) cùm igitur non videatur cōgruum, quòd Deus per potentiam hoc infringeret, quod iustitia mediante permisit; conuenientius apparet, quòd Diabolum in assumpta humanitate superaret, quàm quòd alio modo, (videlicet per potentiam) hominem de ipsius manu liberaret. Qualiter autem per iustitiam hominem de ipsius manu liberauerit, hoc declarat, dicens, quòd quia diabolus procurauit Christum occidi, in quo nulla causa mortis re-

perta fuit, ideò iustum fuit, vt Diabolus suam perderet potestatem in omnes in Christum credentes. Et licèt Diabolus potuerit vinci per potentiã, (vt dictum est) magis tamen decuit, vt per iustitiam vinceretur, quia ipse est impugnator iustitiæ. Et subdit, quòd si Deus per potentiam, & non iustitiam, humanum genus de potestate Diaboli abstulisset, nulli in hoc iniuria illata fuisset; quia ex quo tam homo liberandus, quam Diabolus ipsum tenens, sub Dei potestate erant constituti. Deus solo præcepto sine cuiuscunque iniuria, hominem potuisset de manu Diaboli liberare, potius tamen voluit ipsum per iustitiam liberare propter causas pdictas. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Passionis Christi opus tam Christi, quam Iudęorum existens, est nostræ redemptionis causa efficiens. Quam quidem cõclusionem Magister insinuans, dicit; quòd Christus; qui se obtulit hostiam, & precium redemptionis nostræ, fuit causa efficiens, & auctor nostrę reconciliationis: & hoc quantum ad omnes, quo ad sufficientiam; sed solùm quantum ad electos, quo ad efficatiam; quia non omnes sed solùm electi finalem passionis christi fructum recipiũt. Et subdit, quòd Christus quadrupliciter traditus fuit, scilicet, à patre, à seipso, à Iuda, & à Iudæis. Diuersimodè tamen, quoniam à patre, & à seipso ex charitate: à Iuda autẽ & à Iudæis ex malitia, & iniquitate. Vndè infert, quod passio Christi fuit opus Dei, & Iudæorũ. Dei quidem, quia à Deo volente, & ipso eius auctore facta est. Iudęorum verò, quia ex ipsorum actibus consecuta est. Quod confirmat auctoritate beati Aug. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis Iudæi Christum occidendo, quantum ad opus operatum, bonum fecerit, tamen quantũ ad opus operans pessimè egerunt. Quam quidem conclusionem Magister probans, mouet talem dubium. Cùm passio Christi (vt dictum est) sit opus Dei, & per consequens bonũ, quæritur, an ex hoc etiam opus Iudæ, & Iudęorum, qui eandẽ passionẽ operati sunt, debeat dici bonũ. Et respondet quòd

habito

habito respectu ad opus operatum, scilicet, ad ipsam passionem, operati sunt bonum ipse Iudas, & ipsi Iudæi. Sed habito respectu ad opus operans, scilicet, ad intentionem malã, qua hoc fecerunt, operati sunt malum. Et hæc de hac distinctionem dicta sint satis.

SI IN CHRISTO DIVISIO in morte fuit animæ, vel carnis à Verbo.

DISTINCT. XXI.

TEXT.

Post prædicta considerandum est. Vtrum in morte Christi à Verbo sit separata anima, vel caro. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesima prima distinctio cùm superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egit de sacratissima Christi passione: in hac consequẽter agit de prætiosissima eius morte, quæ consistit in separatione animæ à corpore. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter in passione, & morte Christi humanitas eius non fuerit à deitate, seu Diuinitate soluta, sed solùm per subtractionem protectionis, & defensionis foris destituta. In secunda verò subdit, qualiter Christus dicebatur verè mori, quia anima eius à corpore suo realiter separarabatur. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter respectu diuersorum possit dici, quòd filius Dei sit mortuus, & non mortuus. Pro declaratione

ratione igitur primæ partis;ponitur hæc conclusio. Humanitas Christi non fuit in passione, & morte eius à diuinitate soluta,sed solùm per subtractionē defensionis , & protectionis foris destituta. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit. Vtrum in morte Christi fuerit Diuinitas à carne, vel anima separata. Et respondet , quòd quidam dixerunt , quòd sicut anima in morte à carne separabatur; ita & in morte Deitas à carne separabatur, & anima, vt videre est in littera. Hi suam opinionem probant sic. Quando aliqua vniuntur per medium , recedente medio, recedit & vnio : sed caro Christi vnita fuit Diuinitati mediante anima : cum ergo in morte Christi anima fuerit separata à carne, sequitur & ipsam diuinitatem à carne fuisse separatam. Et confirmant hoc auctorit. Ambr. super illud Psal. Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti: qui dicit de Christo. Clamat homo separationem Diuinitatis moriturus. Vndè apparet, quòd Christus non potuisset mori, nisi fuisset Diuinitas à carne separata, Ad quā rationem respondens Magister, dicit, quòd si ista derelictio, quam Christus in cruce deplanxit, intelligatur facta per separationem diuinitatis, quasi facta sit vnionis solutio, vt ista opinio dicit;sequeretur, quòd Christus adhuc viuens in cruce fuisset homo, & non Deus; patet, quia adhuc viuens in cruce clamabat se derelictum: sed consequēs est falsum : igitur & opinio ex qua sequitur. Vndè sensus auctoritatis B. Ambr. quam inducunt pro se, stat in hoc, quòd Deus Pater Christum hominem dicitur dereliquisse, quia ad tempus exposuit eum potestati, & Dominio eorū ipsum persequētium , itaq; Diuinitas dicitur ab humanitate fuisse separata per subtractionē protectionis , & defensionis , foris ad defensionem, sed in tus non deliquit ad unionem. Et hoc confirmat Magister per figurā veteris testamēti de duobus hircis, quorum vno imolato, alter in desertum mittebatur : per quos quidem hircos intelliguntur in Christo duæ naturæ, quarum vna tempore passionis (scilicet humana) imolata fuit : altera (.i. Deitas) in cœlum abijt, nō loci mutatione, nec vnionis solutione, sed defensionis

fionis subtractionem, quousque ipsius Christi passio consumeretur. postea Magister soluit auctoritaté Athan. (cui innititur opinio contraria) dicentis, quòd ille homo mortuus in cruce, fuit denuò assumptus in resurrectione, quòd verum non esset nisi fuisset in morte depositus, seu à Diuinitate separatus, vt ipsi Dicunt. Et respondẽs Magister, dicit, quòd Athanasius dixit auctoritatem illam cõtra quosdam hereticos, qui negabant Christum resurrexisse, & animam denuo corpori vnitam fuisse. Dicit etiã Magister, Dei filium totum hominem in resurrectione resumpsisse, quia totum depósuerat in morte: quia quanuis diuinitas non fuerit separata nec ab anima, nec à carne in triduo mortis; fuit tamen separata à toto hominem, idest, à coniunctione corporis, & animæ, vt patebit in sequenti distinctione. Et sic Mag. tandem concludit, ꝙ in morte christi nec anima, nec caro fuit à Verbo derelicta, seu separata. Quod concludit pluribus auctoritatibus sanctorũ, quæ patet in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Christus verè moriebatur, quia aĩa eius à corpore separabatur. Quã quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd christus dicitur mortuus, seu passus propter cõmunicationem proprietatum vnius naturæ cum alia propter vnionem in persona. Sicut etiam dicitur mortuus homo, quia caro est mortua: ita Deus dicitur mortuus, quia homo est mortuus, & similiter Deus passus propter carnẽ, & animã Diuinitati unitam, quia vterque dolorem sensit, quamuis tamen Diuinitas fuerit expers cuiuscunque doloris. Christus igitur dicitur mortuus, quia anima eius à carne separata fuit, stante tamen hypostatica vnione: & dicit passus pp carnis, & aĩæ passionẽ. Et sic Magist. cõcludit quod filius Dei, mortuus, & passus fuit, non quia dolorẽ, vel mortem senserit inquãtum Deus, sed quia caro sibi vnita mortua fuit. Et hoc Magister confirmat auctoritatibus sanctorum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Respectu diuersorum, filium Dei, vel Deum mortuum fore apertè cõceditur, & negatur.

Quam Magister ponens, dicit, quòd sanè dici potest: mortuus est Deus, & Deus non est mortuus: & passus est Dei filius, & Dei filius nō est passus. (q̄uis huiusmodi locutio in Magistri nō teneatur cōiter ab omnib.) Quæ ꝓpositiones debent sic exponi .s. ꝙ negatiuę sint veræ secundū Diuinā naturam. Affirmatiuæ verò sint veræ secundum humanamnaturam. Quod confirmat auctoritatem beati Ambros. Et hęc de hac distinct. dicta sufficiant.

SI CHRISTVS IN MORTE fuit homo.

DISTINCT. XXII.

TEXT.

Hic quæritur, Vtrum in illo triduo mortis Christus fuerit homo. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimasecunda distinctio cum superiori, hunc in modum. cùm enim Magister superius egerit de morte Christi: cōsequenter nūc in hac parte agit de quibusdā, quæ sequuntur ex ipsa. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter Christus in triduo mortis suæ fuerit homo. In secunda verò ostendit, qualiter Christus fuerit homo in inferno, & etiam in sepulchro. In tertia aūt, & vltima cōcludit, qualiter Christus ratione diuinæ ꝑsonæ posſit, dici de cœlo venisse, & esse vbique. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis Christus in triduo suæ mortis fuerit homo rōnalis, nō tamen mortalis, vel immortalis. Quam quidē cōclusionem Magister ponēs, (licèt Magister nō teneatur hic communiter ab omnibus)

quæ-

quærit. Verum Christus in triduo suę mortis fuerit homo. Et respondendo ponit primò quorundam opinionem dicentium, quòd non. Quorum una ratio fuit, quia christus in illo triduo mortuus fuit: sed hō mortuus nō est homo; ergo christus in illo triduo non fuit homo. Alia eorum ratio erat ista. Si Christus in illo triduo fuisset homo, vel fuisset mortalis, vel immortalis; nō mortalis, quia iā erat mortuus; nō immortalis, quia solùm post resurrectionem fuit immortalis effectus: ergo Christus in triduo suę mortis nō fuit homo. Istā opinionem Magister retotat, quam tamen moderni tenēt. Vnde subdit Magister opinionē propriam, in qua tamen non tenetur. Et dicit, quòd Christus in illo triduo mortis suæ fuit verus homo, non obstante tamen, quòd fuerit verè mortuus. Pro cuius rōne assignat ipsam inseparabilem vnionē Diuinitatis ad carnem, & animam, quæ per mortem nō fuit soluta. Pro cuius ulteriori declaratione dicit, quòd alia ratione dicitur Deus homo, quàm Petrus, vel Ioānes: quia Deus, vel Dei filius dicitur homo propter assumptionem animę, & carnis tantùm. Cùm igitur illa assumptio in morte soluta nō fuerit, sequitur, quòd etiam in morte Deus fuerit homo. Petrus autem, vel Ioannes propter vnionem carnis, & animæ dicitur homo desinente autem hac in morte vnione, desinit etiam Petrus vel Ioānes esse homo. Christus autem fuit verus homo (vt dicit Magister) propter vnionem Diuinitatis cū anima, & carne; & tamē fuit verè mortuus propter separationem animæ à carne. Ad primam autem obiectionem respondendo, negat consequentiam, quæ fuit, christus fuit verè mortuus, igitur non fuit homo; quia (vt patet ex prædictis) antecedens est verum, & consequens est falsum. Nàm quamuis in Christo fuerit facta diuisio corporis, & animæ, ratione cuius dicebatur mortuus; nō tamen fuit facta solutio vnionis Diuinitatis cum corpore, & anima, ratione cuius dicitur Deus homo. Ad secūdam verò dicit, quòd nec fuit mortalis, nec immortalis. Et subdit, quòd argumentationes licèt locum habeant in creaturis, deficiunt tamen circa fidei substantiam. Quod probat, auctoritate Ambros. dicentis,

Aufer

Auser argumenta, vbi fides quæritur. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis christus inquantum homo, fuerit in sepulchro, & etiam in inferno; non tamen potest dici fuisse vbique, sicuti inquantum Deus. Quam Magister ponens, quærit. Verum in illo triduo christus fuerit homo vbicunque fuerit. Et respondet, quòd non, imò nec modò vbicunque est, homo est. Nam inquantum Deus est, vbique est: non tamen quatenus homo, est ubique: quia nullibi est secundum quòd homo, nisi vbi vnitus est homini. Cùm igitur non sit vbiquè vnitus homini, sequitur ipsum non esse ubique, secundum quòd homo. Vndè sequitur corellariè, quòd christus in sepulchro fuit homo, & etiam in inferno. Fuit homo, quia vtrobiquè fuit secundum humanitatem. In sepulchro quidem secundum carnem, in inferno autem secundum animam. Circa istud postea remouet dubium quoddam. Nam Verbum tantùm vnitum fuit animæ in inferno, in sepulchro verò tantùm carni. Quomodo ergo hic, & ibi potuit dici homo, cùm homo constet ex anima, & corpore. Et respondet quòd licet illa essent separata, tamen quia eadem Diuinitas vtrobique erat vtrobique etiam dicebatur homo. Sed contra istud arguit sic. Si Verbum assumpsisset animam tantùm, vel carnem tantùm, non fuisset homo: cùm igitur in inferno habuerit animam tantùm, & in sepulchro carnem tantùm, sequitur, quòd non fuerit vtrobique homo. Et respondet, quòd Christus verus homo non fuisset, nisi carnem, & animam assumpsisset: sed ex quo post vtriusque assumptionem neutrum illorum à se separauit, vbicunque secundum carnem, vel animam fuit, homo fuit: & per cõsequens in inferno, & in sepulchro fuit homo. Deinde subdit, quòd in illo triduo mortis suæ Christus totus fuit in inferno, & totus in sepulchro; & vbicunque fuit, totus fuit: nam persona christi cùm esset æterna, & indiuisibilis, non erat maior, vel minor quando erat vnita carni, & animæ cõiunctis, quàm cùm erat vnita carni, & animæ diuisis: & per consequens fuit in inferno totus, & in sepulchro totus. Sed tamen

men non erat vtrobiq; totum, nam quanuis Christus dicatur totus Deus, non tamen dicitur totū ū Deus. cuius ratio est, quia genus masculinum refertur ad personam propter distinctionem, quam denotat. Neutrum verò genus propter confusionem, quam denotat, refertur ad naturam. Vnde cum in Christo sit natura humana, non possumus dicere Christum totum Deum, quia natura humana non est Deus: sed benè in masculino christus dicitur totus Deus, quia ista una persona est Deus. Et hæc de secunda parte sufficiãt. pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. christus ratione Diuinæ personæ, potest dici de Cœlo venisse, & esse vbiquè. Quam quidem conclusionē Magister insinuans, quærit. Verum conuenienter dici possit, quòd iste homo, vel filius hominis, (christo denotato) dicatur de cœlo descendisse, & esse vbique, sicut dicitur filius Dei, vel Deus descendisse. Et respondet, quòd si inspiciatur ad vnitatem personæ, in qua sunt vnitæ duæ naturæ, tunc tales propositiones sunt concedendæ. Si uerò respiciatur ad naturas distinctas, sic non concedendæ: quia Christus secundum humanam naturam, nec descendit de cœlo, nec est vbiquè. Et hoc probat auctoritate beati August. ex quo etiam infert corollariè, quòd propter vnitatem illam personæ Christi, Christus, cùm adhuc esset in terris, dicebatur esse in cœlo: & propter eãdem vnitatem dicitur etiã Deus gloriæ crucifixus, quanuis non fuerit crucifixus, nisi secundum humanam naturam. Et sic breuiter epilogat præ determinata, dicens, quòd hæc sufficiant de mysteriis christi incarnati, & passi. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

SI CHRISTVS HABVERIT fidem, & spem, vt charitatem.

DISTIN-

DISTINCT. XIIII.

T E X T.

Cùm verò suprà perhibitum sit Christum plenum gratia fuiße, non est supervacuum inquirere. Utrum fidem, & spem sicut Charitatem habuerit, &c.

E X P O S I T I O.

Connectitur ista vigesimatertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. cùm enim Magister superiùs egerit de christi incarnatione, & de eius passione: hic modo per ordinem determinat de virtutibus, & Donis, quibus christus plenus fuit, & sibi cõiunctos replet. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit Magister quid sit fides. In secunda uerò ostendit, de quibus sit fides materialiter. In tertia autẽ, & vltima ostendit conuenientiam, & differentiam fidei, & spei. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Fides est uirtus, qua creduntur, quæ ad salutem pertinẽt, & non uidentur. Quam quidem conclusionem Magister insinuãs quærit. Vtrum Christus habuerit fidem, & spem sicuti habuit charitatem. Et uidetur Magister dicere quòd sic, quia dato opposito uidetur sequi, quòd christus non habuisset plenitudinem gratiarum, quòd est contra prædicta. Pro cuius euidentia Magister ponit primò fidei definitionem, dicens, quòd est virtus qua creduntur, quæ non uidentur, scilicet, ad religionem Christianam pertinentia. consequẽ

ter declarat membra prædictæ definitionis. Et primò illud quod est virtus, dicens, quòd fides tripliciter accipi potest. Primò pro habitu charitate informato, cuiusmodi est habitus fidei in viris iustis, & bonis. Secundo accipitur pro habitu non informato charitate, cuiusmodi est habitus fidei in malis, & iniustis hominibus. Tertio accipitur fides pro ipso credibili, scilicet, pro obiecto; nam obiectum fidei quandoquè vocatur fides, sicut in symbolo dicitur, Hæc est fides chatolica, &c. Hoc stāte Magister dicit, quòd fides sumpta pro credibili, non est virtus, de qua loquitur in prædicta definitione: eo quòd illa non sit virtus mētis, sed magis constat in ipsis rebus, quæ creduntur. Nequè fides informis est virtus, quia quamuis illa sit habitus in mente subiectus, tamen quia est mortua, ideò non est virtus, de qua nūc loquitur. Sed tantum fides formata, quę est habitus per dilectionem operans, est uirtus, de qua loquitur, eoquòd illa habitat in nobis. Postea declarat aliud membrum definitionis. scilicet, qua creduntur, quæ non videntur, dicens, quòd aliud est credere Deum, & aliud credere Deo, & aliud credere in Deum. Nam credere Deum, est credere ipsum esse Deum. Credere verò Deo, est credere ea esse vera quæ Deus dicit. Credere autem in Deum, est credendo in Deum per bona opera, ire vel ei per amorē inhærere. Primis duobus modis credūt mali, & dæmones, sed tertio modo solùm sancti, & boni homines: quia isto tertio modo credere, est fidem formatam habere. Insuper fides, quam Dæmones, & mali homines habent, qualitas mētis est, sed informis: & tamen est Donū Dei, quia mali etiam quędam Dei Dona habent. Istis præmissis Magister remouet quasdam dubitationes, quarum prima est hęc. Signetur aliquis, qui habeat fidem informē, & incipiat haberet Charitatem. Dubitari potest, an fides, quæ prius fuit informis, maneat in eo, & efficiatur virtus an illa depulsa succedat alia, quæ est fides, & virtus formata. Et respondens, dicit, quòd quamuis vtrunque dici possit, tamen videtur dicendum, quòd illa quæ prius fuit informis, remaneat, & per Charitatis aduentum forma fiat.

Secunda

Secunda dubitatio est hæc, cùm suprà determinatam sit fidem tripliciter distingui, dubitari posset, an esset tantùm vna fides tenenda, vel plures. Et respondet, quòd tantùm vna fides est secundum Apostol. confitenda, siue fides capiatur pro credibili, siue pro habitu. Nam fides sumpta pro ipso credibili vna est, quia vnum, & idem omnes credere præcipimur. Sumpta autem pro habitu, quo creditur, iterum vna est in omnibus credentibus, non numero, sed specie, vel similitudine, sicut plurium hominum idem volentiũ dicitur vna esse uolũtas. Et hæc de prima parte sufficiat. Pro declaratione verò secũdæ par. ponitur ista alia cõclus. Quamuis fides materialiter sit de his, q̃ non apparẽt, (i. q̃ excedunt cognitionem naturalem) tamen quòd ipsa sit in nobis, possumus videre per notitiam intellectualem. Quã quidem conclusionem Magister insinuans, ostendit de quo sit fides materialiter, dicens, fidem materialiter esse de nõ apparentibus, vt dicit Paulus Apost. Hoc probat etiam auctoritate beati Aug. dicentis, quòd licèt videre non possumus, quæ credimus, ipsam tamen fidem, qua credimus, in nobis videmus, non visione corporali, vel imaginaria, aut similitudinaria, sed intellectuali, per quam cognoscimus ipsam esse eorum, quæ non videntur. Postea confirmat mẽtum suum, scilicet, quòd fides sit de non apparentibus per Apostolum dicẽtem, quòd fides est substancia sperandarũ rerum argumentum non apparentium. Dicit substantia sperandarum rerum, quia ea, quæ speramus subsistunt in nobis solùm per fidem, sed in futuro subsistent per experiẽtiam. Dicit postea argumentum non apparentium, quia ea, quæ creduntur non aliter probantur, quàm per fidem. Potest etiam dici, fides est substancia rerum sperandarum eo quòd fides sit imutabile omnium bonorum fundamentum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Quamuis inter fidem, & spem sit aliqua conuenientia, inter eas tamen est maxima differentia. Quam ponens Magister, quærit. Vtrum ista definitio fidei, quam ponit Apost. conueniat etiam spei. Et respondens Magister; dicit, quòd sane intel-

li-

ligendo, vtrique ipsorum conuenire potest, Non tamen propter hoc fides, & spes sunt vnum, quia licèt conueniant quo ad illud, sunt tamen multa alia, in quibus differunt. Dicit tamen probabiliter posse dici, quòd conueniat soli fidei, & non spei: eo quòd sola fides sit substantia, & fundamentum omnium virtutum, & bonorum operum; quod probat auctoritate beati Aug. quam postea declarans, dicit, quòd quamuis fides dicatur fundamentum omnium virtutum, & bonorum operum: non tamen fundamentum est charitatis, eo quòd non fides charitatis, sed charitas fidei sit causa, cùm sit omnium virtutum mater, & summa. Et si obijceretur contra illud, dicendo, quòd fides sit causa charitatis; cùm nullus possit amare, quod non credit. R. spondeti potest, quòd fides informis, quæ, videlicet, non est virtus charitatem præcedit. Vel quòd actus fidei præcedat actum charitatis, & si non tempore, saltem natura, vt in littera uidere est. Et hæc de tertia, & ultima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

QVOMODO INTELLIGItur, quod scriptum est, vt cùm factum fuerit credatis.

DISTINCT. XXIIII.

T E X T.

Hic quæritur, si fides tantùm de non visis est, quomodo veritas Apostolis ait. Nunc dico vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimaquarta distinctio cum superiori hûc in modû. Cum.n.Mag. superiûs egerit de fide secundû se: agit cõsequenter hic de ea, in cõparatione ad ea, quæ creduntur. Diuiditur presens dist. in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter fides sit de non visis absentibus. In secunda verò subdit, qualiter non sit de uisis presentibus. In tertia autem, & ultima ostendit qualiter fides non sit de omninò incognitis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Fides virtus theologica est de non visis absentibus. Quam quidem conclusionem Magister ponens, quærit. Quomodo fides sit de non uisis, cùm ipsa veritas dicat. Nunc dico uobis priusquam fiat, vt cum factû fuerit credatis. Ex quo videtur sequi quòd fides sit de visis, seu de factis præteritis. Et respondet, quod quamuis fides propriè sit de non uisis, tamen quandoquè largè nos credere dicimur etiam quæ videmus, seu vidimus, secundum quem modum loquitur Christus in Euangelio, sed illa fides, qua creduntur quæ videntur, non est fides, de qua hic agitur, quæ propriè est de non apparentibus. Deinde obijcit auctoritate beati Aug dicentis, ꝙ fides est de rebus presentibus, f. quando in patria videmus Deû, seu uidebimus ipsum. Ad quam obiectionẽ respõdet, quòd fides non accipitur ibi ab Aug. pro fide, quæ est habitus, quo creditur, sed magis pro mercede fidei, quã in patria habebimus. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia cõclusio. Fides theologica virtus, non dicitur esse de visis præsentibus. Quam quidem conclusionẽ Magister insinuãs quærit. Verum Petrus habuerit, vel habere potuerit fidem passionis Christi, quam vidit præsentem. Et respondet quòd Petrus habuit, vel habere potuit fidem passionis Christi, non quidem ex hoc, quòd credebat hominem illum pati, quẽ pati videbat; sed in hoc, & ex hoc, quòd hominem illũ, quem pati videbat, Deum esse credebat: sicut & nos fide

illa

illa non meremur, quia credimus hominem crucifixum esse mortuum, quia hoc paganus, Iudæus credit; sed ex hoc meretur, quòd credimus hominem crucifixum esse Deũ. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autẽ tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis vera fides non admittat exteriorem visionis, non tamen omninò excludit interiorem cognitionem. Quam probans Magister, dicit non sine ratione posse quæri. An sicut fides est de non visis, possit etiam esse de non cognitis. Et arguit, quòd non: quia dato quòd sic, tunc fides posset esse de ignoratis, eo quòd incognita ignoretur. Pro cuius euidentia Magister dicit, quòd in nobis est duplex cognitio, seu visio: vna exterior, quæ non pertinet ad fidem; alia interior, & hæc est adhuc duplex: quædam clara, quæ adhuc non pertinet ad fidem: quædam obscura, & de sic cognitis per speculum, videlicet, & in ænigmate est fides. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE FIDE ANTIQVORVM.

DISTINCT. XXV.

T E X T.

Prædictis adijciendum est de sufficientia fidei ad salutem. Illis enim, qui præcesserunt aduentum Christi, & qui sequuntur, videtur profecisse fides secundum temporis processum, sicut profecit cognitio. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimaquinta distinct. cum superiori hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de fide in comparatione de ea, quæ creduntur: consequenter hic agit de ea in comparatione ad credentes, & hoc quo ad quantitatem fidei ipsis credentibus. Dividitur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter fides antiquorum patrum creaverit secundum temporis processum. In secunda verò ostendit, qualiter uirtutes theologicę pro statu huius vitæ æquales sint: In tertia autem, & ultima subdit, qualiter quodammodo Charitas ex fide, & spe oriatur. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur ista conclusio. Fides antiquorum patrū creuit, sicut & cognitio Dei, secundum processum temporis. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit, quòd secundum processum tēporis proficit fides in his, qui erant ante aduentum Christi, & post aduentum, sicut fecit cognitio. Quod determinans, dicit, quòd fides dicitur proficere cognitione, articulorum quantitate, constantia, & deuotione credentium. Et subdit quòd quamuis dicatur profecisse, sunt tamen aliqua ad fidem pertinentia, sine quibus nullo tempore potuit esse salus: cuiusmodi sunt credere Deum esse, & ipsum esse in se sperantium pium remuneratorem. postea mouet quatuor quæstiones ad incrementum fidei pertinentes. Prima est, cùm certum sit, quòd credere tantùm hæc duo iam dicta non sufficeret ad salutem tempore gratię sine alijs articulis cōtentis in symbolo. Vtrum ante Christi aduentum antiquis suffecerit. Et respondet quòd non. Nam ex quo omnes propter peccatum primi parentis erant peccato obligati, nullus ipsorum sine fide Christi mediatoris poterat saluari. Vndè quotquot saluati sunt, fidem Christi habuerunt. Nam eadem fuit fides antiquorum, & nostra, licèt tempora sint mutata, quia sicut nos credimus ipsum passum, ita ipsi crediderunt ipsum passurum, & sic de alijs, quæ nos credimus. Quæ omnia

nia Magister probat auctoritate beati Aug. secũda quæstio est, Quomodo simplices antiqui salui fiebant, eo quòd incarnationis mysterium eis non fuerit reuelatum. Et respondet, quòd nullus vnquam saluatus fuit, cui filii Dei incarnatio aliquo modo non fuerit reuelata. Nam maioribus, sicut Abrahæ, & Moysi, alijsquè maioribus, distinctè, & apertè fuit reuelata. Minoribus verò, & simplicibus, in velamine, & mysterio. Credebant enim ipsi tunc minores, quòd maiores docebant, sicut & modò simplices creduntur, quæ in symbolo fidei continentur, articulos tamen fidei minime distinguere valentes. Tertia quæstio est. Vtrum oporteret antiquos credere de Christo mediatore omnia, quæ nũc credimus. Et respondet, quod quibusdam uidetur, quòd sufficeret eis ad salutem tantùm quatuor credere, scilicet, natiuitatem, mortem, resurrectionem, & aduentum ad iudicium: colligentes hoc ex verbis beati Augu. quæ ponit etiam Magist. in littera. Alijs autẽ (vt dicit Magister) visum fuit, quod cum fide Trinitas sufficeret eis tantùm duo, scilicet, vt filium Dei crederent nasciturum, & eum omnes etiam esse iudicaturũ: sumentes originem suæ opinionis ex hoc, quòd Ioannes Baptista de morte Christi, & de descensu ad inferos dubitasse videtur secundum beatum Gregor. exponentem illud. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Quamuis tamen alij dicant, quòd illa quæstio Ioannis non processerit ex dubitatione, vel ignorantie Ioannis, sed ex affectu pietatis, admirando humilitatem Christi, ac propter vtilitatem discipulorum suorum admodum dubitantis se haberet. Quid autem magis de his duobus sit tenendum Magister non determinat. Quarta quæstio est. Vtrum Cornelius (de quo legitur est. Apost. quod fuerit vir iustus, ac timẽs Deum) habuerit fidem de incarnatione Christi. Et arguit, quod sic, ex hoc, scilicet, quia sine fide incarnationis Christi iustus non fuisset. In oppositum autẽ arguit ex hoc, quòd Petrus fuit ad eum instruẽdum de fide, vt ibidem legitur. Et respondet, quòd fidem habuit de incarnatione christi absolutè ex Dei reuelatione: sed an esset iam completa, vel ad huc futura ignorabat; & sic mittebatur

tur ad eum Petrus, vt ipsam factam sibi nunciaret, & sacramentum regenerationis affirmaret. Vndè etiam per fidē, quam sic implicitè de Iesu Christo habebat, opera ipsius fuerunt à Deo accepta, & orationes exauditæ. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Virtutes theologicæ pro statu huius viæ, æquales sunt intensiuè. Quam conclusionem Magister ponit ex auctoritate beati Gregor. dicentis, quòd fides, spes, & Charitas, & operatio æqualia sunt in præsenti, quæ tamen æqualitas consideranda est secundum intensionem actuum, quia quantum credimus, tātùm speramus, amamus, & operamur. Nec his obstat, quod Apost. dicit, scilicet, quòd Charitas sit maior fide, & spe: quia hoc ideò dicit, quoniam Charitas in patria manet, vbi fides, & spes euacuabuntur. Vel ideò, quia Charitas est mater omnium virtutum. Subdit etiam, quòd quamuis charitas in ordine post fidem, & spem ponatur, hoc non est, quia ex illis oriatur, sed quia illis transeuntibus hæc manet, quia Charitas nunquam excidit. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Charitas, quæ à solo Deo infunditur, quodammodo ex fide, & spe oritur. Quam ponens Magister, obijcit contra prædicta, scilicet, quòd Charitas non est ex fide, & spe, hoc enim suprà dictum fuit. Obijcit, inquam, per Apost. dicentem, quòd finis præcepti sit Charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Quod exponens Aug. dicit Apostolum velle dicere, quòd Charitas ex fide, & spe oriatur. Ad quod respondens Magister dicit, verba illa non sic esse intelligenda, quòd Charitatem, quæ est omnium virtutum mater, fides, & spes precedāt causa, vel tempore: sed quia charitas sine illis esse non potest, & istæ possunt esse sine Charitate, quamuis informes. Vndè quodammodo Charitas dicitur ex fide, & spe oriri. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE

DE SPE QVID SIT.

DISTINCT. XXVI.

TEXT.

Est autem spes virtus, qua spiritualia, & æterna bona sperantur. i. cum fiducia expectantur. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesima sexta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister suprà egerit de fide: consequenter in hac agit de spe. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister declarat quid sit spes. In secunda verò subdit, qualiter ea sit de non visis, sicuti & fides. In tertia & vltima ostendit qualiter in Christo non fuerint fides, & spes, inquantum sunt virtutes. Pro declaratione itaquè primæ partis, ponitur hęc conclusio. Spes, quæ virtus theologica dicitur, hic à Magistro dupliciter describitur. Quam quidem cõclusionem Magister insinuans, ponit duplicem spei descriptionẽ. Quarũ prima sumitur ex comparatione ipsius spei ad suum obiectum tantùm, & est ista. Spes est virtus, qua spiritualia, & æterna bona sperantur, i. cum fiducia expectantur. Secunda verò sumitur per comparationem ipsius spei ad ipsum suũ obiectum, actum, & principium, quæ est completior, quàm prima, & est ista. Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis proueniens ex gratia Dei, & ex meritis præcedentibus ipsam rem speratam. Nam sine gratia Dei, & merito, vel saltem sine merendi proposito expectare futuram beatitudinem, non est spes, sed præsumptio dici potest. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio:

Spes, sicut & fides, est de rebus non visis. Quam ponés Magister, dicit quòd spes propriè est de rebus non visis, sicut & fides est huiusmodi, vt supra patuit. Quoniam esse de non visis, est vtrique ipsarum communem, differenter tamen. Nam fides est de non visis inquantùm sunt visibilia, Spes verò inquantum sunt non habita. Differunt etiam nõ solùm vocaliter, sed etiam realiter. Primò quod, hoc, quòd fides est indifferenter de bonis, & malis. Spes autem de bonis tantùm. Secundò quo ad hoc, quòd fides est tam de præteritis, quam de præsentibus, quàm etiam de futuris. Spes autem tantùm de futuris. Terciò differunt, quod ad hoc quòd fides est de rebus suis, (scilicet, pertinentibus ad ipsum credentem) & alienis (i. non pertinentibus ad ipsum.) Sed spes est tantùm de rebus ad ipsum sperantem pertinentibus. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratio autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Christus in hac vita fide, & spes caruit, eo quòd omnia clarè vidit. Quam Magister insinuãs, quærit. Vtrũ in Christo fuerint fides, & spes. Et respondens, inquit, quòd, inquantũ sunt uirtutes, non fuerũt in Christo, sicut etiã nõ sunt in beatis, qui quamuis credant, & sperent, non tamen in eis est fides, & spes, quæ sunt virtutes, quia ipsi Deũ per speciẽ vident; & in ipso clarè quæ cõceduntur, & sperantur intuẽtur. Cũ igitur Christus non ænigmaticã, sed claram habuerit omniũ cognitionẽ, consequens est ipsum nec fidem, nec spem habuisse. Deindè subdit, quód antiqui partes qui apud inferos erant ante passionem Christi, fidẽ, & spem habuerint, & propriè pro vt sunt virtutes, & habitus quidam, quæ postea euacuatæ fuerunt in eis per aduentum Christi, in quo habuerunt perfectã visionem, & claram. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE CHARITATE QVA diligitur Deus, & proximus, quæ in Christo, & in nobis est.

DISTINCT. XXVII.

TEXT.

Cum autem Christus fidem, & spem non habuerit, dilectionem tamen habuit inquantum homo, tantam, qua maior esse non valet, &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista vigesima septima distinctio cum superiori, hunc in modum, cùm enim Magister superiùs egerit de spe: hic consequenter agit de charitate. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit quid sit Charitas. In secunda verò subdit, qualiter sit vna dilectio, qua, scilicet, diligimus Deum, & proximum. In tertia autem, & vltima ostendit modum diligendi. Pro declaratione itaquè primæ partis, ponitur ista cóclusio. Charitas dilectio dicitur, qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quod licèt Christus fidé, & spem non habuerit, (vt dicunt est in fine præcedentis distinctionis) habuit tamen, inquantum homo tamen Charitatem, qua maior esse non potest: quod patuit in hoc, quòd animam suam pro nobis posuit, in quo facto ad diligendum nos instruxit, & exemplum dedit. De charitate autem quid sit, & de modo, & de ordine diligendi Deum, & proximum iam restat inquirendum. Vndè consequenter charitatem

 descri-

describens, dicit, charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. Et continet duo mandata quorum primum est diligere Deum, & aliquid diligere proximum. In quibus præceptis tota lex pendet, & prophetæ. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Tantum vna est dilectio, qua Deus, & proximus diliguntur, licèt propter diuersa dilecta secundum diuersos dilectionis motus geminetur. Quam quidem Magister ponens, quærit. Vtrùm vna, & eadem sit dilectio, qua diligimus Deum, & proximum vel diuersæ. Et respondet, quòd eadem est dilectio, sed distinguitur quo ad hoc, quia Deum diligimus propter se, & proximum propter Deum. Et hoc confirmat auctoritate beati Aug. Et subdit, quòd quamuis vna dicatur dilectio, geminatur tamen propter duo dilecta, scilicet, Deum, & proximum; propter quod etiam sunt duo dilectionis mandata, nam licèt sit una dilectio, diuersa tamen diligere præcipimur. Vel dicitur gemina propter duos motus dilectionis, qui in mente geruntur, scilicet, ad Deum, & proximum diligendum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Sicuti charitas, qua diligimus Deum, & proximum, nobis commendatur: ita nobis diligentibus certus modus diligendi præscribitur. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd modus, quo diligere debemus proximum propter Deum, tangitur in scriptura, cùm dicitur. Diliges proximum tuum sicut teipsum, i. eodem modò diligere debes proximum. Modus autem dilectionis Dei exprimitur cùm dicitur. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, i. intellectu: & ex tota anima tua, i. voluntate: & ex tota mente, i. memoria: ita vt omnem cogitationem, omnem vitam, vel motum, & omnem intellectum ad ipsum referas, à quo omnia prædicta habes. Et subdit, quod iste modus dilectionis Dei non pôt impleri in via ex toto, sed in parte; quia sicut in via imperfectè, & ex parte Deum cognoscimus, sic etiam imperfectè, & ex parte eum diligimus. Quod probat per hoc, quod in præsenti per rebel-

lionem

sionem carnis ad spiritum impedimur à perfecta dilectione quæ rebellio, quia in patria non erit, ideò perfectè ibi eũ diligemus. Vndè quærit consequenter, ex quo mandatum de dilectione Dei in præsenti non possit impleri, cur tunc datum est ipsis viatoribus? Et respondet per simile, quòd sicut nullus sciret rectè currere, nisi sciret, quo currendum esset: sic nec Deus diligi sciretur, nisi dilectio per præceptum aliquod ostenderetur, & quamuis præceptum illud in via totaliter impleri non ualeat, tamen impleri potest ex parte, scilicet, secundum perfectionem viæ, seu viatoris. Deindè subiungit, quòd prædicta duo charitatis præcepta, sic sunt connexa, quòd vnum sæpè pro vtroque ponitur: & hoc non immeritò, cùm Deus sine proximo, & proximus sine Deo diligi non possit. Nam qui Deum diligit, non contemnit proximum, quem Deus diligit, & qui proximum diligit, nihil in eo diligis nisi Deum, vt ostendit Magister in littera exemplo, & auctoritate. Vltimò continuat se ad dicenda, dicens, inquirẽdum esse post, quæ ex charitate diligenda sunt. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

SI ILLO PRÆCEPTO IVbemur diligere totum proximum, & nos totos.

DISTINCT. XXVIII.

TEXT.

Hic potest quæri. Vtrum in illo mandato dilectionis proximi totum proximum, idest, animã, et corpus, nosque ipsos totos diligere præcipiamur. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimaoctaua distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de charitate secundum se: hic consequenter, agit

agit de numero diligendorum. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter sub dilectione proximi totus homo. In secunda verò subdit, qualiter præceptum de dilectione proximi, se extendat etiam ad dilectionem Angelorum. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter hoc nomen proximus diuersimodè accipiatur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. De dilectione corporis, & animæ proximi, non sunt distinctè data duo spiritualia mandata. Quam quidem conclusioné Magister insinuás, quærit, Vtrum in mandato dilectionis proximi, totū proximum, s. animam, & corpus ipsius diligere pcipiamur. Et respondet, quòd sic, quia in prædictis duobus mandatis, s. dilectionis Dei, & proximi, omne genus rerum diligendarum continetur. Nam secundum beatum Aug. quatuor ex Charitate diligenda sunt, s. Deus, proximus, anima, & corpus. Sed de dilectione animæ, & corporis proprij nó oportebat aliqua præcepta dari, sicut de dilectione Dei, & proximi; eo q cuilibet homini dilectio suipsius, & ét animæ, & corporis sit naturaliter inserta. Nec obstat, quòd martyres se morti exponendo, videantur carnem suam odisse: quoniā non oderunt se, vel carnem suam, sed corporis pondus, & vitia. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Præceptum dilectionis proximorū, etiam extendit se ad dilectioné Angelorum. Quam quidem conclusionem Magister ponens, quærit, Vtrum etiam dilectio Angelorum, sub dilectione proximi contineatur. Et respondendo primò præmittit, q per nomen proximi quilibet homo intelligitur, cui adhibendum est opus misericordiæ, si indiget; sicut patet in parabola semiuiui. Nomen ét proximi ad aliquid est, quia nullus potest esse proximus, nisi proximo, ita quòd proximo ipsi est proximus. Vndè sequitur, quòd non solùm ille cui præbendum est opus misericordiæ, sed etiam ille, à quo beneficiū aliquod recipitur, pximus dicatur. cùm igitur Angeli multa beneficia nobis exhibeant, sequitur ipsos nostros fore proximos, & per cósequens eorum dilectionem

conti-

contineri sub mandato dilectionis Dei, & proximi, & subdit, quòd quamuis proximus dicatur, à quo beneficium recipimus; dilectio tamen Dei, à quo omnia habemus, sub mandato dilectionis proximi non côtinetur; sed speciale præceptum habet, eo quòd debemus Deum pluſquam nosmetipsos diligere, proximum autem sicut nos. Attamen dilectio Christi, in quantum homo, sub mandato dilectionis proximi est, seu continetur quem licèt debeamus pluſquam nos diligere, minus tamen quàm Deum, quia in quantum homo minor est Deo. Et hæc de secûda parte sufficiât. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista côclusio. Proximus dicitur quatuor modis, scilicet, natiuitatis conditione, spe conuersionis beneficij exhibitione, & propinquitate cognationis. Quam ponês Magister, dicit quòd quatuor modis aliqui possunt dici proximi. Vno modo ratione primæ natiuitatis, & sic omnes homines sunt proximi. Alio modo spe conuersionis, sicut omnes fideles, qui sunt, vel qui futuri sunt. Tertio modo propinquitate cognitionis sicut parêtes & consanguinei. Quarto modo ratione beneficij exhibiti, & sic Angeli sunt proximi nostri. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE ORDINE ILIDGENDI quid prius, quid posterius.

DISTINT. XXIX.

TEXT.

Post prædicta, de ordine charitatis agendum est, quia dicit sponsa. Introducit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimanona distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de numero diligendorum: consequenter in hac incipit agere de ordine diligendi respectu ipsorum diligendorum. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter non omnes æqualiter sint diligendi. In secunda verò subdit, qualiter magis diligendi sint extranei boni, quàm propinqui mali. In tertia autem, & vltima concludit, quatuor esse gradus charitatis. Pro declaratione itaquè primæ partis, ponitur hæc conclusio. In Charitatis ordine non omnes æquali affectu, sicut nec effectu sunt diligendi. Quam quidem conclusionē Magister insinuans, dicit, quòd ordo dilectionis in hoc consistit, ut quod est diligendum diligatur, quod non est diligendum non diligatur, quod amplius diligendum, amplius diligatur, & quòd æquè est diligendum, equè, & non minus, nec amplius diligatur. Vndè primò super omnia Deus diligendus est, deindè anima propria, deindè proximus, & vltimò corpus proprium. Istis præmissis, quærit circa dilectionem proximorum. Vtrum teneamur omnes homines æqualiter diligere: & vtrum, sicut nosmetipsos, vel minus, quàm nos. Ad quod respondendo recitat tres opiniones, quarum prima dicit, ꝙ omnes sunt æqualiter diligendi in affectu non tamen in effectu exhibitionis beneficij, nam tenemur magis exhibere beneficia illis, qui nobis magis cōiuncti sunt, non obstante tamen, quòd omnibus debeamus bonum velle affectu interiori. Deinde obijcit per auctoritates, & soluit secundum hanc opinionem. Secunda opinio dicit, quòd omnes, seu omnes proximi sunt non solùm quo ad effectum, sed etiam quo ad effectum æqualiter diligendi, quæ opinio probatur dictis Aug. ut in littera videre est. Tertia opinio, quam Magister magis approbat, dicit, omnes proximos nec æqualiter affectu, nec effectu esse diligēdos: nam cùm ordo sit tam in affectu, quàm etiam in effe-

ctu

quia dilectione proximorum, sequitur etiam, quòd non omnes debeamus aequaliter diligere. Auctoritates autem beati Aug. quae uidentur dicere, quòd omnes debeamus aequaliter diligere, & sicut nosmetipsos; tales auctoritates dicit, sic esse intelligendum, ut scilicet, aequalitas, de qua loquitur, non referatur ad effectum, uel effectum, sed tantùm ad bonum, quod eis optamus, quia ad tantùm bonum debemus omnes diligere, sicut & nos, non tamen aequali affectu. Et haec de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundae partis, ponitur ista alia conclusio. Boni extranei sunt magis diligendi, quàm propinqui, uel parentes mali. Quam insinuans Magister mouet duas quaestiones, quarũ prima est. Vtrum propinqui mali sint magis diligendi, quã boni extranei. Et respondet, quòd extranei boni sunt magis diligendi, quia corde sunt nobis iuncti per uinculum Charitatis: propinqui autem mali non charitate, sed carne tantùm sunt nobis iuncti: sed quia meliores, & religiosiores sunt copulae animarum, quàm corporum, sequitur propositum, scilicet, quòd extranei boni sint magis diligendi, quàm propinqui mali. Quam tamen quaestionem non plenè absoluit. Secunda dubitatio est. Quare Dominus praecipit diligere inimicos, & alibi praecipit odisse parentes, cùm ista uideantur sibi contraria? Ad quod respondet, ꝙ natura in omnibus diligenda est: undè & homines, si mali sunt diligendi sunt, ut conuertantur ad bonum. Vitium autem econtra in omnibus odiendum, & in parentibus, & propinquis. Vndè Dominus praecepit naturam diligendam in inimico, uitium uerò odiendum in parentibus, & per consequens ibi nulla est contradictio. Et haec de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autẽ tertiç partis, ponitur haec conclusio. Ex dictis beati Augu. elicitur euidenter satis quatuor fore gradus ipsius Charitatis. Quam Magister insinuans, ponit ordinem dilectionis secundum diuersos gradus Charitatis, quos distinguens, dicit, esse charitatem incipientem, proficientem, perfectam, & perfectissimam. Quod declarat auctoritate beati Aug. quae patet in textu. Et haec de hac dist. dicta sufficiant.

SI MEe

SI MELIVS EST DILIGERE amicos, quàm inimicos, vel econuerso.

DISTINCT. XXX.

TEXT.

Hic solet quæri, quid potius sit pluris&que meriti diligere amicos, an diligere inimicos? &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima distinctio cum superiori, hoc modo, Cùm enim Magister superius egerit de ordine charitatis secundum quantitatem motus: consequenter hic agit de ea secundum quantitatem meriti. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter dilectio amicorum sit magis meritoria, quàm inimicorum. In secunda verò videtur dicere contrarium, nempè, quòd dilectio inimicorum sit melior dilectione amicorum. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter charitas possit stare cum dilectione inimicorum imperfecta. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Magis meritoria est dilectio, qua amicus diligitur, quàm qua inimicus diligitur. Quam conclusionem Magister insinuans, quærit, Vtrum diligere amicum sit maioris meriti, quàm diligere inimicum. Et soluendo quæstionem dicit, quòd si fiat comparatio dilectionis amici per se ex vna parte, ad dilectionem amici, & inimici simul ex alia parte, tunc plana est quæstionis solutio, cùm non sit dubium, quin diligere amicum, & inimicum

simul,

simul, sit maioris meriti, quàm diligere amicum tantùm. Sed si hæc comparatio dilectionis amici ex una parte, ad dilectionem inimici ex alia parte; tunc euidentia responsionis ad quæstionem est magis obscura, quia non potest faciliter videri, an sit idem motus dilectionis, quo diligitur amicus & inimicus, vel sit alius, & alius. Sed siue sit vnus, siue duo, non videtur inconuenienter posse dici quòd dilectio amici sit magis meritoria, eo quòd sit maioris feruoris. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Aug. videtur dicere dilectionem, qua inimicus diligitur, quàm qua amicus esse meliorem. Quam quidem conclusionem Magister ponēs, obiicit contra prædicta auctoritate beati Aug. dicentis, quòd diligere inimicum sit magis meritorium, quàm diligere amicum. Quam Aug. auctoritatem dicit esse intelligendā secundum primam partem distinctionis præmissæ, quòd scilicet, Aug. loquitur secūdum comparationē dilectionis amici, & inimici simul, ad dilectionem amici per se præcisè acceptam. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc cōclusio. A Magistro non negatur, quòd alicui sine perfecta dilectione inimicorum peccatū dimittatur. Quam ponēs Magister, mouet quoddam dubium ex verbis beati Augus. qui dicit, quod diligere inimicos non impletur in tāta multitudine, quanta in oratione dominica exauditur. Ex quo videtur, quòd alicui non diligenti inimicum dimittatur peccatum à Deo: & vlteriùs cū peccatum non dimittatur alicui adulto, nisi charitatem habeat, sequitur, quòd aliquis non diligens inimicum habeat Charitatem. Quòd non videtur esse verum, quia cùm præcipitur dilectio proximi, intelligitur nomine proximi omnis homo, siue amicus, siue inimicus, ad qđ dubium Magister respōdendo, dicit, quorundam esse opinionem, quòd aliqui habent charitatem, & tamen non diligunt inimicos. Dicitur enim præceptum de dilectione inimicorum solùm perfectis esse præceptum: imperfectis autem, seu minoribus tantùm esse consilium; ita quòd nihil plus sit eis præceptum, nisi non odisse inimicos. Sed istæ

eximio

opinio Magistro non placet. Ideò aliter respōdendo, dicit, quòd preceptum illud de dilectione inimicorum, sit datū omnibus quasi preceptum. Et ad beatum Augus. dicentē, quòd diligere inimicos sit perfectorum, respondendo, dicit ipsum velle dicere, quòd diligere inimicos Charitate perfecta, sit tantùm perfectorum; per hoc tamen non excluditur, quia alij non dum perfecti inimicos diligere teneatur. Similiter intelligendum est dictum suum quod, scilicet, in oratione dominica aliqui exauditur, qui non diliguntur inimicos, i. qui non diligunt eos Charitate perfecta. Et hæc de tertia, & vltima parte hujus distinct. dicta sufficiant.

SI CHARITAS SEMEL Habita amittatur.

DISTINCT. XXXI.

TEXT.

Illud quoque non est prætereundum, quòd quidem asserunt Charitatem semel habitam ab aliquo non posse excidere, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima prima distinctio cum superioribus, hunc in modum. cùm enim Magister superius egerit de ordine charitatis; hic cōsequenter vult agere de ipsius duratione: Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit Magister, qualiter Charitas in via amici possit, nō autem in patria. In secunda verò ostendit qualiter omnis imperfectio charitatis, quæ sunt in viatoribus est, tolletur à beatis in patria. In tertia asit, & vltima

vltima ostendit, qualiter charitas fuerit hic in via in Christo secundum ordinem beatorum. Pro declaratione itaque primæ partis ponitur hæc conclusio. Charitas, quæ amitti potest in via fide, & spe euacuatis, manet in patria. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, ponit quorundã opinionem dicentium, q Charitas semel habita non possit amitti: & q nullus damnandus possit Charitatem habere. ad probationem allegãt illud Apost. Charitas nunquã excidit:&alias plures auct.q patẽt in textu.Quã opinionẽ Mag. reprobat per hoc,scilicet,quòd quidam ad tempus sunt boni,qui postea efficiũtur mali,& ecõuerso. Sicut et patet per auctoritatem euangelij de quibusdam, quorum nomina Deus dixit esse scripta in libro vitæ; qui tamẽ postea abierunt retrorsum: & dicebãtur scripti esse in libro vitæ, non secundum præscientiam Dei,sed solum secundum præsentẽ iustitiã,seu gratiam,quam tunc habebãt. Et hoc confirmat auctoritate B.Amb. postea soluit diuersas auctoritates,quas aliis pro se allegãt: & dicit eas fore intelligendas de perfecta Charitate quæ semel habita amitti non põt, & non de Charitate incipiente, & proficiente ad auctoritatẽ Apost. dicit ipsam debere intelligi de Charitate secundum finalem eius effectum, nam fides, & spes euacuabuntur, charitas verò manebit etiam in patria. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia cõclusio. Imperfectio Charitatis in via tolletur à beatis in patria.Quam quidem cõclusionẽ Magister ponẽs quærit. Cùm fides, & spes euacuẽtur in patria,eo quòd sint explicitæ, sicuti etiam scientia: quare etiam charitas non dicitur excidere, cùm etiam ipsa sit explicita, idest, imperfecta,scilicet, hic in via. Et respondet,quod Charitas inquãtum est explicita, & imperfecta euacuabitur in patria, quia tunc omnis imperfectio tolletur ab ea; & ipsa manebit quantum ad habitum, & quantum ad actum. Fides autẽ, & spes tollentur tam secundũ habitum, quam secundum actũ, sed scientia manebit secundum essentiam, destruetur verò secundum actum, & modum, quem nunc habet,.s. discursum rationis, & modum intelligendi cum Phantasmate.

mate. Et hæc de secūda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hęc cōclusio. Christus secundū quòd homo, in via ordinem Charitatis talem seruauit, qualem habēt beati in patria. Quam Magister insinuās, quærit, Vtrum Christus, inquātum homo seruauerit supradictum ordinem charitatis. Et arguit quòd non, quia dato quòd sic, tunc omnes homines, sicut seipsum dilexisset; & sic oēs saluos fieri voluisset: cum igitur nō omnes salui facti sint, videtur sequi, ꝙ Christus aliquid optauerit, quod tamen factū non sit; quòd videtur inconueniens. Vndè patet, quòd non seruauerit supra dictū ordinē charitatis. Et respōdens, dicit, ꝙ Christus, inquantum homo, seruauit semper ordinem charitatis, qui seruatur in patria, & non illum, qui seruatur in via; & sic confirmat solutionem argumēti. Nam beati in patria, ita sunt uoluntati diuinæ conformes, ꝙ nihil eis placet, nisi qđ deo placet: & per cōsequēs illos tantùm diligunt; sicut seipsos, quos vult Deus effectiuè saluos fieri. Ex quo patet, quòd christus tantùm electos, sicut se dilexit, & salutem eorum optauit, & uoluit saluari solùm illos, quos sciebat Deum uelle saluari. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE CHARITATE DEI.

DISTINCT. XXXII.

TEXT.

Præmissis adijciendum est de dilectione Dei, quæ ipse diligit nos: quæ non est alia, quàm illa, qua diligimus eum, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimasecunda distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de dilectione creata, qua Deum diligimus: hic modò agit de dilectione increata, qua Deus diligit nos. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter eadem sit dilectio, qua nos Deum diligimus, & ipse nos. In secunda verò subdit, dilectionem Dei in se non suscipere magis, & minus. In tertia autem, & ultima ostendit, qualiter Deus simpliciter ab æterno non dilexerit ipsos reprobos. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Secundum Magistrum (licèt non teneatur) eadem est dilectio, qua nos diligimus Deum, & qua ipse diligit nos. Quam quidem ponens Magister dicit, quòd eadem est dilectio, qua Pater, & Filius, & Spiritussanctus se diligunt, & nos, & est diuina essentia, & quòd eadem est dilectio, qua nos diligimus Deũ, ut in primo libro distinct. 17. dictum fuit. In qua opinione Magister non tenetur, sicuti nec in primo loco citato. Et subdit, quòd quamuis dilectio Dei sit immutabilis, & æterna, alium tamen magis, & alium minus diligit. Et diligit omnes creaturas; & inter omnes, magis diligit creaturas rationales; & inter creaturas rationales, magis diligit vnigeniti sui membra, & multo magis diligit ipsum unigenitũ, scilicet, Christum secundum, ꝙ homo. Ista autem inæqualitas dilectionis, non dicit aliquam mutationem in dilectione Dei, quia Deus non aliter dicitur inæqualiter diligere, nisi quia ad bona inæqualia eas diligit. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Dilectio Dei non suscipit magis, & minus secundum essentiam, sed tantùm secundum distributionem, & efficienciam. Quam Magister insinuans, supponit dilectionem, qua nos diligit Deus secundum se non suscipere magis, & minus. Quod declarans, dicit, quòd dilectio, qua Deus diligit nos, potest dupliciter considerari.

Supra in primo lib. distin. 17.

ri. Vno modo secundum essentiam ipsius dilectionis, & sic considerata non suscipit magis, & minus. Alio modo secundum efficientium: & sic suscipit magis, & minus. Ita quòd magis dilecti dicantur, quibus maius bonum ex dilectione suà Deus ab æterno præparauit, & in tempore tribuit. Vndè sumens occasionem, quærit, Vtrum vnus, & idem homo possit à Deo magis diligi vno tempore, quàm alio. Et respondet, quòd loquendo de eius dilectione essentiali non potest. Sed loquendo de eius dilectione effectuali benè potest. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Simpliciter loquendo, Deus non dilexit reprobos ab æterno. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum Deus dilexerit reprobos ab æterno, hoc est, illos, qui non ad vitam, sed ad mortem sunt præparati. Et respondet, quòd sicut de electis simpliciter est concedendum, quòd eos ab æterno dilexit: sic de reprobis simpliciter est concedendum, quòd Deus ab æterno eos odio habuit, & reprobauit. Non autem simpliciter est concedendum, quòd eos ab æterno dilexerit, ne æstimentur fore prædestinati: licèt cum determinatione posset concedi, quòd ab æterno eos dilexerit, scilicet, cum hac determinatione, inquantum futuri erant opus Dei. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE QVATVOR VIRTVTIBVS principalibus.

DISTINCT. XXXIII.

T E X T.

Post prædicta de quatuor virtutibus, quæ principales, vel Cardinales vocantur disserendum est: quæ

sunt

sunt Iustitia, Fortitudo, Prudentia, Temperantia. &c.

EXPOSITIO.

CОnnectitur ista trigesima materia distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de uirtutibus Theologicis; agit hic consequenter de uirtutibus Cardinalibus. Diuiditur præsens distinctio in duas partes principales. In quarum prima Magister ostendit numerum, & descriptionem harum uirtutum Cardinalium. In secunda verò ostendit, quomodo illæ uirtutes remaneant in patria. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quatuor sunt uirtutes Cardinales. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quatuor esse uirtutes Cardinales. Quarum prima est Iustitia. Secunda Fortitudo. Tertia Prudentia. Quarta uerò, & ultima, est Temperantia. Quarum descriptiones Magister ponit in littera. Iustitia enim est uirtus in subueniendo miseris, ut ait Aug. Prudentia in præcauendis insidiis. Fortitudo in perferendis molestiis. Temperantia in cohercendis prauis delectationibus. Quas descriptiones ponit secundum beatum Aug. in littera. Deinde subdit, ꝙ ideò dicitur Cardinales, quia propter ipsas Deo vnimur, & ad uitam æternam peruenimus. Postea dicit, ꝙ illæ uirtutes fuerunt in Christo, & habuerunt eosdẽ actus, & usus, quos in patria habebunt, & etiam quosdam, quos habent in uia. Et hæc de prima parte sufficiant. pro declaratione aũt secundæ partis, ponitur ista alia conclusio, Quãuis nonnulli dicant, quòd solùm harum vna (scilicet, iustitia) remanebit in patria; tamen Magister tenet, & auctoritate cõfirmat, ꝙ omnes remaneant in patria, licèt actibus diuersis ab illis, qui sunt in via. Quam conclusionem Magister ponens, quærit. Verum illæ uirtutes euacuentur in patria. Et respondens, ponit primò opinionem nonnullorum dicentium, quòd tres istarũ non remanebũt in patria,

sed solùm iustitia, quæ in patria nõ cessabit, sed potius perficietur. Sed ipse melius subiungit, quod etiam aliæ tres remanebunt, sed alios actus, & vsus tunc habebunt in patria, quàm modo in via. Quod confirmat auctoritate Bedæ, quæ patet in littera. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE SEPTEM DONIS Spiritus sancti.

DISTINCT. XXXIIII.

TEXT.

Nunc de septem donis Spiritus sancti agendum est; vbi prius considerandum est, an hæc dona virtutes sint. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima quarta distinctio cum superioribus hunc in modũ, Cùm enim Magister in præcedenti distinctione, & in alijs superioribus egerit de virtutibus; consequenter nunc per ordinem tractat de donis in hac distinct. absolutè, & in sequenti de illis aget cõparatiuè, seu respectiuè. Diuiditur præsens dist. in tres partes. In quarum prima Mag. ostendit, qualiter septem dona Spiritussancti, quæ à virtutibus non differunt, fuerint in Christo. In secunda verò ostendit quotuplex sit timor, & quærit, an quilibet timor maneat cum charitate. In tertia autem, & vltima concludit, qualiter in Christo fuerit donum timoris secundũ vsum patriæ cum timore quodã alio. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Septem

go. Septem dona Spiritussancti, quæ à virtutibus non differunt, nec in patria cessabunt, fuerunt in Christo. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit tres quæstiones. Quarum prima est. Vtrum dona Spiritussancti sint idem, quod virtutes. Secunda est. An in patria maneant cũ beatis. Tertia est. Vtrum fuerint in Christo. Ad duas primas quæstiones simul respondet auctoritate beati Ambr. quòd dona sunt idem, quod virtutes, & quòd remaneant in patria, quia in Angelis, & in beatis sunt abundantiùs, quàm in nobis. Ad tertiam respondet affirmatiuè, quòd illa dona fuerunt in christo; vt patet per illud Esa. Et requiescet super eum spiritus domini. Spiritus sapientiæ, & intellectus; spiritus consilii, & fortitudinis; spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris domini. In qua quidem auctoritate pluries repetitur spiritus. Quod non ideò fit, quia plures sint Spiritussancti in natura diuina: sed hoc fit ad designandum multiplicem fore effectum vnius Spiritus sancti. postea obijcit contra illud, quod dictum est, dona Spiritus sancti remanere in patria, per duas auctoritates Bedæ, scilicet, & Aug. quæ patent in littera. Dicunt enim illæ auctoritates timorem in patria non manere, & per consequens nec alia dona. Pro quarum auctoritatum euidentia Magister dicit, quòd dona Spiritus sancti erunt in futuro, scilicet, in patria, sed non habebunt ibi illos vsus, quos hic habent in via. Quod declarat specialiter in dono timoris. Nam timor filialis tria in nobis facit (vt dicit Magister) in præsenti vita. Facit enim primò timere ne offendamus Deum, quem diligimus. Secundò ne ab eo separemur. Tertiò facit nos ipsum reuereri. Quãtum igitur ad duo prima, non manebit donũ timoris in patria: & hoc voluit dicere auctoritates in oppositum allegatæ. Sed quantum ad tertium manebit ibi, quia ibi maxima reuerentia (quæ est dilectio cum subiectione) erit, quæ etiam in Christo fuit. Et subdit quosdam dixisse, quòd in Christo, & in Angelis esset donum timoris solùm secundum effectum, sed non secundum habitum. Quod Magister non approbat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponit

ista alia conclusio. Timor, qui multis modis sumitur, non qualitercunque sumptus, à Charitatis cõsortio excluditur. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quatuor esse timores. Quorum primus est timor mundanus, siue humanus, quo timemus pericula carnis, & bonorum mundanorum amissionem. Et sic iste timor est malus,&prohibetur in Euang.cùm dicitur. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Secundus est timor seruilis, scilicet, quo quis timet pœnas,& cessat à peccatis timore gehennæ. Et hic est bonus,non tamen est sufficiens ad vitam æternam obtinendam. Tertius est timor initialis, quo timemus peccare,partim timore inferni,partim amore patriæ. Et sic isto timore adueniente,simul aduenit Charitas, & timor serui. Iis incipit per charitatem excludi. Quartus est timor castus & filialis,seu amicabilis,quo, scilicet, timemus peccare, ne Deum offendamus,& ab eo separemur. Et iste permanet in seculum seculi. Postea subdit,quòd Beda non distinxit nisi duplicem timorem, scilicet, seruilem, & castum, quia sub seruili, initialem intellexit,& humanum prætermisit. Aug. quoque nisi duos timores distinxit,scilicet, castum, qui stat cum charitate, & seruilem, qui non est in charitate. Istis præmissis,Magister dicit,quòd licèt timor seruilis in charitate non sit,tamen præparat locum charitati: quia nisi timor prius occuparet mentem, non esset vnde intraret Charitas,qua tamen adueniente timor expellitur, & foras mittitur,sicut seta exeunte filum intrat acum. Postea remouet quoddam dubium. Nam beatus Ioannes, & Dauid videntur sibi contrariari. Dicit enim beatus Ioan. in sua canonica,quòd timor non est in charitate.Dauid verò dicit, quòd timor domini sanctus permanet in seculum seculi. Ad quod respondens, dicit, quod duplex est timor ad propositum. Vnus castus. Alter verò seruilis. Seruilis (vt dictum est) non stat cum Charitate: & sic de illo loquitur Ioan. castus autem est in Charitate, & manet in patria, & sic de hoc loquitur Propheta Dauid. Et hoc patet ex his,quæ dicta sunt. Nam dictum est, quòd timor seruilis est,quo quis propter pœnam timet Deum,sed qui propter pœnam timet Deum, non

non amat ipsum: ergo timor ille non stat cum charitate. Timor autem castus est, quo quis timet Deum, ne ipsum offendat, & ab eo separetur: sed cùm huiusmodi timere sit amare, sequitur etiam quod ille timor, scilicet, castus maneat cum Charitate. Quod exéplificat Magister de duabus mulieribus maritatis, quarum vna timet adulterium committere, ne à viro suo deprehendatur, & consequenter puniatur. Altera verò timet adulterium committere, ne à viro suo deseratur, & consortium mariti amittat, quem diligit. Et applicat simile ad propositum, vt patet in littera. Postea autem comparat Magister timorem initialem ad castum, & ad seruilem, dicens, quòd initialis est medius inter eos, aliquid habens de vtroque: quia partim facit seruire Deo timore pœnæ, & partim amore iustitiæ, quæ etiam potest esse inchoata, licèt non possit esse in charitate perfecta. Deinde comparat timorem seruilem, & initialem ad inuicem, dicens, quòd vterque est initium sapientiæ, differenter tamē, quia seruilis præparat locum sapientiæ, sed non stat cum charitate. Initialis verò introducit eam, & manet cum charitate imperfecta, Charitas autem foras mittit hunc timorem, quia non habet annexam anxietatem pœnæ. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hæc conclusio. Donum timoris extitit in Christo secundum vsum patrię cum timore quod in alio. quam insinuans, infert ex determinatis, quòd donum timoris manebit in patria, sicut alia dona, sed non habebit ibi omnē vsum, quem hic habet, vt patuit suprà. Vnde ex his concludit, quòd timor ille fuit in Christo secundum vsum, quem habet in sanctis, scilicet, secundum actum reuerentiæ. Denique quęrit incidentaliter. Vtrum cùm timor pœnæ fuerit in christo, debeat dici mundanus, vel seruilis, vel initialis. Et respondet, quòd nullus illorum fuit. Nam timor mundanus cum mundo deseritur. Seruilis verò nec est in charitate inchoata, nec perfecta. Initialis verò non potest esse in charitate perfecta. Cùm igitur Christus iam deseruerit mundum, & charitatem perfectā habuerit, sequitur, quòd timor pęnę, quē Christus habuit, nullus illorū fuerit,

sed

sed fuit quidam naturalis timor, seu humanus, quo, scilicet, quilibet homo timet mortem naturaliter: & hic inest homini à natura, non pro vt fuit à Deo institura, sed pro vt est per peccatum vitiata, & corrupta: hic tamen timor non fuit per Christum contractus, sed voluntariæ assumptus. Et hęc de hac distinctione dicta sint satis.

QVOMODO DIFFERANT sapientia & scientia.

DISTINCT. XXXV.

T E X T.

Post præmissa diligenter considerandum est, in quo differat sapientia à scientia. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima quinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister in præcedenti distinct. egerit de donis absolutè: hic modo agit de ipsis respectiuè seu comparatiuè. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Mag. ostendit sapientiæ, & scientiæ differentiam. In secunda verò ostendit differentiam inter sapientiam, & intellectum. In tertia autem, & vltima distinguit intellectum, & scientiam ab his, quæ insunt homini à natura. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur hæc conclusio. Constat inter sapientiam, & sciētiam, pro vt sunt dona Spiritussancti, fore differentiam. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, ponit triplicem differentiam inter sapientiam, & scientiam, inquantum, scilicet, sunt dona Spiritus sancti. Prima est, quòd quanuis tam sapientia, quam scientia possit dici rerum di-

uinarum

uinarum humanarumq; cognitio, tamen propriè loquendo, sapientia est cognitio rerum diuinarum. Scientia verò humanarum rerum notitia. Secunda est, quòd sapientia est pietas, quæ græcè theosebia appellatur, idest, Dei cultus, qui quidem cultus in dilectione, & cognitione Dei consistit. Scientia verò est abstinere à malis, & in medio prauæ nationis prudenter conuersari. Tertia est, quòd sapientia pertinet ad contemplationem supernorum, seu æternorum. Scientia verò ad actionem, qua bene viuimus rebus temporalibus. Et subdit, quòd ex quo in Christo fuit, & res diuina, & res humana, de ipso habemus sapientiam, quæ rebus diuinis, & scientiam, quæ rebus humanis attribuitur. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Ex declaratione præsentis textus patet differentia inter donum sapientiæ, & intellectus. Quam ponens Magister, proponit duplicem differentiam inter sapientiam, & intellectum. Quarum prima est hæc, quòd sapientia est de rebus æternis, vt de Deo. Intellectus verò non modo de æternis, sed etiam de aliquibus ex tempore ortis, vt de creaturis inuisibilibus indifferenter. Secunda est quòd per intellectum cognoscimus intelligibilia sine delectatione; per sapientiam verò etiam de rebus cognitis delectamur. Et sic ex omnibus prædictis recolligit illarum trium, scilicet, sapientiæ, scientiæ, & intellectus differentiam stare in hoc, quòd scientia valet ad rerum temporalium debitam administrationem, & bonam inter malos conuersationem. Intellectus verò ad creatoris, videlicet, & creaturarum inuisibilium speculationem. Sapientia autem ad solius æternæ veritatis contemplationem, & delectationem. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Intellectus, & scientia, pro vt sunt Spiritus sancti dona, differunt ab intellectu, & scientia, pro vt insunt à natura. Quam Magister ponens, dicit, quòd pro vt sunt dona Spiritus sancti, infunduntur per gratiā, vt homo per ea rectè viuat. Pro vt verò sunt dona naturalia, insunt homini ex beneficio creationis. Et subdit, quòd per dona Spiritussancti reformentur in homine illa,

e illa, quæ naturaliter insunt; quia intellectus hominis per peccatum obtenebratus, per spiritum intelligentiæ (.i. donum intellectus) adiuuatur, & a peccato eripitur. Per donū verò sapientię ad contemplationem, & delectationem æternæ veritatis erigitur. Vltimò addit, quòd per donum sapientię, de qua hic sermo fit, non debemus intelligere illam sapientiam, quæ Deus est; sed debemus intelligere illam, quæ hominis est sapientia, qua homo sapit; quæ tamen potest dici Dei sapientia, nō quòd Deus ea sapiens sit, sed quia à domino Deo datur, sicut dicitur iustitia Dei, quam Deus homini dat, cūm ipsum iustificat. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

DE CONNEXIONE VIRtutum quæ non separantur.

DISTINCT. XXXVI.

T E X T.

Solet etiam quæri. Vtrum virtutes ita sint sibi coniunctæ, vt separatim non possint possideri ab aliquo: sed qui vnam habet, omnes habeat? &c.

E X P O S I T I O.

Connectitur ista trigesima sexta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cūm enim Magister superius egerit de virtutum, & donorum habitibus, & donorum adinuicem comparatione: hic consequenter agit de virtutum connexione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter virtutes sint connexæ simul. In secunda verò subdit, qualiter inæqualiter à nobis habeātur. In tertia ait, & vltima ostēdit, omnia

omnia præcepta decalogi ad duo referri. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Virtutes ita sunt connexæ, quòd vna sine omnibus haberi non potest. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum virtutes sint simul connexæ, ita quòd qui vnam habet, omnes habeat. Et respondet, quòd sic. Quod probat auctoritate beati Hier. qui dicit sic ipsas sibi cohærere, quòd qui vnam habet, omnes habeat, & qui vna caret, omnibus careat. Quod etiam probabile est. Nam ex quo Charitas est omnium virtutum, & legis plenitudo, sequitur, quòd vbicunque sit charitas, ibi etiam sint omnes virtutes. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis virtutes inter se fere æquales debeant teneri, possunt tamen inæqualiter nobis haberi. Quam Magister ponens, quærit. Vtrum habens omnes virtutes, habeat eas æqualiter, vel inæqualiter. Ad quam quæstionem respondens, primò recitat circa hoc opinionem quorundam (cui Magister non videtur consentire) dicentium, quòd aliquæ virtutes habentur magis, aliquæ minus ab hominibus ipsas habentibus. Sicut in Iob viguit patientia. In Dauid humilitas. In Moyse mansuetudo. In Abraham fides. Quod non esset, si ille, qui excellit in vna, excelleret in omnibus virtutibus. Vndè etiam isti dicunt, quòd aliqui possunt plus mereri per vnam virtutem, quàm per aliam, & habent vna plenius, quàm aliam: hęc tamen per nullam possint plus mereri, quàm per charitatem, quę cæteras producit. Postea ponit solutionem quæstionis veriorem secundum opinionem aliorum, qui dicunt, quòd eo modo, quo virtutes sunt simul in aliquo, eodem modo sunt etiam æquales: ita quòd qui est par, vel æqualis alteri in vna virtute, est eidem etiam æqualis in omnibus; quòd probat auctoritate beati Aug. Ad rationem autem, quam prima opinio inducebat, s. quòd aliquis dicitur excellere alium in aliqua virtute, vt in fide Abraam, & in patientia Iob præcellebant. Respondet Magister hoc esse intelligendũ, non quantum ad habitũ virtutis, sed quantũ ad vsum eius, inquantũ scilicet,

vnius magis exequitur actum vnius virtutis, quàm alterius. Vel intelligẽdum esse dicit, quòd illi huiusmodi virtutibus magis pollebant in comparatione ad alios homines, & non in comparatione ad alias virtutes: & secundum hunc modũ dicuntur esse intelligenda quædam verba August. quæ ponuntur in littera, per quę insinuare videtur, quòd vna virtus perfectius habeatur, quàm alia, vt melius videre est in litterã. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Omnia præcepta decalogi ad duo præcepta Charitatis referuntur, & per veram dilectionem Dei, & proximi adimplentur. Quam quidem conclusionem Magister ponens, quærit. Quomodo illud possit esse verum, quod in duobus præceptis charitatis de dilectione Dei, & proximi tota lex pendeat, & Prophetę, cùm in lege, & Prophetis multa contineantur ceremonialia mandata, quæ iam cessauerunt, vt circuncisio, & ceremoniæ sacrificiorum, quæ cessasse nõ debuissent, sicut nec charitas cessat. Ad quòd respondet, quòd ex quo ceremonialia imposita fuerunt in futurorum figura, ideò adueniente veritate cessare debuerunt. Nihilominus tamen ad charitatem referuntur secundum spiritualem intellectum, quem continent. Omnia enim præcepta reducuntur ad decem, & illa decem reducuntur ad duo præcepta, quę sunt dilectio Dei, & proximi. Quod auctoritate beati Aug. pulcherrimè declarans confirmat. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE DECEM PRÆCEPTIS, quomodo contineantur in duobus mandatis Charitatis.

DISTINCT. XXXVII.

TEXT.

T E X T.

Sed iam distributio decalogi, quæ in duobus mandatis completur consideranda est. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima septima distinctio cum superioribus hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de habitibus virtutum, & donorum: hic per ordinem agit de operibus mandatorum, per quæ in actibus virtutum dirigimur. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, decem esse præcepta decalogi. In secunda verò subdit, tria primæ tabulæ præcepta ordinare hominem ad Dei dilectionem. In tertia autem, & vltima concludit, septem esse præcepta secundæ tabulæ hominem ad dilectionem proximi ordinantia. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Decem sunt decalogi præcepta nobis à Deo per Moysen in duabus tabulis tradita. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, considerandum esse de mandatis decalogi, quæ tandem in duobus mandatis, s. dilectione Dei, & proximi complentur. Nam decalogus secundum Magistrum, decem habet præcepta, siue mandata; quia decalogus est illud decachordum, idest, decem chordarum psalteriũ, de quo dicitur in Psal. In psalterio decachordo psallam tibi. Quæ quidem decem præcepta (vt suprà dictum est) reducuntur strictè ad duo mandata, quorum primum est diligere Deum, secundum verò diligere proximum. Primum continet tria primæ tabulæ. Secundum verò septem secundæ tabulæ. In quibus tabulis nobis à Deo per Moysen data sunt. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista conclusio. Sunt tria primæ tabulæ præcepta ordinantia hominem ad Deum, sicut septem secundę tabulę mandata ordinant hominem ad proximum.

Hanc Magister insinuans, dicit, quòd trium præceptorum primæ tabulæ primum est. Non adorabis Deos alienos, non facies sculptile, siue Idolum, neque omnem similitudinem. Illud præceptum diuidit Origenes in duo precepta, distinguens inter Idolum, & similitudinem. Nam cùm aliquis facit imaginem rei alicuius existentis in natura, vt hominis, serpentis, & huiusmodi, dicitur facere similitudinem. Si verò facit imaginem alicuius, quod nunquam oculus vidit, sed tantùm hominis animus fingit, dicitur facere Idolum. Vndè Apost. ait, quòd Idolum nihil est in mundo. Beatus autem Aug. dicit, quod sit nisi vnum præceptum, quod exprimitur his verbis. Non habebis Deos alienos. illud verò quod additur, non facies sculptile, non est aliud preceptum, sed eiusdem precepti perfectior explicatio. Et sententia illa August apparet verior. Auctoritatem autem Apostoli, quã Origines pro se allegat, scilicet, Idolum nihil est in mundo, illam exponit beatus Aug. dicens, Apostolum velle dicere, quòd forma Idoli non est inter creaturas mundi computanda: quia licèt materiam Idoli Deus creauerit, formam tamen eius hominum peruersitas edidit: & ideò Idolum nihil est, quia eius forma per Verbum Dei facta non est, vt etiam peccatum nihil est, quia per Verbum Dei factum non est, vt Ioan. 1. dicitur. Deinde contra illud obijcit Magister, & dicit. Cùm beatus August. alibi dicat, quòd omnis forma, & compago est facta per Verbum, quomodo tunc potest esse verum, quòd forma Idoli non sit facta per Verbum. Ad quod respondet dupliciter. Primò secundum opinionem quorundam dicentium, quòd forma Idoli, inquantum est, (scilicet forma) à Deo est. Sed non inquantum posita est forma Idoli, scilicet, inquantum posita est ad adorandum, quia sic non est creatura, sed magis peruersitas creaturæ: sicut etiam peccatum, inquantum peccatum, non est à Deo, nec creatura, sed defectus creaturæ. Secundò responderi potest secundum alios, quòd hæc propositio: omnis forma à Deo est: intelligenda est de forma, quę naturaliter habet esse, qualis non est forma Idoli, eo quòd veræ iustitiæ, quę est Deus, non assimilatur. Secundum præce-

ptum primæ tabulæ est. Non assumes nomen Dei tui in vanum, idest, non iurabis pro nihilo per Deum, vel per nomen Dei. Vel secundum sensum allegoricum prohibetur hic Christus esse creatura, vt sit sensus mandati. Non assumes. i. non putes Christum esse creaturam. Tertium mandatum primæ tabulæ est. Memento, vt diem sabbati sanctifices. Per quod secundum sensum litteralem, præcipitur nobis sabbati obseruantia. Sed allegoricè mandatur nobis, vt in præsenti à vitiis quiescamus, vt in futuro Dei contemplationem à Spiritu sancto expectemus. Et dicit à Spiritu sancto expectemus, non ideò quia Spiritussanctus illa operetur sine patre, & filio, sed quia remissio peccatorum appropriatur Spirituisancto. Ista tria præcepta adaptat Magister tribus personis. Primum Patri. Secundum Filio. Tertium Spirituisancto. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Secunda tabula Moysi data, continuit septē præcepta ad dilectionem proximi ordinata. Quam quidē insinuans Magister, non enumerat in præsenti nisi quinque, alia duo reseruans ad aliam distinctionem. Primum est de honore parentum corporalium. Secundū est de non occidendo: vbi licèt secundū litteram, (.i. secundū legem Moysicam) prohibeatur tantùm actus exterior occidendi, secundum spiritū tamen (.i. secundum legē Euangelicā) etiā actus interior, .s. voluntas occidendi prohibetur, ut in littera Euang. planè exprimit. Tertium est. Non mechaberis: vbi secundum beatū Aug. nomine mechiæ, omnis illicitus concubitus, atq; omnis membrorū illicitus vsus prohibetur. Quartum est. Non furtū facies: vbi nomine furti, oīs illicita rei alienæ vsurpatio intelligitur. Et isto præcepto prohibetur usura, vel rapina, & sacrilegiū, ꝙ tripliciter cōmittitur, .s. dum uel sacrum de sacro, uel non sacrum de sacro, sacrum uel de non sacro aufertur. Sacrum aūt est illud, quod diuino cultui existit mancipatū. Quintum præceptū est. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Quo præcepto crimen mendacij, & periurij prohibetur. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE TRIPLICI GENERE Mendacij.

DISTINCT. XXXVIII.

TEXT.

Sciendum tamen tria esse genera mendaciorum. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista trigesimaoctaua distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister supra egerit de octo præceptis: hic consequenter incipit agere de peccatis, quæ isto octauo præcepto prohibentur. Diuiditur, præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister præmittit plura genera mendaciorum. In secunda verò quid sit mendacium subiungit. In tertia autem, & vltima omne mendacium esse peccatum concludit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Octo sunt genera mendaciorum, quæ tanto sunt grauiora, quanto primo mendacio fuerint proximiora. Quam quidē conclusionem Magister probans, primò diuidit mendacium in tria genera. Quorum primū est officiosum, quale est mendacium, quod fit pro cōmodo, vel salute corporis. Et illud

Nō tenetur hic Magister. nunquam potest fieri sine peccato, quia in viris perfectis, & in imperfectis peccatum veniale, quia excusatur quodammodo propter pietatem, sicut mendacium obstetricū, & Raab excusatur: non tamen propter hoc quis aliqua peccata debet committere, vt per misericordiam, & pietatem velit excusari; sicut nullus debet furari diuiti, vt det pauperi. Secundum genus mendacij est mēdacium iocosum, quod fit causa solacij, vel ioco: & illud similiter in viris perfectis, & in imperfectis est veniale peccatum. Tertium ge-

nus peccati est perniciosum, quod fit, scilicet, ex malignitate, seu quod prouenit ex animo nocendi. Et hoc præ omnibus est fugiendum. Postea Magister enumerat octo genera mendaciorum, quæ ponit August. Quorum primum fit in doctrina fidei. Secundum est, quod nulli prodest, sed alicui prodest, & alicui obest. Quartum est, quod fit sola libidine, & delectatione mentiendi. Quintum est, quod fit vel cupiditate placendi de suo eloquio. Sextum est, quod nulli obest, sed alicui prodest, quantum, scilicet, ad præseruationē à rebus iniustè tollendis. Septimum est, quod nulli obest, sed alicui prodest, quantum ad præseruationem à morte corporali. Octauum, & vltimum est, quod nulli obest, sed alicui prodest, quantum ad præseruationem ab immunditia corporali. Prima tria genera horum octo mēdaciorum reducuntur ad mendacium perniciosum. Et duo media ad mendacium iocosum. Tria autem vltima ad mendacium officiosum. Vndè concludit, quòd in omnibus prædictis mēdacijs attenduntur gradus, quantum ad grauitatem, secundum quòd magis, vel minus accedunt ad primi mendacii genus. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Hoc propriè dicitur mendacium, cùm quis intentione fallendi dicit falsum. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd mendacium est, cùm profertur falsum intentione fallendi, eo quòd aliud dicatur ore, quàm sentiatur corde. Secundò ostendit quid sit mentiri, dicens, quòd mentiri est loqui contra illud, quod quis animo sentit, siue illud sit verum, siue falsum. Ex quo concludit, quòd omnis, qui mendacium loquitur, mentitur, sed nō econtra omnis, qui mentitur, mendaciū loquitur, quia quandoquè verum est, qđ loquitur ille, qui mentitur; & sic nō dicit mendacium, quia nō loquitur falsum. Vndè & patet, quòd etiam aliquis falsum loquendo, potest esse verax, scilicet, si non loquitur contra illud, quod animo sentit. Iuxta qđ quærit. Vtrū Iudæus mendacium loquatur, dicens, christum esse Deum, quod tamen corde non credit. Et respondet, quòd non loquitur mēdacium, quia licèt non credat corde verum esse,

quod loquitur; tamen quia verum est quod loquitur, non dicit mendacium, quia mendacium est cùm profertur falsum intentione fallendi; sed benè mentitur, cùm dicat contra mentem, scilicet, contra id, quod credit. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio, Vniuersaliter omne mendacium est, & dicitur peccatum. Quam ponens Magister, dicit, vniuersaliter omne mendacium esse peccatum, licèt tamen inter mendacia sint gradus grauitatis in peccando, quod declarat auctoritate beati August. cui annectit, quòd mendacium habet rationem peccati ex hoc, quia homo illud loqui debet, quod animo gerit. Verba enim instituta sunt non ad fallendum, sed ad cogitationum nostrarum notificationem, vt scilicet, conceptus nostros per verba ostendamus. Quanuis igitur omne mendacium sit peccatum, non est tamen mortale, nisi illud quod sit ex malignitate, quod est perniciosum, de quo intelligitur illud Psal. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Consequenter determinat de sequela peccati, quæ est error, & dicit, quòd errare in fide, vel in his, quæ pertinent ad salutem nostram, magnum peccatum est, & periculum. Sed errare tantùm in rebus, quæ ad curiositatem sine pertinet, non est peccatum, & si est peccatum, est leuissimum. Subdit etiam, quòd licèt non erretur, nisi per ignorantiam rei alicuius; tamen non sequitur, quòd erret quicunque aliquid ignorat. Sed ille dicitur tantùm propriè errare, qui credit se scire, quod nescit, & sic falsum pro vero approbat: & quanuis illud generaliter sit requisitum ad omnem errorem, tamen multum refert in quibus erratur, nam in aliquibus errare, est periculosum; in alijs verò est melius errare, quàm non errare, quia in aliquibus errare quandoque prodest. Vltimò quæris, Vtrum Iacob dicendo, ego sum Esau, mentitus fuerit. Et respondet Magister, secundum August. quod non fuit mendacium, sed mysterium dictum illud Iacob; intendebat enim matri obedire, quæ per spiritum nouat mysterium. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

DE PERIVRIO.

DISTINCT. XXXIX.

TEXT.

Nunc de periurio videamus. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista trigesima nona distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de mendacio: agit hic consequenter de periurio. Dividitur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quid sit periurium. In secunda verò ostendit, qualiter iurare non semper sit illicitum. In tertia autem, & vltima subdit, qualiter quodammodo licitum sit perfectis iurare per creaturas. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis omne mendacium iuramento confirmatum existat periurium non tamē omne periurium est mendacium. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, primò primam eius partem probat deffinitione periurij, dicens, quòd periurium est mendacium iuramento confirmatum. Secundam verò partem eiusdem, scilicet, quòd non omne periurium sit mendacium, probat Magister, tres ponens modos periurij. Quorum primus est, cùm aliquis scienter aliquod falsum firmat iuramento, quod tamen putat esse falsum. Secundus est, cùm aliquis firmat aliquod falsum iuramento, quod tamen putat esse verum: & isti duo modi peierendi nunquam possunt esse sine mendacio. Tertius modus est, cùm aliquis firmat aliquod verum iuramento, quod tamen putat esse falsum: & iste periurandi modus est

sine mendacio, eo quòd non iuratur falsum; non tamen est sine peccato, quia non fuit adhibita debita iurandi cautela, quæ in hoc consistit, vt benè discutiatur res super quam quis iurare præsumit. Sed contra dicta obijcit Magister dupliciter. Nam videtur, quòd non peieret, qui verum, quod falsum putat, iuramento confirmat, quia verum iurat, & etiam non abutitur verbis, quia iurat illud quod significat. Ad quod respondens, dicit, quòd non tantùm qui falsum iurat, sed etiam qui verum iurat, quod falsum esse putat, peierat: quod patet ex hoc, quòd loqui contra mentem cum attestatione iuramenti periurium est, siue illud sit verum, quod dicitur, siue falsum. Secundò obijcit sic. Dictum est, quòd qui falsum iurat, peierat, igitur videtur, quòd omnis iurans se aliquid certo tempore daturū alicui, quod tamen non dabit, statim iurando periurus sit, vt patet, quia falsum iurat. Et respondet Magister, quòd t. l ter iurans non incurrit periurium, nisi vel mutãdo propositum, vel transgrediendo terminum. Et hæc de prima parte sufficiant Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Iurare non semper est licitum, neque illicitum. Quam Magister ponens, quærit. Vtrum iurare sit malum, vel illicitum. Et respondens, dicit, quòd sicut iurare falsum, grande est peccatum: sic iurare sine necessitate non est sine peccato. Exemplum huius est, vt si quis per iuramentum confirmaret, quòd Deus non esset creator omnium rerum, talis falsum iuraret, & per consequens graue esset peccatum. Sed iurare ex necessitate super aliquo licito, scilicet, super innocentia alicuius confirmanda, vel pace, vel aliquod vtile seruandum, non est peccatum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis iurare per creaturas imperfectis non sit permissum, perfectis tamen non est illicitum, seu prohibitum. Quam quidem conclusionem Magister probans, quærit sex quæstiones. Quarum prima est. Vtrum liceat iurare per creaturas. Et respondens, arguit primò quòd non, per illud Math. Nolite iurare neque per cœlum, neque per terram. Ad quod respondet, quòd imperfectis concessum

fuit

fuit per creatorem, & non per creaturas iurare: sed viris perfectis per creaturas non est prohibitum iurare, eo quòd in creaturis sciunt creatorem venerari, sicut patet de Ioseph, qui iurauit per salutem Pharaonis. Subdit postea, quòd Christus prohibuit iurare per creaturas duplici de causa. Prima est ne crederetur aliquid diuinum esse in creaturis, pro quo eis reuerentia deberetur. Secunda ne iurans falsum per creaturas, crederet se non peccare, seu ne iurantes per creaturas, crederent se non obligari ad iuramenti completionem. Alia quæstio est, quis magis obligetur: Vtrum qui iurat per Deum, vel qui iurat per creaturam. Et respondet, quod magis obligatur qui iurat per Deum, quia per Deum omnia facta sunt, & non econuerso. Vbi subdit quid sit iurare per Deum, dicens, quòd iurare per Deum, est Deum adhibere testem illius rei super quam iuratur per Deum. Similiter iurare per creaturam, est creatorem eius testem suum obligare. Vndè secundum beatum August. qui per lapidem iurat falsum, periurus est, quia non per lapidem iurat, sed per eius creatorem. Præterea est aliud iuramentum per execrationem, vt cùm dicitur, si feci illud, hoc veniat mihi, aut filijs meis: & hoc est grauissimũ. Tertia quæstio est, Vtrum infideles peccent iurando per falsos Deos. Et respondet secundum August. quòd si infidelis iurat falsum per falsos Deos, peccat dupliciter. Primò quia iurauit, per quos iurare non debuit. Secundò quia iurauit contra fidem, quam debuit seruare. Vndè Magister dicit, quòd possumus vti fide illius, non ad malum, sed ad bonum. Quarta quæstio est, Vtrum omne iuramentum sit implendum. Et respondet quòd iuramentum incautum, scilicet, quod vergit in deteriorem exitum, non sit implendum, sed mutandum, & qui ipsum non mutaret, peccaret dupliciter. Primò, quia iniustè iurauit. Secundò, quia facit, quod non debet. Vbi subdit, quod iuramentum fit illicitum tripliciter: aut quia iurat quis quod in se est vitiosum, vt adulterium, vel homicidium: & sic tale iuramentum non est seruandum. Secundò cùm quis iurat quod non est in se vitiosum, sed per accidens, vt si quis post votum castitatis,

iuret aliquam accipere in vxorem. Tertiò, cùm quis iurat aliquid omittere, quod in se est bonum, scilicet, non dare eleemosinam alicui indigenti. Quinta quæstio est, Vtrum iurans incautè, debeat dici periurus. Et respondet quòd sic: & hoc ideò quia non seruat quod iurauit, quia tenetur illud mutare, vt dictum est supra, sed quia iurauit iniustum reus efficitur, sicut ille qui peierat. Vndè subdit, quòd qualitercunque iuretur, iuramentum semper refertur ad intentionem recipientis, & non iurantis. Et per hoc qui fraudulenter iuramentum præstat, dupliciter peccat. Primò, quia nomen Dei in vanum assumit. Secundò, quia proximum dolose nititur decipere. Sexta quæstio est, Vtrum peccet ille, qui compellit alium iurare. Et respondet, quòd si nescit eum iuraturum falsum, non peccat, quoniam hoc solùm fit, vt fides fiat de re super quam iuratur: & ideò non est peccatum: sed humana tentatio. Si autem scit eum iuraturum falsum, & cogit eum iurare, homicida est: & per consequens graue peccatum mortale committit. De modo autem iurandi subdit, quòd debet fieri à ieiunis, nisi necessitas aliter cogeret. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

DE SEXTO, ET SEPTIMO præcepto secundæ tabulæ.

DISTINCT. XL.

T E X T.

Textum præceptum est; Non desiderabis vxorem proximi tui. &c.

E X P O-

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesima, & vltima distinctio huius tertij libri cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de peccatis ad octauum præceptum pertinentibus: hic consequenter prosequitur suum tractatum de præceptis, & agit de duobus præceptis residuis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit quid sit sextum, & septimum præceptum secundæ tabulæ. In secunda verò ostēdit, quomodo intelligere debeamus illud dictum Apost. de littera, quam dicit occidentem. In tertia autem, & vltima subdit, magnam esse differentiam inter legem Mosaycam, & Euangelicam. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Sextum præceptum secundæ tabulæ prohibet appetitum mechandi, & septimum voluntatem furandi. Quam quidem Magister ponens, dicit, quòd sextum præceptum secundæ tabulæ est. Non concupisces vxorem proximi tui. Septimum autem est. Non concupisces domum proximi tui, non seruum, non ancillam. Sed contra hoc Magister opponit sic, dicens, quòd præceptum istud sextum de non concupiscendo vxorem proximi, videtur esse idem cum tertio præcepto secundæ tabulæ de mechando: & septimum de non concupiscenda re proximi sui, videtur esse idem cum quarto secundæ tabulæ de non faciendo furtum. Et respondet Magister, quòd non sunt idem, quoniam in tertio, & quarto prohibentur tantùm actus exteriores; in istis autem duobus præceptis prohibētur etiam actus interiores, scilicet, interior concupiscentia. Sed contra illud adhuc obijcit, dicens, quòd ex ista solutione habetur, quòd in lege veteri erat prohibitus tam actus exterior, quàm etiam interior; quòd si sic est, tunc quomodo verum est, quod cōmuniter dicitur, quòd lex comprimat manū, & non animū. Et respondet, ꝙ lex vetus & manum, & animum cōprimit quantū ad præcepta moralia; sed dicitur tantū cō-

primere

primere manum quantum ad cerimonialia. Vel potest dici, quòd in lege veteri non sic exprimitur generalis prohibitio cuiuslibet concupiscentiæ, sicut fit in Euang. Ideò dicitur lex manum comprimens. Euangelium verò vtrunque, scilicet, tam manum, quàm animum cōprimit. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Littera legis dicitur occidens, non quia mala sit, sed quia non sicut Euangelium gratiam præbuit. Quam quidem ponens Magister, quærit de qua littera intelligitur illud Apost. Littera occidit, spiritus autem viuificat. Et respondet, quòd intelligitur de littera decalogi, vel legis veteris, quæ dicitur occidere, non ideò quia lex mala sit, sed dicitur occidere occasionaliter, quia ponendo mandata, seu prohibendo peccata, augebat concupiscentiam, & addebat præuaricationem, præcipiendo ea, quæ non possunt impleri sine gratia, quæ tempore legis veteris, sicut tempore Euangelij nō abundabat. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Lex Mosayca multipliciter differt ab Euangelica. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, asserit triplicem differētiam legis antiquæ, & nouæ. Quarum prima est, quòd in antiqua lege tantùm promittebantur temporalia, & terrena: in Euangelio autē Cœlestia. Secunda est, quia sacramenta veteris legis non conferebant gratiam sicuti sacramenta euangelica, illa significabant tm̄, hęc significant, & iustificāt, cōferendo gratiam. Tertia est, quia in veteri lege fuerunt quædam ceremonialia, & in noua non sunt, quamuis quantum ad præcepta moralia sint eadem, sed plenius in Euang. continentur. Et hæc satis dicta sint. Et sic imponit Magister finem huic Tertio libro.

Explicit Tertij Libri Sententiarum Expositio.

LITTERAE QVARTI LIBRI

MAGISTRI SENTENTIARVM, EXPOSITIO.

DE SACRAMENTIS, & signis sacramentalibus.

DISTINCT. I.

TEXT.

Samaritanus enim vulnerato appropians, curationi eius sacramentorum alligamenta adhibuit: quia contra originalis peccati, & actualis vulnera sacramentorum remedia Deus instituit. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur iste quartus Liber Sententiarum cum superioribus trib. hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs in praecedentibus libris determinauerit de rebus: hic modò in hoc. Quartò determinat consequenter de signis sacramentalibus. Diuiditur iste liber in duas partes principales. In quarum prima Magister agit de sacramentis. In secunda autem agit de resurrectione, & gloria resurgentium. Ista autem prima distinctio huius quarti libri diuiditur in tres partes principales. In quarum prima Magi-

ster

ster ostendit quid sit sacramentum. In secunda verò ostendit sacramentorum causam, & necessitatem, & eorum integritatem. In tertia autem, & vltima declarat, quomodo circuncisio se haberet in remedium culpæ originalis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Sacramentum est gratiæ inuisibilis forma visibilis, eiusque similitudinem gerens, cuius est signum, causaque existens. Quam quidem conclusionem Magister probans, proponit primò sub parabola Samaritani, quod Saluator humano generi per incarnationem appropinquans, sacramentalem adhibuit medecinam, & contra peccatorum vulnera instituit sacramentorum remedia. Circa quæ sacramenta quatuor considerare intendit, scilicet, sacramẽti deffinitionem, institutionem, integritatem, & distinctionem. Postea deffinit sacramentum, dicens, quòd est sacræ rei signum; quamuis etiam possit dici sacramentum sacrum secretum, vel sacrum signans, seu signatum. Intendit autem Magister nunc de eo secundum quòd est signum. Deffinit etiam aliter sacramentum, dicens, quòd est inuisibilis gratiæ visibilis forma. Ad declarationem autem primæ deffinitionis ostendit, quid sit signum, dicens, quòd est res, quæ præter speciem quam sensibus ingerit, facit aliud ex se in cognitionem venire. Ad complementum autem diffinitionis sacramenti, diuidit signum; quia quoddam est naturale, scilicet, naturaliter significans, vt fumus respectu ignis: quoddam verò est datum, scilicet, ex institutione repræsentans; & tale signum est sacramẽtum. Item signorum datorum quoddam non gerit similitudinem sui significati, quoddam verò rei, cuius est signum, gerit similitudinem, & tale est sacramentum. Item signum gerens sui significati similitudinem, quoddam est signum tantum: quoddam verò est signum, & causa, & tale signum propriè est sacramentum. Ex quibus omnibus habetur perfecta sacramenti deffinitio, scilicet, quòd est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt eius imaginem gerat, & causa existat. Et ideò sacramenta veteris legis, quæ solum significabant, non sunt, nec dicuntur propriè sacramenta. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione

claratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio, Sacramenta triplici de causa promulgata existunt, & in verbis, & in rebus principaliter consistunt. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit, quòd triplex fuit causa, seu ratio institutionis sacramẽtorum. Prima quidem fuit humiliatio hominis, quia per sacramenta rebus corporalibus, quæ natura ipso homine inferiora sunt, subditur. Secunda est eruditio, quia mens hominis per ea ad inuisibilia cognoscenda eruditur. Tertia verò est exercitatio, vt ociositas, & occupatio noxia vitẽtur. Vbi subdit, quòd quædam exercitatio valet ad bonum corporis, quædam ad bonum animæ, quædam autem ad vtriusque iuuamen ordinatur. Addit etiam, quòd Deus sine sacramentis potuit hominem saluare, quia eis suam potentiã non alligauit, tamen ex dictis causis sacramenta instituit. Postea ponit sacramentorum integritatem, dicens, quòd sacramenta ex duobus constant, scilicet, ex rebus, & ex verbis. Vltimò diuidit sacramenta, dicens, quòd quędam sunt sacramẽta vetera, quæ significãt, & promittunt solũ; quędã verò sunt noua, quæ significant, & causant salutem. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio Inter sacramẽta veteris legis sola circuncisio originalem culpam delebat, & tamen cœlestis regni ianuã non aperiebat. Quam quidem conclusionem Magister ponens, proponit primò, quòd sacramentum circũcisionis, quamuis sit de sacramentis veteris legis, tamen antiquis idem remedium conferebat contra peccatum, quod modò baptismus: non tamen aperiebat ianuã regni cœlestis, ꝙ auctoritatibus cõfirmat. Postea quærit, ꝙ remediũ habebãt viri cõtra peccatũ ante circũcisionẽ, & fœminę ante, & post. Et respõdet, quòd illi, qui de stirpe Abrahæ descendebant, per circuncisionẽ iustificabantur. Qui autẽ ante circoncisionẽ fuerunt, quidam vt paruuli in fide parentũ iustificabantur, parentes verò virtute sacrificiorum: mulieres verò ante circuncisionem, & post per fidem, & operationem bonam, vel suam si erant adultæ, vel parentũ si erant paruulæ, quod auctoritat. cõfirmat. Postea determinat de institutione circuncisionis,

quantum

q tantum ad quatuor, ostendens primò cui data sit, scilicet, Abrahę primò, & cõsequenter semini eius. Secundò quare data est ipsi, scilicet, propter, tria, nempè, in meritum obedientiæ, in signum magnæ fidei. & in distinctione populi Iudaici à cæteris populis. Tertiò in qua parte fiebat, certè in carne præputij: & hoc propter duo. Primo quia concupiscentia, per quam peccatum originale contrahitur à parentibus, in cuius remedium instituta est circuncisio, in illa parte magis dominatur. Secundò, vt in illa parte homo signum obedientiæ acciperet, in qua primus homo culpam inobedientiæ primò sensit. Quarto ostendit quo tempore, & quo instrumẽto certo, dicens, quòd octauo die, & cultro lapideo: & hoc ad designandum duo. Primo resurrectionem carnis communem octaua ætate fiendam per petram Christi, per quem tunc omnis corruptio ab electis tolletur. Secundò ad designandum resurrectionem Christi tertia die factam, per quam anima cuiuslibet in ipsum credentis circuncidetur à peccatis. Postea dicit, quòd ideò circuncisio per baptismum mutata est, quia Sacramentum baptismi est communius, & perfectius: in circuncisione enim solùm peccata remittebantur, sed gratia non conferebatur. (sed hic Magister non tenetur) In baptismo autem gratia non habenti confertur, & habenti augetur. Vltimò quærit, Vtrum paruuli, qui moriebantur ante octauam diem, saluabuntur. Et respondet quòd non, (licèt tamen hic Magister non tenetur communiter ab omnibus (sicut nec modò sine baptismo. Subdit tamen, quòd fortè propter necessitatem poterant ante octauum diem circuncidi, quę sententia Magistri similiter non tenetur ab omnibus. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE SACRAMENTIS nouæ legis.

DI-

DISTINCT. II.

TEXT.

Iam ad Sacramenta nouæ legis accedamus, quæ sunt Baptismus, Confirmatio. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista secunda distinctio cum superiori, hoc in modum. Cùm enim Magister superiùs in prima distinctione egerit de sacramentis in communi tam veteris, quàm nouæ legis: hic consequenter incipit agere de sacramentis nouæ legis in speciali. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister numerum sacramentorum nouæ legis, & eorum efficaciam ostendit. In secunda verò quandò, & ad quid coniugium institutum sit, subdit. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter baptismus Ioannis prænunciauerit baptismum Christi, & quam virtutem habuerit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Septem sunt nouæ legis sacramenta, quorum aliqua valent ad deletionem peccatorum, & gratiam adiutricem conferunt: & aliqua in remedium tantùm sunt: aliqua verò gratia, & virtute nos fulciunt. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò septem esse nouæ legis sacramenta, & ea enumerat. Quorum quædam dicit in remedium tantùm instituta fuisse, vt coniugium. (hic autem Mag. non tenetur) Alia verò non solum in remedium contra peccatum, sed etiam ad gratiæ adiutricis collationem instituta sunt, vt Baptismus. Aliqua verò gratia, & virtute nos fulciunt, vt Eucharistia, & Ordo; vt facilè videre est in littera. Postea dicit, quòd ista Sacramenta, quia sunt salutis collatiua, non debuerunt ante tempus salutis institui, id est ante tempus Christi, à cuius passione, & morte virtutem sortita sunt. Subdit autem quòd Christus venire distulit donec homo de insufficientia legis naturæ, &

scriptę conuinceretur, quòd neutra earum eum iuuare posset. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Coniugium ante peccatum fuit institutum ad generationis officium, postea verò fuit datum in remedium. Quam quidem conclusionē ponens, dicit, quòd coniugium fuit ante peccatum institutum in officium, & Sacramentum, postea verò cum his in remedium. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc cōclusio. Baptismus Ioannis, qui prænunciauit baptismum Christi, exterius corpus lauabat, sed interiùs gratiam non conferebat. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quòd baptismus Ioannis prænunciabat baptismum Christi: à quo tamen differebat, quia baptismus Ioannis fuit in aqua solùm, & ad pœnitentiam præparans, & disponens, non autem remissionem peccatorum dabat: sed baptismus Christi fuit in aqua, & Spiritu sancto, & in ipso conferebatur remissio peccatorum. Postea proponit huius baptismi conditiones, & primò quantum ad vtilitatem. Vtilitas enim fuit præparatio ad baptismum Christi. Secundò quantum ad nominationem, quia dictus est baptismus Ioannis, eo quòd nihil ibi gerebatur, quod Ioannes non faceret. Tertiò quantum ad genus, quia largè potest dici Sacramētum, eo quòd rem sacram (scilicet baptismum Christi) significabat. Vltimò quærit, Vtrum baptisati à Ioanne essent iterum baptizandi baptismo Christi, & sub qua forma verborum baptizabat Ioannes. Et respondet ad primum, quod qui ponebāt spem in baptismo Ioannis, & perfectam fidem habebant, non erant rebaptizando baptismo Christi, sed confirmati per Apostolorum manuum impositionem receperunt Spirituum sanctum (sed hic Magister non tenetur). Ad secundum verò respondet, quòd Ioannes baptizabat in nomine venturi. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

QVID SIT BAPTISMVS.

DISTINCT. III.

T E X T.

Post hæc videndum est quid sit baptismus, & quæ sit forma, & quando institutus, & causa institutionis, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista tertia distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de quibusdam præambulis ad sacramenta nouæ legis: nunc consequenter in hac distinctione prosequitur de eis. Et quia superiùs posuit numerum, & ordinem Sacramentorum: hic modò rationabiliter incipit agere de primo, quod est baptismus. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quid sit baptismus, & quæ sit forma eius, & quando institutus fuerit. In secunda verò subdit huius Sacramenti materiam. In tertia autem, & vltima eius institutionis causam ostendit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Baptismus est exterior ablutio corporis sub debita forma verborum (idest cum expressa inuocatione sanctissimę Trinitatis) & quando Christus fuit baptizatus à Ioanne institutus. Quam quidem conclusionem Magister probans, diffinit baptismum, dicens; quòd baptismus est exterior ablutio corporis cum forma præscripta verborum. Accessus enim verbi ad elementum facit sacramentum, vt ait Augustinus.

Cætera verò ad decorē & honestatem pertinēt. Postea dicit, quòd forma eius est inuocatio Trinitatis, quam formā tradidit Christus in Euangelio Mat. cùm dixit. Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & Filii, & Spiritussancti. Tamen legitur in actibus Apostol. quosdam baptizatos fuisse in nomine Christi tantùm. Et respondet quòd secundum Ambrosium in nomine christi, qui idem est quod unctus, tota Trinitas intelligitur; quia Pater est ungens, Filius unctus, & Spiritussanctus unctio. Vndè huiusmodi occasione quærit, Verum, si tantùm una persona nominetur, & fides Trinitatis in corde teneatur, sit uerus baptismus. Et respondet quòd sic, secundùm Ambrosium, qui dicere uidetur, quòd tota Trinitas (si fides adsit) sub una persona intelligitur. Si uerò fides desit, & intentio faciendi quod facit Ecclesia, irritum est Sacramentum. Magister tamen dicit, quòd tutius est tres personas ibi nominare, ut dicatur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritussancti. Non autem debet dici in nominibus, quia non seruatur uera baptismi forma. Postea quærit quando fuerit institutus baptismus. Et respondens, ponit diuersas opiniones. Quidam enim dicunt, quòd sit institutus quando Christus dixit. Nicodemo. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Alii dicunt, quòd post resurrectionem quando Dominus dixit. Ite docete omnes gentes, quod Magister non approbat, quia constat discipulos Christi baptizasse ante passionem, qui (vt ipse dicit) baptizauerunt in eadem forma, in qua & nos. Et ideo Magister ponendo suam opinionem, dicit, quòd saluator suo baptismo (scilicet, quando fuit baptizatus à Ioanne) baptismum instituit, in quo Trinitas innotuit, quæ interiùs baptizat: quia Pater in voce, Filius in carne, Spiritussanctus in specie columbæ apparuerunt: tūc enim contactu suæ mundæ carnis: Christus enim regeneratiuam contulit aquis, vt qui postea in ea mergerentur inuocato nomine Trinitatis à peccato purgarentur. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur, ista alia conclusio. Materia baptismi debet esse aqua pura, & vtile est puerum mergi sub triplici mersa:a.

sura. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quòd aqua est materia huius Sacramenti, cùm ipsemet christus fuerit in aqua baptizatus, & etiam hoc ipse dixerit, Nisi quis renatus, fuerit, &c. Et hoc ostendit etiã passio Christi, quia de latere eius manauit aqua, quæ significauit baptismum, & sanguis, qui significauit Eucharistiam. Est enim aqua conueniens materia huius Sacramenti propter sui copiam, & communitatem, & etiam propter conuenientiam significati, quia sicut aqua abluit exteriùs sordes corporis: ita & baptismus interiùs mundat sordes animæ, postea quærit, an vna, vel trina immersio fieri debeat. Et respondet, quòd potest fieri vna, vel trina secundum diuersas locorum consuetudines: quia vna immersio vnitatem essentiæ, trina verò trinitatem personarum designat, & triduana Christi sepultura exprimitur. Postea quærit quando circuncisio cessauit; & dicit quòd in morte Christi, sicut cætera legalia. Et hæc de secunda parte sufficiãt. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Causa institutionis huius Sacramenti, est expiatio à macula peccati. Quam Magister insinuans, dicit, quòd causa institutionis baptismi est innouatio hominis, qui per peccatum vetus damnatus fuerat, per quam quidem innouationem intelligitur depositio vitiorum, & appositio virtutum. Vltimò quærit, Vtrum baptismus aperuerit cœlum, quòd non aperuit circuncisio. Et respondet, quòd nec baptismus, nec circuncisio, sed passio christi, per quam solutum est debitum naturæ. Concludit tandem quòd res huius Sacramenti est iustificatio à peccatis. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVOD ALII SVSCIPIVNT Sacramentum, & rem: alij Sacramentum, & non rem: alij rem, & non Sacramentum.

DISTINCT. IIII.

TEXT.

Hic dicendum est aliquos suscipere Sacramentum & rem Sacramenti: aliquos sacramentum, & n rem: aliquos rem, & non sacramentum &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quarta distinctio cum superiori, hu in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit d baptismo quantum ad ea, quæ conueniunt ei secundum se: hic per ordinem determinat de effectu baptismi quan tum ad suscipientes. Diuiditur præsens distinctio in tre partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo quidam suscipiant Sacramentum, & rem; uel Sacramentum, & non rem; aut rem, & non Sacramentum. In secunda uerò ostendit, qualiter aliter quàm per baptismum fluminis aliqui possint urgente necessitate saluari, scilicet contritione, uel martyrio cum fide, & charitate perfecta. In tertia autem, & ultima subdit, quòd non tantum prodest fides aliena paruulis, quantum fides aliena paruulis, quantum fides propria adultis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quæ sic inter suscipere Sacramentum baptismi, & rem Sacramenti, uel Sacramentum, & non rem, aut rem, & non Sacramentum differentia, hic declarat certa euidentia. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quòd quidam suscipiunt rem, & Sacramentum: quidam autem rem, & non Sacramentum: quidam uerò Sacramentum, & non rem. Determinat primum. Rem enim, & Sacramentum recipiunt adulti, qui cum fide baptizantur, & etiam paruuli, qui in baptismo ab originali mundantur; quamuis dicant aliqui

aliqui, quòd paruulis, qui non sunt electi, nec prædestinati, in baptismo peccatum non dimittatur, quod non est uerum, sicut auctoritate beati August. ostendit. Postea dicit, quòd illi qui sine fide, aut fictè accedunt ad Sacramétum, Sacramentum, & non rem Sacramenti recipiunt.
Postea obijcit in contrarium huius per August. qui uidetur dicere, quòd fictè accedentes in ipso momento, quo baptizantur, remissionem peccatorum accipiũt, licèt post baptismum remissio ipsa propter fictionem frustretur, uel quòd peccata redeant. Et idem uidetur dicere Apost. in Epist. ad Galatas. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et respondet ad hoc, quòd August. loquitur de hoc, conferendo, & inquirendo, & non determinando, neq; asserendo. Apost. aũt loquitur de his, qui in suo baptismo christo conformantur, qui, s. moriuntur vetustati peccati, sicut Christus vetustati pœnæ. Isti. n. Christũ induunt per inhabitantẽ gratiam ip sius. Vel dicũtur Christum omnes induere quantum ad Sacramenti ipsius perceptionem, & non quantum ad interiorem sanctificationem. Deinde dicit, quòd aliqui recipiunt rem Sacramenti, & non Sacramentum, sicut illi, qui propter fidem Christi sanguinem fundunt, & illi, qui cum fide bona, & contritione moriuntur, non habentes copiam recipiendi Sacramentum; sicut latro in Cruce, de quo non asserit August. Vtrum baptizatus fuerit, an non. Ex quo concludit, quòd sine aqua baptismi aliqui iustificamur, & saluantur.
Deinde obijcit per multas auctoritates, quòd tales saluari non possunt. Et respondet, quòd auctoritates intelliguntur, vbi homo habuit opportunitatem, & copiam recipiendi sacramentum, & sacramentum recipere contempsit. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio.
Baptismo sanguinis, vel flaminis sine fluminis baptismo in casu aliqui iustificari possunt, & consequenter saluari. Quã quidem conclusionem Magister insinuans, remouet errorem quorundã dicẽtium nullum adultum posse per fidẽ, & charitatem sine baptismo iustificari, nisi pro Domino san-

guinem fundat, innitentes quibusdam auctoritatibus Augustinus. Et respondet Magister, quòd auctoritates intelligendæ sunt si adsit tempus, & contemptus baptismi. Si autem aliquis fidem habeat, & charitatem, & baptizari voluerit, & non potest necessitate præuentus, tunc in tali casu omnipotentis benignitas supplet defectum Sacramenti. Quòd autem inuisibilis sanctificatio quibusdam insit adultis sine visibili Sacramento, ostendit quibusdam auctoritatibus B. Aug. Subdit tamen, quòd non est propter hoc visibile Sacramentum contemnendum, quia Sacramenti contemptor, inuisibiliter sanctificari non potest. De paruulis autem, quibus fides aliena subuenit, dicit secus esse, quàm in adultis. Non enim tantum valet fides aliena paruulo, quantùm propria adulto. Paruulis enim non sufficit fides Ecclesiæ sine Sacramento. Vnde si absque Sacramento fuint defuncti, dato quòd ad Ecclesiam deferantur pro baptismo, damnantur, & numero infidelium adscribuntur. Si autem baptizantur, fideles vocantur propter fidei Sacramentum. Quæ omnia auctoritatibus confirmat. Postea quærit, quas vtilitates conferret baptismus prius per fidem, & charitatem sanctificatis. Videtur enim superfluum esse, cùm nihil præstare videatur. Et respondet, quod non est superfluum, immò eis multum valet. Qui enim per fidem, & contritionem iustificantur, purgantur à peccati macula, & à debito pœnæ æternæ absoluuntur. Tenentur tamen ad satisfactionem, ad quam pœnitentes in Ecclesia obligantur. Per susceptionem autem baptismi hæc obligatio, seu satisfactio remittitur, & à peccatis (si quæ post conuersionem contraxerunt) mundantur, & gratia, & omnis virtus in eis augetur, & fomes in eis debilitatur. Quæ omnia auctoritatibus confirmat. Postea quærit, cùm in baptismo remittantur peccata, & reatus pœnæ soluatur, quare pœnalitates ex peccato consecutæ non tolluntur? Et respondet, quòd pœnalitates remanent post baptismum duplici ratione. Prima est, ne talis ablutio putaretur præmium baptismi tantùm, & non regnum æternum. Vt ergo studiosè illa vita quæratur, quæ erit à pœnis omnibus aliena, remanent pœnalitates. Secunda est,

da est, vt detur baptizatis pugnandi, & per consequens vincendi occasio. Non enim quis vinceret, nisi pugnaret, nec pugnaret, si in baptismo omnes pœnalitates tollerentur. Postea quærit, cùm prius iustificati postea baptizantur, cuius rei sit Sacramentum baptismus ille, & signum. Et respondet, quod remissionis prius factæ, sicut quandoque est signum remissionis peccatorum faciendæ postea, vt in illis, qui fictè accedunt, & recedente fictione rem Sacramenti recipiunt, vel reciperêt si pœniterent. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Non tantum prodest fides aliena paruulis, quantum fides propria adultis, & contritis. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum paruuli in baptismo recipiant gratiam. De adultis autem, qui dignè accedunt, non est dubium. Et videtur quòd non, quia gratia illa ad præparationem voluntatis datur, & paruuli actu voluntatis vti non possunt: igitur, &c. In contrarium tamen est, quòd non saluarentur, nisi reciperent gratiam. Et respondet, quòd recipiunt gratiam in munere, & non in vsu: vsum autem habent, cùm ad perfectam ætatem veniunt, nisi per liberum arbitrium vsum huius muneris peccando contingat extingui. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

QVOD BAPTISMVS ÆQVE sanctus est à bono, & à malo datus bono, vel malo.

DISTINCT. V.

TEXT.

Post hæc sciendum est, sacramentum baptismi à bo-

nis, & à malis ministris dari, sicut à bonis, & à malis sumitur, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quinta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Mag. superiùs egerit de baptismo secundum se, & per comparationem ad suscipientes: hic modò determinat de eodem per comparationem ad ministros conferentes. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter baptismus æquè detur à bono, & à malo ministro. In secunda verò subdit, qualiter hæreticus, siue schismaticus possit sacramentum recipere, sed non virtutem Sacramenti. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter Deus potuerit nobis conferre potestatem baptizandi, sicut potest etiam potentiam creandi. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Vnus verus baptismus à bonis, & à malis datur, & essentiale munus iustè confertur, siue à bono, siue à peruerso ministro aliquis baptizetur. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quòd baptismus, à bonis, & à malis ministris dari potest, & æquè sanctus est datus ab vtroque. Non enim peior baptismus datur à malo, quàm à bono, nec melior à bono, quàm à malo, nec maius, nec minus, sed æquale munus datur in baptismo dato à bono, aut à malo, quia non est hominis munus, sed Dei, quod pluribus auctoritatibus confirmat. Postea dicit, quod huius tota ratio est, quià baptismus non est eorum, scilicet, baptizantium, sed Christi. Christi enim in baptismo ministerium tantùm habent, potestatem autem sibi Christus retinuit. Vndè non dicitur baptismus Petri, vel Pauli, sed Christi. Potuit tamen potestatem baptizandi dare hominibus sed noluit, ne tot essent baptismi quot homines, & ne homo in homine spem poneret, quod auctoritatibus confirmat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio.

Quamuis

Quamuis hæreticus, siue schismaticus recipiat sacramentum, non tamen accipit virtutem illius, & incrementum. Quam Magister insinuans, dicit, quòd si hereticus, siue schismaticus baptismi sacramentum accipit, integrum sacramentum accipit; sed salutem, quæ est virtus sacramenti, non habebit, si, scilicet, extra Ecclesiam Catholicam ipsum sacramentum habuerit. Debet ergo ad Ecclesiam redire, non vt sacramentum baptismi iterum accipiat, quod nemo debet in aliquo reperere, sed vt in societate Catholica accipiat vitam. Baptismus enim extra Ecclesiam prodesse non potest, sicut nec elemosyna. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Iuxta sententiam Magistri, Deus potuit nobis conferre potestatem baptizandi, sicut & potentiam creandi creaturæ communicare potest. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Quæ nam sit illa potestas, quam christus potuit dare hominibus, & non dedit. Et respondet, quòd potestas dimittendi peccata, vt quidem dicunt. Contra quod obijcit sic. Potestas, quas Deus dimittit peccata, est idem quod Deus, ergo non potuit creaturæ dare hanc potestatem. Præterea si potestas dimittendi peccata potuit, & potest communicari creaturæ, ergo, & potestas creandi. Et respondet Magister ad primum, quod potestas dimittendi peccata, quæ creaturæ posset dari, esset potestas creata, & cuiusdam cooperationis, vt sicut creatura cooperatur Deo in exteriori mundatione per modum ministerij, ita posset cooperari in interiori. Ad secundum respondet, quod potestas creandi potest creaturæ communicari, non auctoritatiue, sed per ministerium. Quæ Magistri opinio in hac parte non tenetur communiter à modernis Doctoribus. Et hęc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVIBVS LICEAT BAPTIZARE.

DISTINCT. VI.

TEXT.

TEXT.

Nunc quibus liceat baptizare addamus, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista sexta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de baptismo per comparationem ad ministros: hic consequenter agit de eo quantum ad vsum, & solennitatem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter non solùm sacerdotibus, sed etiam laicis liceat in casu baptizare. In secunda verò subdit, qualiter verba per ignorantiam corruptè prolata non vitient baptismum. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter incerti de baptismo sint baptizandi. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quamuis solis sacerdotibus conueniat ex officio baptismi sacramentum ministrare, tamen non sacerdotibus etiam necessitate cogente baptizare licet. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd solis sacerdotibus ex officio baptizare competit, nisi forsan cogeret necessitas propter absentiam sacerdotis, in quo casu etiam laicis, & mulieribus permittitur baptizare. Subdit etiam, quòd baptizati ab hæreticis, si iuxta formam Ecclesiæ baptizati sunt, baptizandi non sunt, quia verum receperunt sacramentum, quamuis non sacramenti effectum, quod auctoritatibus confirmat. Deinde obiicit in contrarium auctoritate Cipriani dicentis, quòd ab hereticis non possit tradi baptismus, & ab eis baptizatos rebaptizandos esse. Magist. autem determinat hoc verum esse de his, qui præter formam Ecclesiæ baptizantur ab eis. Et dicit Ciprianum, hoc quod dicit ex ignorantia dixisse, & non benè hoc sensisse. Sed secundum Augustinũ eius ignorantia fuit martyrio purgata in eo. Et ne ex trina immersione triplex videatur esse baptismus, subdit, quòd trina immersio fit propter mysterium Trinitatis, nam vnum tantùm

tùm baptiſma facit. Poſtea inquirit, an aliquis in vtero materno poſſit baptizari, ex hoc quia mater baptizatur. Et reſpondet, quòd non, quia nullus poteſt renaſci antequam ſit natus. Poſtea obiicit in contrarium de Ioanne Baptiſta, & Hieremia, qui fuerunt in vtero ſanctificati. Et reſpondet, quòd iſta ſanctificatio fuit præter legem communem. Et adducit Aug. ambiguè loquentem, qualis fuerit ſanctificatio Ioannis. Et Vtrum in eo fuerit acceleratus rationis vſus, an non. Et hæc de prima parte ſufficiant. Pro declaratione verò ſecundæ partis, ponitur iſta alia concluſio. Sola ignorantia congruę locutionis, non deſtruit ſacramentum perfectę regenerationis. Quam quidem Magiſter inſinuans, quærit, ſi corruptè proferantur verba, quæ ſunt forma baptiſmi: Vtrum ſit baptiſmus. Et reſpondet, quòd corruptio proueniens ex ignorãtia proferentis verba, ſacramentum baptiſmi non vitiat, quod auctoritatibus confirmat. Et hæc de ſecunda parte ſufficiãt. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur iſta concluſio. Cui deeſt propinquorum, vel clericorum probabile teſtimonium, congruum eſt, vt ſibi conferatur baptiſmi ſacramentum. Quam quidem concluſionem Magiſter inſinuans, quærit. Vtrum ſint, baptizãdi illi, de quibus dubitatur, vel ignoratur, Vtrum ſint baptizati. Et determinat, quod ſic, quia non videtur iteratum quod collatum eſſe neſcitur. Poſtea quærit, Vtrum ſit baptizatus, an non ille, qui ioculando immergitur in nomine Trinitatis. Et reſpondet, quod ſi intentio fuit ioculandi, & non baptizandi, non eſt baptizatus. In baptiſmo enim, & aliis ſacramentis ſicut debita forma eſt ſeruanda: ita & intentio illud celebrandi eſt habenda. Poſtea dicit quod paruuli, qui ad baptiſmum deferuntur ſpe commodi temporalis, verum baptiſmum recipiunt. Deinde dicit, quod in paſcha, & in pentecoſte, ideſt, in ſabbato vtriuſque ſolemnitatis debet ſacramentum baptiſmi celebrari, neceſſitate tamen vrgente, vel periculo poteſt omni tempore dari baptiſmus. Deinde dicit, quod venientes ad baptiſmum, ſi ſunt adulti, debent per ſeipſos fidem ſuam profiteri, & exprimere: paruuli autem qui neſciunt per ſe loqui, poſſunt baptizari aliis

pro

pro se loquentibus, seu confitentibus. Quærit etiam ex quo sensu pro paruulo dicatur, credo, vel fidem peto. Et dicit, quod respondetur pro paruulo credere, vel fidem habere, & fidem petere propter fidei sacramentum, quod suscipere præsto est. Quærit etiam ex quo sensu respondeatur pro paruulo: Credo in Deum patrem, &c. Similiter quomodo pro ipso spondeatur omnibus diaboli pompis abrenunciare. Et respondet, quod in susceptione baptismi spondetur pro paruulo, quòd cùm ad maiorem. i. legitimam ætatem peruenerit, pompis diaboli renunciabit, & fidem sanam habebit. Et subdit, quod hac sponsione tenetur paruulus, pro quo fit sponsio, & non ipse, qui spondet; si tamen diligenter, & solicitè se habeat circa eum, quia à patrino exigitur diligens solicitudo. Vltimò dicit, quòd ante baptismum fit catechismus. i. instructio, per quam baptizandus instruitur de symbolo, & fidei rudimento. Exorcismus verò adiuratio est, per quam adiuratur diabolus, vt repellatur. Vndè in exorcismo dicitur, exi immunde spiritus. Subdit etiã, quod catechismus, & exorcismus sunt neophytorum. i. ad fidem nuper conuersorum. Catechizare. n. est in disciplinis Christianæ fidei, vel rudimentis religionis Christianę instruere. Et catechismus, & exorcismus magis debent dici sacramentalia, quam sacramenta: & præcedunt baptismum, non de necessitate, quia sine eis potest fieri, & esse baptismus. Sed ideò fiunt, vt baptizandus per catechismum de fide instruatur, & per exorcismum diaboli potestas in eo minuatur. Quod auctoritatibus confirmat. Et hęc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

DE CONFIRMATIONE.

DISTINCT. VII.

TEXT.

TEXT.

Nunc de sacramento confirmationis addendum est, de cuius virtute quæri solet. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista septima distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magist. superius egerit de baptismo; hic consequenter, & per ordinem agit de confirmatione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister proponit materiam, & formam huius sacramenti. In secunda verò subdit, hoc sacramentum non posse conferri nisi à solis Episcopis. In tertia autem, & vltima annectit, quo modo à ieiunis, & ieiunis confirmatio tradi debeat. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Quæ sit materia, & forma confirmationis declarat littera huius distinctionis. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò agendum esse de sacraméto confirmationis, cuius formam apertè dicit esse ipsa verba, quæ dicit Episcopus, cùm baptizatos chrismate sacro vngit in frontibus: in quibus verbis etiam tangitur materia eius, quę est chrisma consecratum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Hoc sacramentum confirmationis confertur à solis Episcopis, & dicitur maius baptismo veneratione, licèt baptismus plus valeat in peccatorum remissioné. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quòd sicut Apostolorum temporibus non potuit hoc sacramentum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis esse peractum: sic nec modò potest nisi ab Episcopis, qui locum eorum in Ecclesia tenent conferri. Quod si ab aliis conferatur, irritũ, & vacuũ habetur. vndè licet presbiter baptizatos vngere, vel tangere in pectore possit, nó tamen ei licet baptizatos chrismate in fróte signare.

Postea

Postea dicit, quòd efficacia huius sacramenti est, quòd in eo datur Spiritus sanctus ad robur ad nomen Christi publicè confitendum, & vt ipsi suscipientes plenè Christiani inueniantur, vt dicit Vrbanus papa. Obijcitur autem contra hoc, quod dixerat, hoc sacramentum à solis Episcopis posse perfici, per Gregorium, qui scribens Ianuario Episcopo, concedit quòd simplices presbiteri baptizatos tangere debeant vbi Episcopi desunt. Sed econtra dicitur, quod illud existimatur solùm esse semel concessum pro scandalo vitando. Subdit postea Magister, quòd hoc sacramentum videtur esse dignius baptismo, quia à dignioribus datur, & quia in digniori parte corporis fit, scilicet, in fronte, & forte quia per ipsum maius virtutum augmentum præstatur, quamuis baptismus plus valeat ad remissionem peccatorum. Et hæc de secunda parte sufficiant. pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio. Confirmatio ieiunis, & à ieiunis detur, nec semel data vlteriùs iteretur. Quam quidem Magister insinuans, dicit, quòd hoc sacramentum debet ieiunis, & à ieiunis tradi, sicut & baptismus, nisi aliter cogat necessitas, scilicet infirmitas, vel mors: nec debet iterari, sicut nec baptismus, nec ordo, ne fiat iniuria sacramento, quod tunc fit, quando sacramentum non iterandum iteratur. Et subdit, quòd indubitanter tenendum est, quòd baptismus, confirmatio, & ordo iterari non debent. De alijs autem, Vtrum debeant, vel possint iterari, dicit inferiùs esse determinandum. Et hęc de hac distinctione dicta sint satis.

De hoc vide loco suo. D. Bernardi. in fine litteræ Mag.

DE SACRAMENTO Altaris, & Eucharistiæ.

DISTINCT. VIII.

TEXT'

T E X T.

Post sacramentum baptismi, & confirmationis sequitur Eucharistiæ sacramentum. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista octaua distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de Sacramentis baptismi, scilicet, & confirmationis, hic modò per ordinem incipit determinare de sacramento Eucharistiæ. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister, ostendit, qualiter Eucharistiæ sacramentum, spiritualiter nos reficiat. In secunda verò ostendit, quando hoc sacramentum fuerit institutum. In tertia autem, & vltima quid in Eucharistia sit sacramentum, & quid res distinguit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Sicut baptismus vitia extinguit, ita Eucharistia spiritualiter reficit. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò, quod post sacramentum baptismi, & confirmationis agendum est de sacramento Eucharistiæ, per quod spiritualiter reficimur, & in bono confirmamur. In ipso enim non solùm conferuntur gratiæ, & virtutis augmenta, sed etiam ille totus sumitur, qui est totius gratiæ fons, & origo. Deinde subdit, quòd hoc sacramentum figuratum fuit tempore legis per manna, sicut & sacramentum baptismi in mari rubro: & tempore passionis Christi per sanguinem, qui de eius latere fluxit, sicut baptismus per aquam, quæ etiam exinde manauit: ante legem verò per oblationem panis, & vini factam à Melchisedech. Ponit etiam Magister alias conuenientias huius sacramenti ad manna. Et ostendit Magister in littera quomodo iste cibus illo sit excellentior. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Sacramentum Eucharistiæ Christus instituit, quando suum corpus, & sanguinem suis discipuli-

pulis in cœna porrexit. Quam quidem conclusionẽ Magister ponens, dicit, quod hoc sacramentum institutum est à Christo in cœna post esum agni paschalis, tempore quo Christus per præsentiam corporalem erat recessurus à discipulis. Deinde dicit, quod forma huius sacramenti talis est, qualem ipse dominus Iesus Christus edidit, scilicet, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Ita quòd cùm hæc verba proferuntur fit conuersio panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi. Cætera verò, quæ in missa dicuntur, ad laudem Dei dicuntur, & per eá fit oratio pro populo, & principibus. Vndè non sunt nisi laudes, obsecrationes, & petitiones fidelium. Quod auctoritatibus confirmat. Postea reddit rationem, quare Dominus hoc sacramentum, quasi quoddam memoriale suæ passionis post cœnam cum discipulis celebrato typico paschate instituit, vt, scilicet, ostenderet sacramenta veteris legis, inter quæ erat præcipuum (quantum ad significationem) agni paschalis sacrificiũ, in morte sua terminari, & nouæ legis sacraméta substitui, inter quæ excellit Eucharistiæ sacramentum. Et etiam vt districtius hoc sacramentum discipulorum memoriæ infigeretur. Et quamuis à Christo fuerit hoc sacramentum datum post cœnam: qualiter tamen de cætero sumendum fit, discipulis reliquit: à quibus statutum fuit, vt propter huius sacramenti reuerentiam iste cibus, prius quàm alij cibi, in nos intraret. Quod auctoritatibus confirmat. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. In isto sacramento sunt tria consideranda, quę etiam inter se sunt prudenter distinguenda. Quam quidé conclusionem Magister insinuans, ostendit quid in Eucharistia sit sacramentum, & quid res, dicens, quòd sacramentum est visibilis species, scilicet forma panis, & vini. Res verò huius sacramenti est gemina, vna, scilicet, contéta, & significata, vt corpus Christi verum, quod de Virgine traxit, & sanguis verus, quem nobis fudit. Alia verò significata, & non contenta, vt corpus Christi mysticum, quod est vnitas Ecclesiæ. Ex quo concludit, quòd in sacramento sunt tria distinguéda. Vnum

quod

quod est sacramentum tantùm, ut species uisibilis, scilicet, forma panis, & uini. Aliud quod est sacramentum, & res, ut est caro christi uera, & sanguis uerus. Tertium uerò quod est res tantùm, & non sacramentum, ut corpus Christi mysticum. Primum est sacramentum geminæ rei, scilicet, corporis christi ueri, & mystici, quia utranque rem significat, & utriusque rei expressam similitudinem gerit, ut patet in littera. Secundum uerò est res unius sacramenti, & sacramentum unius rei. Tertium uerò est res gemini sacramenti, scilicet speciei panis, & uini, & corporis Christi ueri. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE DVOBVS MODIS Manducandi,

DISTINCT. IX.

TEXT.

Et sicut duæ sunt res illius sacramenti, ita etiam duo modi manducandi. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista nona distinctio cum superiori hunc in modum. cùm enim Magister superiùs egerit de sacramento Eucharistiæ secundum se, hic consequenter determinat de eo quantum ad usum eius. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ostendit, duos esse modos manducandi. In secunda uerò subdit, hoc sacramentum siue à bonis, siue à malis sacramentaliter sumi. Pro declaratione igitur primæ partis ponitur hæc cõclusio. Duo sunt modi manducandi spiritualis, scilicet, & sacramentalis. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit, quòd secundum duas res huius sacramenti, sunt duo modi manducandi. Vnus scilicet, sacramentalis, qui consistit in sumptione ipsius sub uisibili sacramento, scilicet, sub specie panis, & uini. Alius spiritualis.

qui consistit in vnione ad Christum in sacramento. Vn illi spiritualiter manducat, qui in vnitate Christi, & Ecc siæ, quam sacramentum significat, manet: & ideò soli b ni manducant spiritualiter. Sacramentaliter verò mandu re possunt tam boni, quàm mali: tamen mali ad suum i dicium sumunt. Quod auctoritatibus confirmat. Et hæc prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secun partis, ponitur ista alia conclusio. Corpus Christi tam bonis, quàm à malis sacramentaliter sumi catholicè est a firmandum. Quam Magister insinuans, dicit, quòd rati ne quarundam auctoritatum quidam posuerunt, quòd malis Christi corpus non sumitur; ꝙ ostendit esse falsu multis auctoritatibus, quæ dicunt hoc sacramentum siue bonis, siue à malis sacramentaliter sumi, sed à bonis etia spiritualiter, à malis verò tantum sacramentaliter. Vltim dat intellectum quarundam auctoritatum, quæ sunt dubi. Vbi ostendit, quòd non solùm species panis, & vini, se etiam ipsum corpus Christi verum, potest dici verum sa cramentum, & ex hoc procedit ad expositionem istarum auctoritatum dubiarum. In fine postea concludit intentum dicens quòd hoc Sacramentum tam à bonis, quàm à mali sumitur. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE HAERESI ALIORVM, dicunt Corpus Christi non esse in altari, nisi in signo.

DISTINCT. X.

TEXT.

Sunt & alij præcedentium insaniam transcendentes qui Dei virtutem, iuxta modum naturalium re- rum

rum metientes, audacius, ac periculosius veritati contradicunt: asserentes in altari non esse Corpus Christi, vel sanguinem, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de sacramento Eucharistiæ quantum ad vsum eius, hic modò determinat de eo quantum ad veritatem. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ponit errorem quorundam dicentium, verum, & integrum corpus Christi non esse in altari. In secunda verò subdit multarum auctoritatum intelligentiam, asserendo finaliter, verum, & integrum corpus Christi esse in altari. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Ex fide constat verum corpus esse in altari, immò integrum Christum, contra quosdam, sub vtraque specie contineri. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit quosdam sic errasse, vt dicerent verum corpus Christi non esse realiter in altari, sed solum sic ibi esse, sicut significatum in signo, & hoc dicunt Dominum in Euang. notasse cùm dixit in Ioan. sumptionem huius, non corporaliter, sed spiritualiter esse intelligendam; vbi de hoc loquens ait. Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. Hoc idem confirmant auctoritate beati August. & vlterius per idem quod Dominus dixit in Mat. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Semper enim ipsum haberemus, si esset semper, & realiter in sacramento altaris. Dicit etiam Aug. quòd Christus vt Deus, est vbique, corpus verò in quo resurrexit, in vno loco oportet esse, scilicet, in Cœlo. His, & alijs vtuntur hæretici rationibus in assertionem sui erroris. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Per verba superiùs dicta negatur Corpus Christi esse in altari visibiliter, non autem inuisibiliter. Hanc ponens Magister, respondet ad supradicta, dicens, quòd

quòd per illa verba Domini in Euang. & August. non negatur Christi corpus esse in sacramento, sed significatur quòd corpus Christi non manducaretur visibiliter in forma humana, tanquam per partes diuisum, sed inuisibiliter sub speciebus panis, & vini; & ita non sub specie corporali, sed sub specie sacramentali. Quam expositionem Magister confirmat sanctorum auctoritatibus. Postea exponit, qualiter intelligi debeat quædam auctoritas Aug. qui videtur dicere corpus Christi visibile sumi, quæ auctoritas debet intelligi, quòd sumatur corpus quod de sui natura est visibile, licèt inuisibiliter sumatur sub speciebus panis, & vini totus Christus. Et videatur in littera diligenter, quia aliquantulum est obscura. Vltimò adducit multas auctoritates, per quas probat, quòd verum corpus Christi est in sacramento per conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem ipsius Christi. Et hæc de hac dist. dicta sufficiant.

DE MODO CONVERSIONIS.

DISTINCT. XI.

TEXT.

Si autem quæritur qualis sit illa conuersio, an formalis, an substantialis, vel alterius generis, diffinire non sufficit, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vndecima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de sacramento Eucharistiæ quantum ad suum esse, hìc consequenter agit de eo quantum ad eius fieri. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo substantia panis, & vini in verum cor-

corpus, & sanguinem Christi transsubstantietur. In secunda verò reddit rationem, quare Christi corpus sub aliena specie sumitur. In tertia autem, & vltima ostendit, quali- ter discipulis in cœna, Christi corpus passibile, & mortale dabatur, licèt nunc impassibile, & immortale sumatur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, non est formalis, sed quibusdam videtur esse substantialis. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit, qualis sit ista conuersio panis in corpus Christi verum, an, scilicet, sit formalis, vel substantialis, vel alterius generis. Et dicit quòd non est formalis, eo quòd species, quæ prius erant, manent. Postea dicit, quòd quibusdam videtur, quòd conuersio sit secundum substantiam, vel substantialis: eo quòd substantia panis, & uini essentialiter sit substantia corporis, & sanguinis Christi. Postea ponit circa hoc quorundam obiectionem: si enim sic intelligatur conuersio, tunc quotidiè sit aliqua substãtia corpus Christi, & sanguis Christi, quæ ante nõ fuerat, & sic corpus Christi quotidiè augetur, & ex materia aliqua formatur, quæ in conceptione non fuit. Et dicit Mag. ad hoc responderi posse, ꝙ panis fit corpus Christi, nec tñ propter hoc corpus Christi augetur, nec fit ex noua materia, præter eam ex qua in conceptione fuit formatum, quia non fit ex pane tanq̃ ex materia, sed per transubstantiationem miraculosam: & sic conceditur, ꝙ panis fit corpus Christi, sicut farina fit panis. Vnde bene conceditur, ꝙ illud quod erat panis, est corpus christi, non tñ manens panis, sed mutatus. Postea subdit, ꝙ panis non habet se, ut materia respectu corporis christi. Deinde dicit, quòd aliorum opinio est, hanc conuersionem sic esse intelligendam, quòd sub accidentibus, sub quibus prius erat substantia panis, & uini, post consecrationem sit substantia corporis, & sanguinis christi, non tñ illis afficiatur: substantiam autem panis, & uini dicunt uel in præiacentem materiam resolui aut, in nihilum redigi. Dicit etiã: Mag. ꝙ alij dicunt, scilicet, ꝙ substantia panis, & uini remaneat cum substãtia corporis scilicet, & sanguinis christi,

 & hæc

& hæc ratione illa substantia dicitur fieri ista, quia vbi est hæc, est & illa: & ipsam substantiam panis, & vini dicit esse sacramentum. Magister autem probat per aliquas authoritates, quòd post consecrationem nõ remanent nisi species panis, & vini, sub quibus realiter est corpus, & sanguis Christi. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Sub aliena specie corpus Christi tribus de causis traditur. Quam quidem conclusionem Magister ponens, assignat triplicem rationem, quare corpus Christi sub aliena specie sumitur. Prima est ad augendum meritum fidei, quæ est de his, quæ nõ videntur. Secunda ad vitandum horrorem, quia non habemus in vsu communi carnem crudam, & sanguinem manducare. Tertia ne detur infidelibus occasio irridendi. Sumitur etiam hoc sacramentum sub duplici specie, ad significandam duplicem naturam, quam Christus assumpsit, scilicet, animam, & carnem: & hoc sacramentum est ad tuitionem vtriusque. Et quamuis sit duplex species, & vnum tamen est sacramentum, & sub vtraque specie vnus Christus: nec dicitur benedictio iterari, quia ex vi consecrationis, & virtute conuersionis, non est sub specie panis, nisi corpus, nec sub specie vini, nisi sanguis, nec sunt eadẽ verba super vtranq; speciẽ prolata. Postea dicit, ꝙ hoc sacramentum non põt in alijs rebus confici, nisi in pane, & vino etiã admiscenda est aqua: si tamen per ignorantiam, vel negligentiam omittatur, verum est sacramentum, sed ille qui omisit est puniendus. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Quamuis Christus in cœna discipulis suis dederit corpus passibile, & mortale, tamen nunc sumitur impassibile, & immortale. Quam quidẽ Magister insinuans, dicit, quod Christus dedit discipulis suis tale corpus, quale tunc habuit, scilicet, passibile, & mortale: nos autem sumimus tale corpus, quale nunc habet, scilicet, impassibile, & immortale. Addit etiam, quòd Eucharistia intincta non est danda populo, quia soli Iudæ dedit Christus buccellam intinctam,

ftum, nec tunc dedit ei corpus suum, sed prius dederat cum ... discipulis. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

VBI ILLA ACCIDENTIA fundentur.

DISTINCT. XII.

TEXT.

Si autem quæritur de accidentibus, quæ remanent, idest de speciebus, & sapore, & pondere, in quo subiecto fundentur, potius mihi videtur fatendum existere sine subiecto, quam esse in subiecto, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista duodecima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de confectione huius Sacramenti: hic consequenter agit de consequentibus confectionem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima ostendit, qualiter accidentia remaneant in hoc sacramento sine subiecto. In secunda verò subdit, qualiter species visibilis in hoc sacramento frangatur sine vlla corruptione corporis Christi. In tertia autem, & vltima ostendit causas propter quas hoc sacramentum fuerit institutum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hęc conclusio. In hoc cœlesti sacramento species, seu accidentia remanent sine subiecto. Quam quidem conclusionem Magister ponens, proponit, quòd in hoc sacramento accidentia remaneant actu sine subiecto, quia ibi non est nisi substantia corporis, & sanguinis christi, quæ talibus accidentibus affici non potest

remanent tamen accidentia ad mysterij ritum, ad fidei suffragium, & etiam propter gustum, qui est vsus sacramenti. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur hæc conclusio. Species visibilis in hoc sacramento frangitur sine Christi nocumento. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Verum in hoc sacramento sit vera fractio. Et arguit, quòd non, quia Corpus Christi frangi non potest, & alia substantia ibi non est. Et respondet Magister, quòd quibusdam videtur, quòd ibi non sit vera fractio, sicut videtur, sed dicitur frangi, quia videtur frangi, nec tamen est propter hoc illusio, quia non ostenditur ibi fractio ad deceptionem, sed potius ad fidei vtilitatem. Alij verò dicunt, quòd verè frangitur corpus Christi, & tamen remanet integrum per miraculum. Quod confirmant ex confessione Berengarij, quæ ponitur in littera. Alij verò dicunt, quòd sicut ibi est species panis, & nó est ibi res, in qua sit species: ita ibi est fractio, quæ non est in aliqua re, quia nihil ibi frangitur, quod mirabiliter de potentia Dei fieri dicunt. Magister autem tenet, quòd sit ibi vera fractio, & fit in ipsis speciebus sacramentalibus, non autem in substantia corporis christi, immò secundum beatum Hier. sub qualibet parte fractionis est totus Christus. Et etiam Hilar. dicit vbi est pars corporis Christi, ibi est & totum. Postea dicit, quòd partium fractionis vna significat Corpus Christi, quod iam resurrexit, & est in cœlo. Alia significat Corpus Christi viuens in mundo. Tertia verò significat corpus Christi iacens in sepulchro. Quæ significatio potest etiam corpori Christi mystico adaptari. Deinde quærit, Verum illud quod gerit sacerdos celebrando missam, possit dici sacrificium, uel immolatio Christi. Et dicit, quòd sic, non tamen in re, sed in similitudine. Est enim memoriale signum, & figura immolationis semel factæ, nó autem quòd Christus singulis diebus occidatur. Quod auctoritatibus confirmat. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hæc conclusio, Hoc sacramentum datur in augmentum virtutis, & charitatis, & in remedium quotidianæ infirmitatis.

Quam-

Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quod hoc sacramentum duabus de causis est institutum, scilicet, in augmentum Charitatis, & in medicinam nostræ infirmitatis: quia enim quotidiè labimur in peccatum saltem veniale, ideò indigemus hoc sacramento, per quod deletur. Vltimò inquirit de modo vtendi hoc sacramento, an, videlicet, sit quotidiò communicandum. Et dicit ex sententia August. quòd quotidiè communicare, nec est laudabile, nec vituperabile. Vndè secundum grauamen peccatorum debet quis agere pœnitentiam, & consequenter communicare. Et ex necessitate Ecclesiæ saltem semel in anno communicare tenentur omnes fideles, scilicet, in paschate, ut habetur extra de pœn. & re. cap. Omnis utriusque sexus. Et hęc de hac distinctione dicta sufficiant.

SI HÆRETICI ET EXCOMMVnicati hoc Sacramentum conficiãt.

DISTINCT. XIII.

TEXT.

Solet etiam quæri, Vtrum praui sacerdotes hoc sacramentum conficere queant? &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decimatertia dist. cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de sacramento Eucharistiæ quantum ad esse, & fieri: consequenter hic agit de eius ministro. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarũ prima Magister ostendit, qualiter etiam mali sacerdotes hoc sacramentũ conficere possint. In secunda verò ostendit scismaticos, & hæreticos non habere potestatem consecrandi corpus Christi.

In tex-

In tertia autem, & vltima subdit, qualiter corpus Christi à brutis non sumatur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. A malo Sacerdote verum sacramentum conficitur, quia non in merito ipsius, sed in verbo creatoris efficitur. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum mali sacerdotes possint hoc sacramẽtum conficere. Et respondet Magister, quòd bonitas, vel malitia sacerdotis nihil ad consecrationem facit, quia consecratio nõ in merito consecrantis, sed in uerbo efficitur creatoris. In hoc enim sacramento sub tegumento rerum uisibilium diuina uirtus secretius operatur salutem. Quod auctoritatibus cõfirmat. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundę partis, ponitur ista alia conclusio. Scismaticum, & hæreticum non posse consecrare per Magistrum asseritur, & intentio in ipso consecrante necessariò exigitur. Quam Magister ponens, dicit, quòd ab Ecclesia Dei per excommunicationem, uel hæresim præcisi non uidentur hoc sacramentum posse conficere, quanuis sint sacerdotes: tũ quia oblatio huius hostiæ fit ex persona totius Ecclesię, ipsi autem sunt extra Ecclesiam: tum quia in huius sacramenti celebratione nuncius cœlestis mittitur ad benedicendum. Non est autem præsumẽdum, quòd Deus benedicat benedictionibus præcisorum ab Ecclesia, cùm ipse dicat per Prophetam. Maledicam benedictionibus uestris. Magister autem hic non tenetur à modernis Doctoribus. Postea dicit, quòd ad sacramenti huius perfectionem duo requiruntur, scilicet, ordo ministri, (uidelicet, quòd sit sacerdos) & intentio consecrandi, hæc saltem, quòd sacerdos intendat facere, quod facit Ecclesia. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur illa conclusio. Secundum Magistrum bruta animalia nullatenus christi corpus manducant. Hanc Magister ponens, dicit, quòd bruta animalia corpus christi non sumunt. Quid autem sumant quando species incautè seruatas comedunt, dicit se nescire, sed Deus scit. Similiter hic Magister non tenetur. Postea epilogat dicens, quòd de hoc Sacramento aliqua perstrinxit, quibus illi qui contradicunt,

dicunt, hæretici sunt censendi. Quid autem hæreticus sit, definit dicens, quòd ille est hæreticus qui falsas, ac nouas opiniones contra fidem gignit, aut sequitur. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE POENITENTIA.

DISTINCT. XIV.

TEXT.

Post hæc de pœnitentia agendum est. Pœnitentia longe positis a Deo necessaria est, ut appropinquent. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decima quarta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de Confirmatione, & Eucharistia, quæ sunt sacramenta ordinatam ad perfectionem in bono: hic modò determinat de pœnitentia, quæ ordinatur ad amotionem mali. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister quid pœnitentia sit, ostendit. In secunda verò ostendit, quomodo per consequens peccatum mortificata bona opera, per pœnitentiam reuiuiscant. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter publica pœnitentia pro eodem peccato non sit reiteranda. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Pœnitentia est virtus, qua nostra peccata voluntariè deplangimus, & ea vltrà cõmittere non proponimus. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò pœnitentiam necessariam esse. Est enim secundum Hieronymum secunda tabula post naufragium, ex eo, quod qui vestem innocentiæ in baptismo susceptam peccando corruperit, poterit etiam pœnitentiæ remedio reparare. Baptismus autem dicitur prima

primæ tabulæ. Unde pœnitentia iterari potest, non autem baptismus. Postea volens pœnitentiam definire, præmittit quatuor. Primò enim præmittit eius genus, quod est sacramentum, & virtus mentis: sed baptismus est sacramentum tantùm. Est enim duplex pœnitentia, scilicet, interior, & exterior. Interior est virtus, exterior verò est sacramentum. Secundò eius doctrinam, propter enim ipsius vtilitatem tam Christus, quam Ioannes Baptista prædicationem à pœnitentia inceperunt, dicentes. Pœnitentiam agite appropinquabit in vobis regnum cœlorum. Tertiò eius actum. Dicitur enim pœnitentia à puniendo, quia per pœnitentiã illicita puniuntur. Quartò eius originem quia pœnitentiæ virtus timore concipitur. Quibus præmissis definit pœnitentiam secundum beatum Ambrosium dicentem, quòd pœnitentia est preterita mala plangere, & plangenda iterũ non committere. Postea dicit, quòd ex hac definitione quidam moti fuerunt ad dicendum, quòd non sit vera pœnitentia, quæ peccato sequenti maculatur, quia verè pœnitentem dicunt vltrà damnabiliter non peccare; quod etiam auctoritate Isid. confirmant, qui dicit talem pœnitentiam irrisoriam esse. Secundò auctoritate Aug. qui dicit eam esse inanem. Tertiò auctoritate beati Greg. qui dicit eam esse meritoriam grauioris pœnę. Quartò auctoritate Ambros. dicentis veram pœnitentiam non esse iterandam. Quæ auctoritates patent in littera. Postea determinat veritatem, & excludit dictum errorem dicens, quòd cessatio à peccatis præteritis, & dolor de eis cum proposito cauendi futura, ad veram pœnitentiam sufficit. Et ex hoc soluit pœnitentiæ definitionem supra dictam, in qua dicitur, quòd ad pœnitentiam peragendam pertinet peccata iterum non committere, dicens, sufficit, pro vera pœnitentia, quòd pœnitens plangenda iterum non committat proposito voluntatis, i. ꝙ habeat propositum non peccandi. Et per hoc soluit etiã auctoritatem Isid. dicentis. Ille irrisor est, qui cum proposito committendi pœnitet. Et hæc de prima parte sufficiat. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Viatoris bona opera, quæ per consequens peccatum defi-

Sic & Greg. diffinit pœnit.

deficiunt, per veram pœnitentiam iterum reuiuiscunt. Hãc Magister insinuans, soluit auctoritates quasdam prædictas, & specialiter Aug. dicentis, quòd pœnitentia, quam con sequens coinquinat culpa, dicitur inanis, quia fructu pœnitẽtiæ caret, quæ est vitatio gehẽnæ, & adeptio gloriæ. Caret autem fructu pœnitentiæ, quia per consequens peccatum illa pœnitentia, & etiam alia acta bona mortificantur, vt scilicet, non sortiantur mercedem, quam meruerunt cùm fierent. Si tamen de peccato succedenti agatur pœnitentia, bona, quæ præcesserunt, reuiuiscunt, s. illa solùm quæ ex charitate prodierant: quæ autem viua non fuerunt, reuiuiscere non possunt: quæ verò viua fuerunt, reuiuiscere possunt. Quod autem August. dicit, nihil prosunt lamenta si replicantur peccata, sic intelligendum est, vel quia peccata remissa redeunt, ut quidam dicunt: eo quòd nihil relinqui tur de vitæ mundicia. Vel si non redeunt peccata, saltem propter ingratitudinem, ita reus, & immundus constituitur ac si peccata dimissa redirent. Addit etiam duo dicta ab Aug. quæ uidentur facere in confirmationem erroris. Vnum est, quia Aug. dicit, quòd pœnitens semper debet pœnitentiam tenere, ita tamen, quòd de dolore gaudeat. Soluendo istud dicit, quòd intelligitur de pœnitentia perfectorum, qui pœnitentiam vsque in finem vitæ suæ continuant. Aliud, quod Aug. dicit, est quòd nihil de venia relinquitur quando homo post pœnitentiam in peccatum relabitur. Respondendo dicit verum esse quantum ad reditum peccatorum simpliciter, vel quantum ad ingratitudinem, vt dictum est. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Quis uis publica pœnitentia pro grauioribus inflicta, non sit pro eodem reiteranda, communis tamen confessio, & pœnitentia est nobis frequentius peragenda. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, soluit auctoritatem beati Ambros. qui dicit pœnitentiam non esse iterandam propter reuerentiam Sacramenti, dicens, hanc esse intelligendam de pœnitentia solenni, quæ pro grauibus culpis infligitur, quæ non iteratur ne vilis reputetur.

Quod

Quod auctoritatibus confirmat. Vltimò, quia quidam dixerunt, quòd pœnitentiæ non debent iterari, quia facilitas pœnitentiæ esset incitatio ad peccandum; ideò probat per plures auctoritates, quòd pœnitentia semper iterari potest; quod confirmat exemplo Dauid, qui bis ueniam impetrauit, semel de commissione adulterij, & homicidij, & postea de numeratione populi. Ex quo patet ueram pœnitentiam sæpius agi posse. Et quia prædicti, qui sic errauerunt circa pœnitentiam, innitebantur quibusdam uerbis Apost. in epist. ad Heb. ideò dicit Magister, quòd Apost. non negat ibi secundam pœnitentiam, sed secundum baptismum. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVOD PLVRIBVS IRRETITUS peccatis non potest pœnitere de vno verè, nisi de omnibus pœniteat.

DISTINCT. XV.

TEXT.

Et sicut prædictis auctoritatibus illorum error conuincitur, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decima quinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de pœnitentia, quantum ad sui quiditatem: hic consequenter determinat de ea, quantum ad eius integritatē. Diuiditur præsens distinctio in duas partes principales. In quarum prima Magister ostendit, qualiter verè nullus possit

possit de vno peccato, nisi de omnibus pœniteat, pœnitentiam agere. In secunda verò ostendit, eleemosinam in mortali culpa factam non valere. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hęc conclusio. Nemo verè potest de vno delicto pœnitere, nisi de omnibus agat culpis pœnitentiam. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit, quod sicut erroneum est dicere pœnitentiam non posse iterari, vt suprà per auctoritates probatum est: ita erroneum est dicere, quod de vno peccato sine aliis possit pœnitentia agi: quod quidam dixerunt confirmantes errorem per auctoritatem Prophetæ Naum dicentis. Non iudicauit Deus bis in idipsum. Ex qua auctoritate arguunt hic. Si quis vnum peccatum Sacerdoti confiteatur tacitis aliis, & pœnitentiam sibi iniunctam perfecerit pro illo, non debet amplius satisfacere, nec pœnitentiam agere, alioquin Deus bis in idipsum iudicaret, dum sacerdos, qui vicem Christi in Ecclesia gerit, bis pro eodem peccato pœnitentiam imponeret. Igitur de vno peccato solo sine aliis potest pœnitentia agi. Postea soluit, & dicit, quod hæc auctoritas nó cogit, intelligitur enim solùm de illis, qui per flagella corriguntur, & conuertuntur, & perseuerant in bono. Tales enim iterum non iudicantur. Secus autem est de illis, qui per flagella non corriguntur, sicut Pharao. In talibus enim videtur iudicium incipi in præsenti, & terminari in futuro secūdum Aug. Vndè incidentaliter subdit Magister, quandam vtilem distinctionem, dicens, quod flagella infliguntur, vel ad augmentum meritorum, sicut factum est in Iob, vel ad custodiam virtutum, vt patet in Paulo, cui datus est stimulus Satanæ: vel ad corrigendum peccata, sicut Mariæ sorori Moysi inflicta est lepra: vel ad gloriam Dei, vt patet in cęco nato: vel ad initium pœnæ futuræ, vt patet in Herode, qui scaturiuit vermibus, Act. 12. Postea exponit quasdam auctoritates Hieronymi super dicto verbo Naum dicentis, genus humanum diluuio, Sodomitas igne, Egyptios mari, & Israelitas in heremo temporaliter punitos fuisse, ne in æternum punirentur, quia Deus non punit bis in idipsum. Non esse autem de omnibus generaliter intelligendum

Magi-

Magister affirmat, dicens, quòd hoc intelligitur solùm de illis, qui inter flagella pœnitentiam egerunt. Qui autem per temporalia flagella puniuntur, & non corriguntur, postea æternaliter puniuntur. Quod confirmat auctoritate Hier. qui dicit leuia peccata leui, & temporali supplicio puniri. Pro leuibus enim non punitur quis æternaliter. Grauia verò, & hic purgari graui supplicio, & in futuro æternaliter punienda, scilicet, de quibus pœnitentiam inter flagella non egerunt. Et subdit, quòd illud in bonis non est dubium, quia, si bona leuia leuiter remunerantur: bona verò maiora hic, & in futuro remunerabuntur. In malis quoque sic intelligitur, vt dictũ est. Ex quibus omnibus concludit, quòd dictas auctoritas nihil pro prædicta opinione facit. Postea inducit auctoritates sanctorum ad confirmationem dicti erroris, & primò ponit auctoritatem Gregor. qui dicit, vnã ciuitatem complui, & aliam non, (vt melius poteris videre in littera) & est quando quis de vno peccato pœnitet, & de alio non. Postea ponit auctoritatem Ambr. qui dicit, quod si fides desit, pœna satisfacit, vt possit de aliquo peccato satisfacere. Postea ponit ad idem vnam rationem ipsorum, quæ talis est. Aliquis qui de vno peccato pœnitet, & satisfacit alijs tacitis, de quibus postea si confessus fuerit, non videtur rationabile, quòd pro peccato illo non iterato satisfaciat. Nec videtur rationabile secundum consuetudinem Ecclesiæ pro eodem peccato non iterato vlli pœnitentiam bis imponi. Ergo similiter illa satisfactio, qua de vno peccato satisfacit, & sufficiens. Postea respondet ad ista, & primò ad auctoritatem Gregorij, quæ est intelligenda quantũ ad operis desertionem, & non quantum ad veniam. potest aliquis vnius peccati opus deserere, & nõ alterius: nõ tamẽ de vno sine alijs ueniam obtinebit, sicut in littera declarat. Ad auctoritatem uerò Ambros. respondet, quòd accipitur ibi fides pro scientia peccati, non autem pro habitu fidei. Aliquando enim peccatum est, cuius conscientiam homo non habet; quia quod non recolit, per pœnam flagelli purgatur, dum tamen patienter homo flagella acceperet. Postea soluit rationem, cùm enim obijcitur de isto qui satisfacit,

Parti- tertiò quæ- propò

Vtrum sit ei satisfactio imponenda. Dicit Magister, quòd falsa, quia prior satisfactio non fuit digna, & vera satisfactio, quia secundum Aug. satisfacere est peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere, quæ duo non facit qui in aliis peccatis remanet. Et hæc de prima parte sufficiant, pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Eleemosynæ, quas faciunt in mortali peccato existentes, nec sunt meritoriæ, nec Deo placentes. Hanc Magister insinuans, proponit auctoritatem beati Aug qui dicit, quòd quidam in peccato permanentes, putant per eleemosynas quas faciunt mereri aliquam purgationem peccati, propter quod Dominus dicit, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quod dictum non benè intelligunt, quoniam multa sunt genera eleemosynarum, vt ponit Magister in littera. Eleemosyna enim duplex est spiritualis, & corporalis. Cùm autem Eleemosyna sit opus misericordiæ, & scriptum sit, miserere animæ tuę placens Deo, congruum est, vt homo det prius sibi eleemosynam, quàm alteri: qui autem impœnitens est, non miseretur animæ suæ, cum scriptum sit, qui diligit iniquitatem odit animam suam: & ideò prius debet homo misereri animæ suæ de omnibus verè pœnitendo, & postea dare alijs eleemosynas corporales. Ex quibus concludit, quòd illis, qui de vno peccato satis faciunt sine aliis, est iterum satisfactio imponenda. Postea ponit aliquorum opinionem dicentium, quòd licèt satisfactio non valeat de vno peccato sine alio, valebit tamen, quando de alio peccato agetur pœnitentia: quod probatur pet auctoritates positas in littera. Mag. autem respondet ad illas auctoritates, dicens, eas non debere intelligi, quòd bona quæ fiunt in aliquo, quandiu est in peccato, viuificentur per sequentem pœnitentiam: & si intelligeretur de bonis factis in peccatis, exponẽdum esset, quòd valerent ad diminutionem pœnę inferni, & non ad consecutionem pręmij ęterni. Et sic patet, quòd sine charitate vera pœnitentia esse non pôt. postea concludit, quòd de vno peccato sine alijs non pôt pñia agi, vt probatum est.

de quo non habet conscientiã

Satisfactio de vno peccato sine alio non valet.

Improbat etiam errorem supradictum huic veritati co trarium auct. Aug. dicentis, quòd Dominus nunquam al quem sanauit, quem totaliter non sanauerit, ut patet in li tera. In quo nos docuit, quòd de vno peccato sine alijs no potest fieri pœnitentia; alioquin sequeretur, quòd à De posset haberi dimidia, vel etiam integra venia absque ve pœnitentia. Quæ omnia sunt inconuenientia. Omne enir peccatum dimittit Deus, aut nullū: est enim inimicus om nis peccati. Addit etiam, quòd vera pœnitentia est illa, qu ad baptismi puritatem ducit, & quæ veteris, vitæ mutatio nem facit, & quæ omne peccatum abolet, quod fit quand aliquis pœnitet de omnibus peccatis cum proposito no committendi, & satisfaciendi de commissis. Propter quo permanens in opere peccati, ve am pœnitentiam haber non potest. Vltimò in fine addit, quòd vera pœnitentia ag potest absque restitutione, quando, scilicet, non adest facu tas emendandi, vel restituendi, vt cùm oculus, uel uita ali cui iniustè eripitur. Si enim quis verè pœnituerit, & aliter pro vt potest satisfecerit, veniam consequetur. Si autem adest facultas possibilis, tunc nullo modo potest pœniten tia vera agi, nisi ablatum restituatur. Et hæc de hac distin. dicta sufficiant.

DE TRIBVS QVÆ IN POEnitentia consideranda sunt.

DISTINCT. XVI.

T E X T.

In perfectione autem pęnitentię tria obseruāda sunt, scilicet, compunctio cordis, confessio oris, satisfa ctio operis, &c.

EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista decimasexta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egit de pœnitentia generaliter: consequenter hic agit de partibus eius specialiter. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo penitentia ex tribus partibus integretur. In secunda vero subdit, quanta pęnitentia pro quolibet peccato dignè iniungatur. In tertia autem, & ultima ostendit remediū peccatorum venialium. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. In tribus consistit perfectio pęnitentiæ, scilicet, cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione. Quam quidem Magister ponens, dicit, quòd perfecta pœnitentia requirit in corde contritionem, in ore confessionem, & in opere satisfactionem. Nam his, scilicet corde, ore, & opere, peruersaque operationis consuetudine peccamus, & spiritualiter morimur. In cuius rei signū Christus tres mortuos suscitauit, vnum in domo, alium extra portam, tertium iam fętidum in sepulchro. Quæ oīa patent in littera. Postea dat modum veræ pęnitentiæ, & primò quantum ad cordis compunctionem, dicens, compunctionem in pęnitentia esse necessariam, vt cōsiderentur peccatorum circunstantię, & damna, quę per peccata incurruntur; & ēt bona, q̄ per peccatū amittimus, sicut patet ex dictis Aug. & plenius habet in littera. Et sic de oībus habere debemus cōtritione, & Deū pro venia orare, sacerdotiq; oīa peccata confiteri, nec non ad arbitriū sacerdotis satisfacere. Subdit postea, q̄ confessio diuidi nō debeat, ut melius dicet in seq. dist. Et hæc de prima par. suffic. Pro declaratione vero secundæ par. ponitur ista alia conclus. Verè & condignæ pœnitentiæ dicuntur, quæ secundū auctoritates sanctorum pro qualitate, & quantitate criminū imponuntur. Quam quidem Mag. insinuans, dicit, q̄ qui uolunt facere fructus dignos pœnitentiæ, restringant se à ludis, & spectaculis seculi, quæ impediunt q̄nque veram pœnitentiam; & veram

satisfactionem faciendo, dignos fructus pœnitentiæ explẽt, vt, videlicet, secundum qualitatem, & quantitatem culpę, sit qualitas, & quantitas pœnæ. Hic enim est ueræ pœnitentiæ modus. Postea etiam dicit, quòd ille facit indignos fructus pœnitentiæ, uel falsam pœnitentiam, vel falsam facit satisfactionem, qui existens in statu, officio, uel negotio, in quo non potest permanere sine peccato, ad pœnitentiam accedit, & statum, officium, vel negotium non dimittit. Expedit tamen illi aliqua bona opera facere, (si statum non dimittit) ut Deus cor eius ad pœnitentiam illustrat. Postea distinguit triplicem pœnitentiam, illam, scilicet, quę agitur ante baptismum, quia adultus cùm baptizatur non potest nouam uitam inchoare, nisi pœnituerit eum veteris uitę. Alia est pœnitentia post baptismum. Et hęc est duplex. Vna, quę agitur pro mortalibus peccatis, quę sunt contra pręcepta decalogi. Alia uerò, quę agitur pro venialibus, quę, scilicet, ex infirmitate humana proueniunt: quæ etsi leuia videantur, multiplicata tamen grauant, sicut aqua paulatim intrans submergit nauem. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur ista conclusio. Quę sit peccati venialis pœnitentia declaratur hic lucida sententia. Quam Magister ponens, dicit, quòd ad deletionem horum peccatorum venialium, & ieiunium sufficiunt oratio dominica, & eleemosyna cum aliquali contritione. Pro mortalibus uerò non sufficit contritio, oratio, vel eleemosyna, sed requiritur confessio quoque & satisfactio. Et hęc de hac distinctione dicta sint satis.

TRIA PROPONVNTVR QVÆrenda, primum an sine confessione dimittatur peccatum.

DISTINCT. XVII.

TEX-

T E X T.

Hic oritur quæstio multiplex, primò enim quæritur. Utrum absque satisfactione, & oris confeßione per solam cordis contritionem, peccatum alicui dimittatur. &c.

E X P O S I T I O.

Connectitur ista decimaseptima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de partibus pœnitentiæ: hic consequenter circa determinata mouet tres quæstiones incidentes, quas secundum ordinem soluit. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Mag. ostendit, qualiter sine confessione, & satisfactione cum voto extrinsecus pœnitendi cõtritio sufficiat ad deletionem peccati. In secunda verò subdit, secundum ordinem Ecclesiæ necessariam esse confessionem Sacerdoti factam. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter in periculo mortis possumus etiam Laicis confiteri. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclu sio. In cordis vera contritione peccatum à Deo dimittitur, si votum dimittendi, & satisfaciendi firmiter concipitur. Quam Magister insinuans, proponit tres esse quæstiones quarum prima est, Vtrum ad remissionem peccati sufficiat sola cordis contritio sine confessione, & satisfactione. Postea Mag. ad illam respondens, (in alijs duabus partib. alias duas quæst. proponemus) tangit diuersas opiniones. Quidam. n. dixerunt contritionem sine confessione sufficere ad salutem. Ad quod confirmandum adducunt plures auctoritates, per quas nituntur ostendere, quòd solùm propositum confitendi, & interior cordis gemitus sufficiunt ad deletionem peccati. Vnde & leprosi mundati sunt antequam ostenderent se sacerdotibus. Et Lazarus prius suscitatus est in monumento, quàm foras prodiderit.

Alij verò dicunt necessariam esse confessionem, nec sine ea peccatum dimitti, si adsit tempus confitendi; qui dictas auctoritates soluunt, & alias pro se inducunt, quæ videntur dicere, quòd sola confessio iustificat, & à morte liberat hominem. Et postea in littera dicitur, quòd si sine confessione, & peccati contritione, & pœnæ solutione delerentur peccata, tunc claues Ecclesiæ frustra institutæ viderentur: inducunt etiam quasdam auctoritates, quæ videntur probare, quòd sine pœnæ alicuius solutione non fiat remissio peccatorum. Postea determinat hanc quæstionem dicens, quòd sine exteriori confessione, & pœnæ solutione deleantur peccata per contritionem, & humilitatem cordis, & confitendi propositum. Contritio enim est quædam cordis confessio. Vbi tamen adest facultas, necessaria est confessio, & satisfactio, confessio, scilicet, oris, & satisfactio operis. Auctoritates autem supradictæ, quæ dicunt sine confessione, & satisfactione remitti peccata, referendæ sunt ad confessionem cordis, & ad interiorem pœnitentiam cordis. In hoc ergo concluditur tota determinatio Magistri, quod antequam fuerit confessio in ore, si votum confessionis sit in corde, sequitur remissio peccatorum: oportet tamen pœnitentem confiteri si tempus habeat. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis in contritione verè peccatum sit deletum, est tamen absolutio danda per sacerdotem discretum.

Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit secundam quæstionem, quæ est. Vtrum sufficiat soli Deo confiteri, & non Sacerdoti: vel an etiam sit necessarium Sacerdoti confiteri. Et respondens adducit multas auctoritates, quæ videntur dicere, quòd solæ lachrymæ interiores lauant delictum, & quòd soli Deo sufficit confiteri. Quæ auctoritates patent in textu. Postea ostendit oppositum, videlicet, quòd præter confessionem Deo factam oportet confessionem facere sacerdoti, si facultas adsit. Et hoc probat per multas auctoritates, inter quas est illa Iacobi. Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. Deinde Aug. & Leonis Papæ, quæ patent in textu. Ex quibus concludit, quòd oportet

et Deo primum, Deinde verò Sacerdoti confiteri, si facultas adsit: nec aliter posse perueniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur hęc conclusio. Si in periculo mortis copia Sacerdotis nullatenus posset haberi, tunc licitum est ad cautelam Laico confiteri. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit tertiam quæstionem, quæ est. Vtrum confessio debeat, vel possit fieri Laico. Et determinat, quòd facienda sit discreto Sacerdoti, qui sciat soluere, & ligare, vt simul cum potestate absoluendi habeat iudicium, & discretionem: si tamen Sacerdos defuerit, facienda est confessio Clerico, si adsit, si non adsit, tunc Laico fieri, debet confessio: Vt etiam notat D. Tho. super hanc dist. Qu. 3. ar. 3. Postea ponit opinionem Bedę, qui videtur dicere, quòd leuia peccata licet socijs confiteri, etiam adsente sacerdote, & sufficit, si tamen non prætermittatur Sacerdos ex contemptu: grauiora verò Sacerdoti confitenda. Si autem Sacerdotum copia non adsit, tunc grauiora etiam sunt socijs confitenda. Mag. tamen dicit, quòd tutius, & perfectius est simul leuia, & grauia Sacerdotibus confiteri, quibus concessa est potestas ligandi, atque soluendi. Postea respondet ad illas auctoritates, quæ videntur sonare, quòd sufficeret confiteri Deo. Et primò ad auct. Chrys. qui dicit, quòd peccator non debet se in publicum prodere, dicit Mag. quòd hoc intelligendum est, quòd non oporteat coram multis hominibus publicare peccatũ, sed sufficit Sacerdoti dicere. Ad illud autem Ambr. dicentis lachrymas lauare delictum, dicit intelligendum esse, si confessio saltem soli Sacerdoti facta sit, etsi non fiat confessio publica criminis. Per idem respondet ad auctorit. Prosperi, nempè, quòd sufficit sine confessione publica seipsum punire, & iudicare: non tamen per hoc excludit confessionem priuatam, quæ fieri debet Sacerdoti. Vt etiam, melius videre est in littera. Vltimò dicit necessariam esse confessionem. Primò quia est pars pœnitentiæ propter erubescentiam confitentis. Secundò quia per confessionem Sacerdos intelligit qualiter de peccato debeat iudicare. Tertiò quia

per confessione peccator redditur humilior, & cautior, Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE REMISSIONE SACERdotis.

DISTINCT. XVIII.

TEXT.

Hic quæri solet, si peccatum omninò dimissum est à Deo per cordis contritionem, ex quo pœnitens votum habuit confitendi, quid postea dimittatur à Sacerdote? &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur ista decima octaua distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cum enim Magister superius egerit de pœnitentia quantum ad eius partes: hic consequenter agit de potestate ministrorum hoc sacramentum dispensantium. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quæ nam claues Sacerdotibus sint concessæ. In secunda verò, quomodo solus Deus peccata dimittat, subdit. In tertia autem, & vltima modum, quo Sacerdotes ligant, & soluunt, adiungit. Pro declaratione igitur primæ partis ponitur illa conclusio. Claues hæ Sacerdotibus concessæ, sunt scientia discernendi, & spiritualis potentia iudicandi ligandi scilicet, & soluendi. Quam quidem conclusionem Mag. insinuans, quærit cùm sola contritione cum proposito confitendi dimittatur peccatum quantum ad maculam, & reatum pœnæ æternæ, quid dimittat Sacerdos in sua absolutione, & quid virtus clauium operetur? postea determinat Mag. quæstionem, & dicit,

dicit, quòd illæ claues non sunt corporaliter, sed spiritualiter, intelligendæ: & nihil aliud sunt, quàm scientia discernendi, & potentia iudicandi ligandi, & soluendi, qua Iudex ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere à regno Dei debet, i. ab Ecclesia, vel sacramentorum perceptione; Vbi etiam subdit, quòd ius ligandi, & soluendi Sacerdotibus Ecclesiæ competit, & non hæreticis. Postea dicit, quòd vsus clauium in duobus consistit, scilicet, in discernendo ligandos, & soluendos, & in soluendo soluendos, & ligando ligandos. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur illa alia conclusio. Solus Deus maculam culpæ abstergit, & à debito mortis æternæ absoluit. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit, quid operetur sacerdos in absoluendo à peccato, Vtrum, scilicet, culpam, vel pœnam etiam tollere possit. Tangit autem Magister circa hoc duas opiniones. Quibusdam enim videtur, quòd Deus animam suscitet à morte, & sacerdos remittat reatum pœnæ. Vnde & Dominus Lazarum prius suscitauit, & viuificauit, & postea Apostolis soluendum dimisit. Alijs verò videtur, quòd solus Deus sicut animam viuificat interius tollendo culpam, sic & pœnæ æternæ reatum relaxat: & tamen sacerdotibus tradita est potestas dimittendi peccata, & retinendi. sicuti enim solus Deus potestatem baptismi sibi retinuit, ita etiam pœnitentiæ. Et hanc opinionem Magister tanquam rationabilem approbat. simul enim cum culpa pœna dimittitur, quia nemo verè conteritur, nisi homo qui est in Charitate: qui autem charitatem habet vita dignus est æterna, & non pœna æterna, vel morte; & ideò Deus qui dimittit culpam, etiam dimittit pœnam. Quod sanctorum auctoritatibus confirmat. Postea dicit, quòd non obstante, quòd solus Deus dimittat peccata, verum tamen est, quòd etiam sacerdotes habent potestatem dimittendi, & retinendi peccata, & sic aliquid operantur per istam potestatem, qua peccata dimittunt, & retinent, quod pluribus auctoritatibus confirmat. Postea dat vnum modum, quo sacerdotes dicuntur ligare, & soluere, dicens, quòd Deus per se dimittit culpam

culpam mundando animam à macula culpæ, & soluendo debitum pœnæ æternæ debitæ. Sacerdotes verò ligant, & soluunt remissionem factam, uel non factam manifestando, & ostendendo. Vnde & Dominus prius, & per se leprosis sanitatem restituit. Deinde verò ad Sacerdotes misit quorum iudicio ostenderentur mundati: quoniam etsi aliquis apud Deum sit absolutus, non tamen in facie Ecclesiæ absolutus habetur, nisi per iudicium Sacerdotis. Vnde sicut Sacerdos legalis lepram non mundabat, sed inter mũdos, & immundos discernebat. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur ista conclusio. Sacerdotes ligant cũm satisfactionem imponunt pœnitentibus, tunc verò purgatos ad Sacramentorum cõmunionem admittunt. Quam quidem conclusionem Magister ponens, continuat prædicta, scilicet, ponendo aliũ modum, quo Sacerdotes dicuntur ligare, & soluere. Dicuntur enim ligare, inquantum pœnam satisfactoriam pœnitentibus imponunt, Sacramentorum communionem admittunt, & sic Ecclesiæ reconciliant. In primo exercent opus iustitiæ. In secundo verò opus misericordiæ. In eo autem quod ligant ad satisfactoriam pœnam peccatorem solutum esse ostendunt, quia nulli satisfactio imponitur, nisi ei quem Sacerdos verè pœnitentem arbitratur. Quòd autem pœnam imponere ad claues pertineat, ostendit per Aug. qui dicit, quòd pœnitentia sine Sacerdotis arbitrio facta frustratur, & contemptibiles claues Ecclesiæ facit: & quòd sine confessione vocali, supposita mentali, indulgentia haberi non potest. Postea ponit tertium modum, quo Sacerdotes dicuntur soluere, & ligare, scilicet, per excommunicationem. Tunc enim quis hoc modo ligatur, dum vocatus ad manifesti criminis emendationem, & satisfactionem vilipendens, per sententiam Ecclesiæ à loco orationis, & à Sacramentorum communione, & fidelium consortio separatur, vt erubescat pudore sceleris quousque conuersus soluitur. Hæc autem excommunicatio nocet illis qui dignè excommunicantur, quia protectio Dei eis subtrahitur, Diabolus etiam habet in eos maiorem potestatem

statem seruiendi, orationes quoque Ecclesiæ, & suffragia eis subtrahuntur. Post ea quærit, quomodo secundum hos modos ligandi, & soluendi verum sit quod Dominus dicit, Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, &c. Cùm tamen ipsi Sacerdotes quandoquè ligent dignos absolui, & quando què soluant dignos ligari? Et respondet quòd intelligendo est, quòd tunc solutio, & ligatio Sacerdotis Diuino iudicio approbatur, quando, scilicet, clauis discretionis adhibita sit secundum exigentiam meritorum. Quando autem Sacerdos in iudicando errat, tunc qui ligatur, apud Deum iudicem ligatus non habetur, nisi Ecclesiæ sententiam contemnat. Et similiter dicendum est de solutione. Vnde secundum Originem interdum, qui foras mittitur, intus est: & qui foras est, interius retineri videtur. Vltimò occasione huius quærit, quæ sit illa macula, & quæ sint illæ tenebræ, à quibus Deus animam purgat cùm pœnitentiam immittit. Et respondet quantum ad maculam, quæ remanet in anima, quòd illa non sit mala voluntas, quia illa transiuit, nec pœnitentiæ contemptus, quia huiusmodi est nouum peccatum: sed sicut qui tangit immundum, pollutus est post actum quousque lauetur: sic anima non solùm polluitur quando peccat, sed remanet etiam polluta, & maculata quousque mundetur per pœnitentiam: & hæc est dissimilitudo, & elongatio à Deo. Quãtum verò ad tenebras interiores, respondendo dicit, quòd hominis mortaliter peccantis intellectus obtenebratur, & naturalia vitiantur, & gratia Dei priuatur. Priuatio ergo gratiæ Dei, & deterioratio naturalium bonorum, est interior mentis caligo, à quibus omnibus mundatur per pœnitentiam. Addit etiam in fine, quòd Sacerdotes sunt medici animarum: medici autem possunt viuentes curare, sed nõ mortuos suscitare: sic Sacerdotes in ministerio curant, sola autem gratia Dei viuificat. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sufficiant.

QVAN-

QVANDO HAE CLAVES dantur, & quibus.

DISTINCT. XIX.

TEXT.

Postquam ostensum est quæ sint Claues Apost. & quis earum vsus, superest inuestigare, quando istæ claues dentur, & quibus. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista decima nona distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de potestate clauium secundum se: hic consequenter ostendit, quorum sint illæ claues, & quando dentur. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quibus, & quando claues dentur. In secunda uerò ostendit, qualiter habentes claues virtutibus se ornare teneantur. In tertia autem, & vltima ostendit differentiam, quæ est inter benedictionem Sacerdotum, & Sanctorum hominum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quamuis non Magister, tamen omnes Doctores dicunt, quòd vtranque clauem omnes Sacerdotes in consecratione recipiunt. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò, quòd post prædicta considerandum est quando, & quibus dentur claues. Postea dicit, quòd claues dantur per ministerium Episcopi in promotione Sacerdotij. Simul enim cùm quis recipit ordinem Sacerdotij, recipit etiam claues. Postea obijcit in contrarium quantum ad clauem scientiæ, (in hoc quod dicit scientiam discernendi, vt notat scien-

ſcientiæ habitum, eſſe clauem, non tenetur ab omnibus) quam nec ſoli, nec omnes Sacerdotes habere uidentur: plures enim non Sacerdotes ſcientiam diſcernendi habent, & multi Sacerdotes ea carent. Et reſpondet, quòd hanc clauem (quæ, ſcilicet eſt ſcientia diſcernendi) non omnes Sacerdotes habent, Vndè (vt ponit Magiſter) qui ſcientiam non habent, in conſecratione hanc clauem non recipiunt. Non ſacerdotes uerò quamuis ſcientiam diſcernendi habere poſſint, non tamen dicuntur habere clauem, quia non poſſunt ea claudere, vel aperire. ſed quando tales ad ſacerdotes promouentur, dicuntur claues diſcretionis accipere, quia etiam ante habita diſcretio augetur, & fit clauis vt poſſint ea ad claudendum, vel aperiendum vti. Et ſic ſoli ſacerdotes hanc clauem habent. Poſtea quærit de claue potentiæ. Vtrum omnes ſacerdotes habeant. Et ponit opinionem quorundam, qui videntur dicere, quòd non omnes eam habeant, ſed ſoli imitatores doctrinæ ſimul, & uitæ apoſtolicæ, quod auctoritatibus confirmant. Et hęc de prima parte ſufficiant. Pro declaratione verò ſecundæ partis, ponitur iſta alia concluſio. Qui vult alios ſoluere, vel ligare, debet ſe uirtutibus prius adornare. Quam quidem concluſionem Magiſter ponens, narrat aliam opinionem de claue potentiæ, quam Magiſter approbat, quæ eſt, quòd omnes ſacerdotes eam habent, ſed non habent rectè, & dignè niſi illi, qui vitam, & doctrinam apoſtolicam ſeruant: propter, quod auctoritates, quas prima opinio pro ſe inducit, non negant malos ſacerdotes habere clauem potentię, ſed dicunt ſolùm illos dignè ea vti poſſe, qui præditi ſunt doctrina, & uita Apoſtolica. Poſtea hanc opinionem approbat pluribus auctoritatibus ſanctorum, vt patet in littera. Et hæc de ſecunda parte ſufficiant. pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur iſta concluſio. Alia eſt benedictio, quæ ſolùm ſacerdotibus conuenit: & alia quę, ſcilicet, iuſtis exhibetur hominibus. Quam quidem concluſionem Magiſter inſinuans, obijcit contra prædicta quadam auctoritate, qua dicere videtur, quòd omnes ſancti viri benedicere poſſunt, & nõ ſoli ſacerdotes,

Et re

Et respondet, quòd alia est benedictio, quæ fit ex merito Sanctitatis, quæ competit omnibus bonis: & alia est benedictio, quę fit ex auctoritate ordinis, quæ solum competit Sacerdotibus, licèt tamen soli boni Sacerdotes ea ritè vtantur. Subdit autem, quòd mala vita Sacerdotum non lędit subditos, si ipsi faciant bona, quæ mali Sacerdotes docent, nec debent subditi vitam Sacerdotum multum discutere. Postea obijcit aliter contra prędicta per illud, scilicet, Malachiæ. Maledicam benedictionibus vestris; & alibi in Ezechiel, Dominus dicit, Væ his qui viuificant animas, quę non viuunt, & mortificant illas, quæ non moriuntur. Quare si Dominus maledixit benedictionibus malorum Sacerdotum, & si animæ, quas viuificant, non viuunt, quomodo per eos confertur gratia? Et respondet primò, quòd illud Malach. Secundum quosdam intelligitur de hæreticis, excommunicatis, & ab Ecclesia præcisis, quorum benedictiones fiunt maledictiones illis, scilicet, qui eorum sequuntur errores. Alterum verò Ezech. Væ his qui viuificant, &c. Intelligitur de illis Sacerdotibus, qui absque claue scientiæ, & bona vita præsumunt ligare, vel soluere. Debet enim Sacerdos immunis esse ab omnibus his, quæ in alio iudicat. Postea occasione huius inducit quasdam auctoritates, quibus ostenditur qualis debeat esse Sacerdos, qui soluit, & ligat. Debet enim Sacerdos ille esse iustus in vita, & similiter discretus in scientia. Vltimò exponit illud Malach. Maledicam benedictionibus, &c. dupliciter. Vna expositio est, quòd benedictio malorum Sacerdotum, eis conuertatur in maledictionem. Secunda est, quòd multis inique agentibus benedicunt mali Sacerdotes, adulando illis, quos Deus non benedicit. Et hæc de tertia, & vltima parte huius distinctionis dicta sint satis.

DE HIS QVI IN FINE Pœnitent.

DISTINCT. XX.

TEX-

T E X T.

Sciendum est etiam quòd tempus pœnitentiæ est vsque ad extremum articulum vitæ. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesima distinctio cum superioribus, hunc in modum, Cum enim Magister superius egerit de pœnitentia, & eius partibus, & de potestate ministrorum hoc Sacramentum dispensantium: hic modò per ordinem agit de quibusdam pœnitentiam consequentibus. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, tempus pœnitentiæ durare usque in extremum vitæ. In secunda verò subdit, quomodo agendum sit cum illis, qui in fine vitæ suæ pœnitent. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter Præsbyteri non debeant absoluere in consulto Episcopo publicum crimen, nisi in extrema necessitate. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Etsi serotina pœnitentia mortuo valeat vitam impetrare, periculosum est tamen pœnitentiam vsque in finem vitæ differre, & procrastinare. Quam quidem Magister insinuans, proponit primò, quòd tempus pœnitentiæ durat vsque in finem vitæ. Aug. tamen dicere videtur, quòd illi qui solùm in fine vitæ pœnitent, in securo statu non transeunt de hac vita: sed quia pœnitentia serotina est satisfactoria, & sacrificium vespertinum, & ideò Deo acceptanda. Verba autem Aug. præmissa intelligenda sunt de illis, qui non ex amore Dei, sed ex timore mortis pœnitentiam faciunt; & pro tanto securitatem non dat Aug. quia difficile est, quòd in tali statu pœnitentiam agant veram propter filios, vxorem, mundum, & dolorem mortis, quæ in illo statu retrahunt hominem à conuersione ad Deum: tamen qui in fine vitæ suæ pœnitent, benè possunt dignè pœnitere, sed in purgatorio soluunt pœnam, quam

quam in præsenti non soluunt, nisi fortè tam vehemens esse contritio, vt sufficeret ad debitam punitionem. Ostendit Magister postea, quòd illi qui pœnitentiam iniunctam in hac vita non impleuerunt, & etiam qui pœnitentiam eis iniunctam fecerunt, non tamen condignam pro peccato commisso, pro his punientur in purgatorio, (cuius pœna gratior est, quam quæcunque; pœna huius mundi temporalis) nisi fortè haberent tam vehementem contritionem, quæ sufficienter in eis peccata puniret: propter quod Aug. vult cordis contritionem in pœnitente multum attendi. sed quia contritio non constat, ideò pœnitentia imponitur, quæ, vt ibidem dicit Aug. secundum contritionis modum diuersimodè imponenda est. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione verò tertiæ partis ponitur ista alia conclusio. Ab infirmis in periculo mortis inquirenda est confessio peccatorum, & pœnitentiæ pondus subleuandum est eleemosynis, & orationibus amicorum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, ostendit qualiter agendum sit cum illis, qui in fine vitæ suæ pœnitent: & dicit, quòd morientibus non est pœna satisfactoria imponenda, nisi postquam conualuerunt, sed innotescenda. Aliis verò secundum arbitrium sacerdotis iniungenda est. Dicit etiã, quòd morientibus nunquam reconciliatio deneganda est, quia sacerdos denegans, reus est animarum illarum. Ad quorum reconciliationem sufficit, quòd eam prius petiuerint, etiam si tunc petere non possint propter infirmitatem. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Presbyteri inconsulto Episcopo publicum crimen, vel excommunicatum non absoluant, nisi ad hoc vltima cogat necessitas. Quam Magister ponens, dicit, quòd illum, cuius est crimen publicum, puta, quòd vniuersam commouit vrbem, potest sacerdos simplex in casu mortis inconsulto Episcopo, (si sit absens) reconciliare: aliàs tamen non debet facere Episcopo inconsulto, sicut nec virgines consecrare. Addit etiam insuper, quòd si moriens sacerdotem habere non possit, dum tamen bonum testimonium habeat, quòd sacerdotem petiuit, non

non est illa, quę offertur, oblatio respuenda, sed recipienda, & eleemosinæ pro eo faciendæ. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE PECCATIS QVÆ POST Hanc vitam dimittuntur.

DISTINCT. XXI.

T E X T.

Solet etiam quæri, Vtrum post hanc vitam aliqua peccata remittantur. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista vigesimaprima distinctio cum superiori, hunc in modum. cùm enim Magister superiùs egerit de tempore pœnitentiæ: hic consequenter mouet quasdam quæstiones circa determinata, & soluit. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter aliqua peccata post hanc vitam dimittantur. In secunda verò ostendit, quomodo peccatum mortale remittatur, cuius notitia non habetur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio, Magister hoc attestatur, quòd peccatum veniale etiam post hanc vitam remittatur. Quam quidem Magister insinuás, quærit. Vtrum post hanc vitam etiam aliqua peccata dimittantur. Et respondet, quòd sic per auctoritatem Domini dicentis, aliqua peccata nec hic, nec in futuro dimitti: ex quo datur intelligi, quòd quædam peccata dimittuntur in hac vita, & quædam in futuro. Et per auctoritatem Gregorij dicentis quasdam culpas in futuro remitti quibusdam, si tamen hoc meruerint in hac vita. Et per auctorita-

tem Augus͠t, dicentis, eos, qui ædificant lignum fœnum, & stipulam, idest, qui venialia peccata secum portant, per ignem purgatorij saluari, quo ista peccata cremabuntur. postea dicit, quòd ille ignis purgatorij quosdam tardius, quosdam citius purgat, secundum quòd aliqui magis, vel minus bona corporalia in hac vita dilexerũt. Vndè gradus dilectionis notantur per hæc tria, s. lignum, fœnum, & stipulam. Illi autem qui superædificant aurum, argentum, & lapides preciosos, tam ab igne æterno, quàm purgatorij securi sunt. Postea obijcit contra prædicta, hoc modo. Si per lignum, fœnum, & stipulam intelliguntur venialia, cùm nullus sit sine venialibus, ergo nullus est, qui ista non ædificet, & ita etiam viri perfecti, qui ædificant aurum, argentum, & lapides preciosos, ædificabunt lignum, fœnum, & stipulam. Et respondet, quòd alij sunt, qui ędificant lignum, fœnum, & stipulam, sicut imperfecti, qui quanuis Deum côtemplentur, & proximum diligant, & bona opera faciant, tamen non habent tria prædicta excellenter, sed cum aliquo inordinato amore rerum temporalium. Alij verò sunt qui superædificant aurum, argentum, & lapides preciosos, sicut viri perfecti, qui quidem intenti sunt contemplationi Dei, quæ intelligitur per aurum, & dilectioni proximi, quæ intelligitur per argentum, & cæteris bonis operibus, quæ intelliguntur per lapides preciosos. Et sic isti non dicuntur ædificare lignum, fœnum, & stipulam: quia cùm committunt veniale, feruore charitatis; ita consumunt, ꝙ nihil secum criminale portant. Sed imperfecti, qui simul cum Deo cogitant, quæ sunt mundi, ædificant lignum, fœnum, & stipulam; & cum talibus ædificijs transeunt, & cremabuntur in igne purgatorij, qui licèt transitoriè, tamen grauiter punientur. Hic enim misericordia exhibetur, sed illic iustitia exercebitur. postea remouet quorundam obiectionem contra prædicta, confirmando ea quæ dixit, vt in littera uidere est. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Sicut per generalem confessionem, & veram contritionem ueniale deletur: sic etiam mortale, cuius non habe-

tur notitia, etiam si non recitetur. Quam quidem Magister insinuans, quærit, si confessio prosit, nisi in ea singula peccata exprimantur. Et respondet, q̃ omnia mortalia, quorum quis memoriam habet, debet semel saltem in confessione exprimere. Sed quorum memoriam non habet, oportet saltem generaliter confiteri. Venialia autem, quia innumerabilia sunt, sufficit confiteri generaliter. Vndè subdit, quòd confessio generalis fit in Ecclesia, per quam remittuntur peccata venialia, & etiam mortalia, quorum memoriam non habemus. Addit etiam, quòd sicut pœnitens nō debet celare peccata, quæ fecit, quorum scilicet memoriā habet: ita debet attendere, quòd non confiteatur peccatū, quod non fecit, quia sic mentiretur, & peccaret. Vltimò dicit, quòd Sacerdos debet omnibus modis peccata confitentium celare; quod si non fecerit, deponendus est. Addit etiam, q̃ pęnitens nunquam debet proprium Sacerdotē dimittere, nec Sacerdos quicunque aliquē alteri Sacerdoti commissum ad pęnitentiam suscipere debet: tamen propter ignorantiam proprij Sacerdotis potest pœnitens quęrere discretum sacerdotem. Et hæc de hac dist. dicta suffic.

SI PECCATA DIMISSA Redeant.

DISTINCT. XXII.

TEXT.

Cumque multis auctoritatibus supra sit assertum, in vera cordis contritione peccata dimitti ante oris confessionem, vel operis satisfactionem, ei etiam, quia aliquando in crimen relapsus est, quæritur, si post cordis contritionem confiteri cōtempserit, vel in peccatum idem, vel simile ceciderit, an peccata dimissa redeant? &c.

EXPOSITIO.

Onnectitur ista vigesima secunda distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de tempore pœnitentiæ: hic modò determinat quædam, quæ pertinent ad effectum ipsius, qui est remissio peccatorum. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister inquirit, Vtrum peccata dimissa redeant postquam in contritione sine confessione dimissa sunt. In secunda verò, quid in hoc Sacramento sit res, & quid sacramentum secundum quosdam manifestat. In tertia autem, & vltima quomodo pœnitentia exterior, & interior vnum sit sacramentum secundum alios insinuat. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quidam dicunt peccata semel dimissa, per gratiæ perditionem iterum ad pœnam replicari, sed aliis placet huiusmodi peccata iterum à Deo non imputari. Quam Magister insinuans, quærit primò, Vtrum dimissis peccatis in contritione, si postmodum homo confiteri contemnat, vel in pristina, vel in similia peccata incidat, an peccata prius dimissa redeant. Postea tangit circa hoc diuersas auctoritates, & opiniones. Quidam. n. dicunt ea redire, & adducunt parabolam de seruo neq̃, à quo debitum ẽt prius dimissum exactum esse videtur. Tangũtur ẽt in littera plures auctoritates, quæ faciunt ad propositũ. Sed contra hoc opponit, non. n. videtur iustũ, vt pro peccato, super quo quis semel iudicatus est, iterum iudicetur. Et respondet, ꝙ propter hoc non bis super eodem peccato iudicatur, quia non perfectè & dignè pœnituit, cùm non perseuerauerit; sed ingratus fuerit. Aliorum verò opinio est, quòd peccata dimissa antè, non redeant post, nisi propter ingratitudinem. Propter ingratitudinem enim peccator, & reus quis constituitur, sicut ante fuerat, ac si peccata redirent pristina. Postea Mag. ab huius q̃onis determinatione se excusat, relinquens iudicium eius studioso lectori, eo quòd vtraque opinio Doctores fauentes habeat. Et hæc de prima parte sufficiant.

tur. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista conclusio. In sacramento pœnitentiæ pœnitentia exterior est sacramentum, interior autem res sacramenti. Quã quidem conclusionem Magister insinuans, quærit, cùm sacramentum sit sacræ rei signum, quid in pœnitentia sit sacramentum, & quid res. Postea soluit secundum opinionem aliquorum dicentium exteriorem pœnitentiam esse sacramentum, interiorem autem rem sacramenti. Contra quam statim opponit, dicens, quòd sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurant, exterior autem pœnitentia non efficit interiorem, ergo non est sacramentum. Et secundum eos respondet, dicens, quòd cùm sacramenta efficiant, quod figurant, verum est de illis sacramentis, quę in noua lege instituta sunt, ut baptismus, confirmatio, & corpus Christi, pœnitentia autem non est talis, quia etiam in primis parentibus fuit instituta, sicut & matrimonium. Obijcit etiam alio modo, quia sacramentum debet pręcedere rem, pœnitentia autem exterior non pręcedit interiorem, sed potius econuerso. Et respondet, quòd etiam in alijs sacramentis sæpè præcedit res sacramentum; & ideò hoc non videtur inconueniens. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur ista conclusio. Alij dicunt tam exteriorem pœnitentiam esse sacramentum, quàm interiorem, & tamen non duo esse Sacramenta, sed unum completum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, soluit quæstionem præmissam secundum aliorum opinionem, qui dicunt tam exteriorem, quàm interiorem pœnitentiam esse Sacramentum, non duo, sed vnum, sicut species panis, & uini non sunt duo Sacramenta, sed vnum. Exterior autem pœnitentia est tantùm sacramentum, interior uerò est res, & sacramentum: remissio autem peccatorum est tantùm res. Et sic tria sunt in hoc sacramento, sicut in præmissis sacramentis. Et hęc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE SACRAMENTO VNctionis extremæ.

DISTINCT. XXIII.

TEXT.

Præter præmissa est etiam aliud sacramentum, scilicet, vnctio infirmorum, quæ fit in extremis oleo per Episcopum consecrato. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesima tertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de Baptismo, qui est sacramentum intrantium, & de Confirmatione, Eucharistia, & Pœnitentia, quæ sunt sacramenta progredientium: hic modò determinat de Extrema vnctione, quę est sacramentum exeuntium. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister quid hoc sacramentum sit manifestat. In secunda verò ad quem effectum institutum fuerit ostendit. In tertia autem, & vltima suadendo ne quis ipsum ex contemptu, & negligentia prætermittat, asserit, hoc sacramento posse conuenienter iterari. Pro declaratione igitur primæ partis ponitur hæc conclusio. Extremæ vnctionis infirmorum, quæ fit in oleo consecrato per manus Episcopi, sunt tria genera iuxta dicta Magistri. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit primò, quòd præter præmissa sacramenta est quoddam sacramentum vnctionis extremæ, quæ fit in oleo per Episcopum consecrato. Postea tangit triplex genus vnctionis. Est enim quædam vnctio

ctio principalis, quæ fit ex Chrismate, (oleo, scilicet, misto cum balsamo) & tali vnctione vnguntur Reges, & Pontifices in capite, confirmandi in fronte, baptizandi autem in uertice. Alia est vnctio, qua vnguntur cathecumeni in pectore, & inter scapulas. Tertia vnctio est, qua vnguntur infirmi, & de hac ad præsens agitur: & hæ duæ fiunt simplici oleo benedicto. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Hoc sacramentum duplici de causa est institutum, scilicet, ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem. Quam Magister insinuans, dicit, quòd hoc sacramentum institutum fuit ad duplicem effectum, scilicet, ad sanitatem animæ, & corporis quia tamen non expedit homini semper quòd corporaliter alleuietur, ideò non semper in hoc sacramento sanitatem acquirit, qui hoc sacramentum deuotè, & fideliter recipit. Postea ponit conformitatem huius sacramenti ad alia. Nam in hoc sacramento est aliquid, quod est sacramentum tantùm, vt exterior vnctio. Aliquid verò, quod est res sacramenti, vt vnctio interior idest, peccatorum remissio, & virtutum appositio: & ideò hoc Sacramentum contemnere, vel negligere periculosum est. Et hæc de secūda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Hoc sacramentum ex contemptu, & negligentia non prætermittatur, nequè ipsum iteretur, nisi morbus reuertatur. Huius conclusionis prima pars patet ex præmissis, secundam autem Magister insinuans, quærit, Vtrum hoc sacramentum possit iterari. Et ostendit per beatum Aug. quòd non, quia iniuriam facit Sacramento, qui iterat sacramentum. Et respondet ad hoc, quòd Aug. loquitur tantùm de tribus Sacramentis, scilicet, de Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quæ nullo modo iteranda sunt. Alia verò sæpius iterantur, vt Eucharistia. Pœnitentia, & Matrimonium: quare etiam unctio iteratur. Si enim morbus iteratur, & unctio, quæ est medicina morbi, iterari potest. Alia ratio est, quia cùm vnctio cum oratione operetur, (vtrunque enim simul commemorat beatus Iacobus) si oratio iterari potest,

teft, quare & vnctio. Alij autem dicunt nullum Sacramentum esse iterandum, (scilicet, quantum ad essentiam sacramenti, & rei sanctificationem) aliqua verò esse iteranda, (scilicet, quantum ad vsum, & sumptionem Sacramenti) vt quatuor prædicta, scilicet, Euchar. Pœnit. Matrim. & Extr. unct. alia verò non esse iteranda, ut tria prædicta, scilicet, Baptis. Confir. & Ordo. Et hæc de hac distin. dicta suffic.

DE ORDINIBVS ECCLEsiasticis.

DISTINCT. XXIIII.

TEXT.

Nunc ad considerationem sacræ ordinationis accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus, siue ordines, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimaquarta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de sacramentis, quæ ordinantur ad remedium vnius personæ; hic modò determinat de sacramentis, quæ ordinantur ad remediū totius Ecclesiæ. Diuiditur præsens dist. in tres partes principales. In quarum prima Mag. ostēdit, septem esse ordines Ecclesiasticos. In secunda verò officia, & dignitates, quæ ordines sequūtur subdit. In tertia autem, & vltima quandam salubrem admonitionē subiungit. Pro declaratione igitur primæ par. ponitur ista conclusio. septem sacros ordines Christus in semetipso exhibuit, & istos vniuersali Ecclesiæ obseruandos reliquit. Quam quidem conclusionem Magister insinuās, dicit, quod septem sunt gradus, siue ordines Ecclesiastici, Ostiarij, Lectores, Exorcistæ.

ciſtæ, Acholithi, Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes. Quorum omnia officia Chriſtus in ſemetipſo oſtendit, & corpori ſuo, (.ſ. Eccleſiæ) hos ordines ſeruandos reliquit. ſũt autẽ ſeptem propter ſeptiforma gratiam ſpiritusſancti, cuius qui non ſunt participes, indignè ad gradus Eccleſiaſticos accedunt. Qui verò priuſquam ad hos ordines accedãt, hanc gratiam habent, in ipſa promotione ampliorem accipiunt. Ex quo patet ipſius Sacramenti effectus. Hi autem ordines propter ſui dignitatem, dignos requirũt miniſtros. Ex quo patet ſuſcipientium conditio. Poſtea dicit, ꝙ hos ordines præcedit clericalis tonſura, quæ regalem clericorũ dignitatem ſignificat: quia verò ſummitatẽ capitis nudat, erectionem mentis ad Deũ ꝑ contemplationem ſignificat: quia verò ſupra aures, & cæteros ſenſus fit, præciſionem vitiorum fiendam ſignificat. Vſus aũt huius tonſuræ initium habuit à Nazareis, quorum ritus paulus, & Chriſtiani imitati ſunt. Omnes verò in ordinibus conſtituti, clerici vocãtur; quia in ſortem Domini, & hæreditatẽ ſunt admiſſi. Cleros enim græcè, latinè ſors, vel hæreditas dicitur, vel quia oẽs Diuino ſeruitio ſunt mancipati. Et hæc de prima parte ſufficiant. Pro declaratione verò ſecundæ partis, ponitur iſta alia concluſio. Quatuor in his ordinibus conſideranda, ſ. figura, officium, modus ordinandi, & inſtitutio. Quã quidem concluſionem Magiſter inſinuans, incipit de his ordinibus ſingulatim determinare, & primò de Oſtiarijs, qui ſunt primi inter ordinum gradus, de quibus quatuor determinat. Primò figuram, quia figurati ſunt in veteri teſtamento per Ianitores, qui cuſtodiebant templum, ne ingrederetur in illud immundus. Secundò officium, ſiue rationem nominis. Dicuntur enim Oſtiarij, quia præſunt oſtijs templi, vt dignos recipiant, & excludant indignos. Tertiò ordinandi modum, quia in eorum ordinatione dantur eis claues ab Epiſcopo cum determinata forma verborum, quam Epiſcopus tradit. Quartò inſtitutionem, quia Chriſtus hoc officium exercuit, quando vendentes, & ementes de templo eiecit. Poſtea determinat de ſecundo ordine, ſcilicet, Lectorum: de quo quatuor determinat.

Primò

Primò figuram, (licèt Magister postponat) quia figuratum fuit, & præfiguratum hoc officium in Prophetis. Vndè scriptum est, Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam. Secundò officium, siue nominis rationem; quia dicuntur à legendo, qui etiam pronunciatores vocantur, eo quòd tam debet esse clara eorum uox, vt etiam longè positorum aures adimpleat: vndè ad eos pertinet Prophetias, & psalmos legere, & pronunciare. Et qui ad officium assumitur, debet scientia litterarum esse, instructus, vt distinctè, & debitè legat, & sic possit auditoribus prodesse. Tertiò ordinandi modum, quia in ordinatione librum Diuinarum lectionum ab Episcopo accipiunt cum determinata forma verborum. Quartò institutionem, quia hoc officium Christus impleuit, quando legit illud Esa. Spiritus Dñi super me, &c. vt habetur Luc. 4. Postea determinat de tertio ordine, scilicet, Exorcistarum: de quo quatuor determinat. Primò figuram, quia à Salomone videtur hic ordo descendisse, qui quendam modum exorcizandi inuenit, quo dæmones adiurati ex obsessis pellebantur corporibus. Secundò officium, siue nominis rationem. Dicuntur enim Exorcistæ, quasi adiurantes, quia ad eos pertinet adiurare illum, qui Spiritum habet immundum, vt in nomine Domini egrediatur ab illo. Vnde debent mundi esse, qui spiritibus immundis imperant. Tertiò ordinandi modum, quia librum exorcismoru m recipiunt ab Episcopo in ordinatione sua cum debita verborum forma. Quartò institutionem, quia Christus hoc officio vsus est, quando tetigit saliua aures surdi, & muti, & dæmoniacos multos sanauit. Postea agit de quarto ordine, scilicet, Acolithorum: de quo quatuor determinat. Primò figuram, quia huiusmodi figura præcessit in veteri testamento in illis, qui lucernas, & candelabra componebant in tabernaculo, vel in templo. Secundò officium, vel nominis rationem. Dicuntur enim Acolithi græcè, ceroferarij latinè, quia cæreos portant ad significandum verũ lumen, idest, Christum: & ad eos pertinet luminaria præparare, & ministrare subdiacono vinum, & aquam pro Sacramento Eucharistiæ. Tertiò ordinandi modum, quia cã-

delabrum

delabrum cum cæreo, & vrceolis in sua ordinatione recipiunt. Quartò institutionem, quia Christus hoc officio vsus est, cum dixit ego sum lux mundi. Postea agit de quinto ordine, scilicet, Subdiaconorum: de quo quatuor determinat. Primò figuram, quia figurati sunt in veteri lege per Nathinnæos, de quibus dicitur in Paral. & Esdr. quòd erant ministri Leuitarum, qui dicuntur Nathinnæi, quasi in humilitate Domino seruientes. Secundò nominis rationem, vel officium. Dicuntur enim Subdiaconi, quia Diaconorum præceptis subiacent: & ad eos pertinet calicem, & patenam portare, propter quod mundi esse debent, vt impleant illud. Mundamini, qui fertis uasa Domini. Tertiò ordinandi modum, quia patenam, & calicem vacuum accipiunt in eorum ordinatione, & vrceolum cum aqua, & vino, & manutergio. Quartò institutionem, quia hoc officio Christus usus est, quando linteo se præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit, & linteo tersit. Postea determinat de sexto ordine, scilicet, Diaconorum: de quo quatuor determinat. Primò figuram, quia in veteri lege Leuitæ portabant tabernaculum, & ea quæ ad tabernaculum pertinebant. Secundò nominis rationem, vel officium. Dicuntur enim Leuitæ, & Diaconi, idest, ministri, & de tribu Leui nomen traxerunt. ipsi etiam Sacerdotibus in Sacramentorum dispensatione assistunt, & ministrant, competit etiam eis prędicare, & legere Euangelium, & portant stolam super humerum læuum, quia laborem huius vitæ in læua portant, donec veniant ad dexteram patris; isti etiam debent sine vllo crimine ministrare, & gratiam Spiritussancti habere. Tertiò ordinandi modum, quia in ordinatione Episcopus eis manum imponit, & stolam super humerum læuum, & librum Euangeliorum tradit. Quartò institutionem, quia hoc officio Christus vsus est, quando post cœnam Sacramentum sui corporis, & sanguinis dispensauit discipulis, & quando Apostolos dormientes ad orationem excitauit. Postea agit de septimo ordine, scilicet, Præsbyterorum: de quo quatuor determinat. Primò figuram, Hic enim ordo figuratus est in filijs Aaron, qui

qui Sacerdotio fungebantur. Secundò nominis rationem, vel officium. Dicuntur enim Præsbyteri, quasi seniores, non quo ad ætatem, sed quo ad prudentiam, quam habere debent. Dicuntur etiam Sacerdotes, quasi sacra dantes in administratione Sacramentorum, vel quasi sacri duces in regimine populi. Ad eos etiam pertinet Sacramentum corporis, & sanguinis Christi conficere, & orationes dicere, donaque Dei benedicere. Tertiò Ordinandi modum, quia cùm ordinantur inunguntur eis manus, accipiunt etiam stolã super vtrunq; humerũ, quia debent esse muniti armis iustitiæ inter prospera, & aduersa: accipiũt et calicem cũ vino, & patenam cum hostia, vt per hoc se sciant accepisse potestatem offerendi sacrificium Deo. Quartò institutionem, quia Christus hoc officio vsus est, quando seipsum in ara crucis obtulit, & quando in cœna panem, & vinum in corpus & sanguinem suum transubstantiauit. Deinde dicit, quòd omnes ordines in hoc cõueniunt, quòd sunt sacri, quia in eis aliquid sacrum confertur, scilicet, gratia: sed specialiter, & excellenter Diaconatus, & Præsbyteratus dicuntur sacri. In omnibus enim traditur aliqua spiritualis potestas, & ideò nomen ordinis omnibus conuenit. Quid autem ordo sit Mag. manifestat, dicens, quòd ordo dicitur sacrum quoddam, per quod spiritualis potestas traditur ordinato. Postea dicit, quòd quædam sunt nomina, quæ non important ordinem, sed dignitatem, & officium, vt nomen Episcopi, Patriarchæ, Archiepiscopi, & huiusmodi: & assignat etiam rationem nominis Episcopi, & Pontificis. Ponit etiam differentiam inter Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Metropolitanos: & declarat. Vnde hæc nomina sumpserint exordium. Postea declarat de quibusdam aliis officijs, sicut sunt Vates, Cantores, quæ omnia ponuntur in littera. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Ministri Christi maiores, qui præcellunt ordinis dignitate, etiam præcellere debent vitæ Sanctitate. Quam quidem Magister ponens, dicit, quòd qui per ordines alijs sunt digniores, etiam alijs per vitæ sanctitatem debent esse meliores.

plebs eis commissa eorum imitatione semper proficiat. Vel dicitur etiam. Vnde dicitur missa, quia, scilicet, in ea mittitur hostia, cuius commemoratio fit in sacrificio: vel quia missus angelus venit ad eam consecrandam. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE ORDINATIS AB HÆreticis.

DISTINCT. XXV.

TEXT.

Solet etiam quæri, si hæretici ab Ecclesia præcisi, & damnati possint tradere sacros ordines: & si ab eis ordinati, redeuntes ad Ecclesiæ vnitatem, debeant reordinari. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesima quinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de Sacramento Ordinis; nunc consequenter hic de hoc Sacramentum conferentibus, & suscipientibus determinat. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister inquirit, Vtrum hæretici Sacramentum Ordinis possint conferre, seu dare. In secunda verò ostendit, simoniacos fore, qui dant pecuniam pro ordinibus, & etiam qui aliquid pro ordinibus præsumunt accipere. In tertia autem, & vltima ostendit, quomodo ignoranter ordinatum à simoniaco debeamus misericorditer tolerare. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Aliqui dicunt, quòd Sacramenta ab hæreticis secundum formam Ecclesiæ celebrata, sint vera, & rata: alij verò, quòd sint falsa, & reprobata. Quam quidem conclu-

sionem

sionem Magister insinuans, quærit, an hæretici ab Ecclesia præcisi possint sacros ordines conferre, & Vtrum ordinati ab eis, debeant reordinari. Et dicit hanc quæstionem esse difficilem propter diuersitatem Doctorum, & contrarietatem circa eam. Quidam enim dicunt hæreticos non posse ordinare, & ordinatos ab eis gratiam non recipere, & in suis ordinibus non esse suscipiendos, sed tantùm ad Laicam communionem. Gregorius dicit Arrianorum consecrationem sacrilegam esse. Cyprianus etiam dicit Sacramenta hæreticorum inania esse, vt sacrilega. Hier. etiam dicit, quæ offeruntur ab hæreticis contaminata esse, & Deo odibilia. Leo etiam dicit non esse rata extra Ecclesiam, nec vera sacrificia. Postea contrariam ponit opinionem dicentiū ab hæreticis ordines tradi posse, & ordinatos ab eis non esse iterum ordinandos: quod maximè Aug. dicere videtur, qui dicit, quòd sicut habent ius baptizandi, ita & ordinandi, sed hæretici ius tale habent ad suam perniciem, Catholici verò ad suam salutem. Gregorius etiam dicit semel ordinatum nunquam debere reordinari. Postea circa dubitationem tangit diuersas opiniones. Quidam enim dicunt, quòd hæretici antequam sint præcisi ab Ecclesia possunt ordinare, & ordinati ab eis non possunt reordinari: sed postquam sunt præcisi manifestè per sententiam Ecclesiæ, ex tunc non possunt ordinare, nec corpus Domini consecrare. Quòd verò Aug. ait, intelligunt dictum de hæreticis non dum per sententiam Eccl. manifestè præcisis, & non de aliis. Alij verò dicunt, quòd sacramenta ab hæreticis etiam manifestè præcisis collata, si secundum formam Ecclesiæ conferantur, vera sunt, & rata: quæ verò celebrantur ab hæreticis extra formam Ecclesiæ dicunt nec vera, nec rata esse. Alij similiter dicunt sacramenta ab hæreticis celebrata in forma Ecclesiæ vera esse in se, & rata, falsa esse, & inania quo ad salutis effectum, tam in illis, qui malè tradunt, quàm etiam in illis, qui malè recipiunt: & secundum hoc possunt intelligi (vt dicunt) auctoritates supradictæ. Alij verò dicunt hæreticos in Ecclesia ordinatos ius ordinandi habere, etiam cùm separati fuerint ab Ecclesia;

eos

eos verò qui in hæresi nequaquam. Postea dicit simoniacos esse hæreticos, & ante degradationem ordines conferre posse, vt facile videre est in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secūdæ partis, ponitur ista alia conclusio. Pro collatione sacrorum ordinum dantes, & accipientes pecuniam simoniaci dicuntur, & pro tali delicto ambo eadem pœna puniuntur. Quam Magister ponens dicit, quòd licèt simoniaci propriè dicantur illi, qui volunt emere spiritualia, sicut simon, & Giezitæ illi, qui volunt ea vendere, sicut Giezi; tamen largo, & communi nomine tam isti, quàm illi vocantur simoniaci. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hęc conclusio. Qui ignorante à simoniacis ordinantur, ipsorum ordinatio misericorditer toleratur. Quam quidem conclusionem Magister ponens dicit quòd ordinati à simoniacis scienter, consecrationem irritam habent. Qui uerò ignoranter ordinati sunt, possunt misericorditer in ordine sustineri. Sunt autem simoniaci, non solùm illi, qui emunt consecrationem, sed etiam qui res ipsas emunt, quę ex consecrationibus proueniunt; nam quando aliqua duo sunt coniuncta, non unum sine alio potest emi, uel uendi. Vndè nemo potest in contrarium obijcere. Postea ponit triplicem distinctionem simoniacę hęresis, dicens, quòd quidam ordinantur simoniacè à simoniacis, quā do, scilicet ordinatus, & ordinator consentiunt in simoniam, & hi debent cadere à proprio gradu. Alij ordinantur simoniacè à non simoniacis, quando, scilicet, ordinatus consentit in simoniam non autem ordinator, sed ignorat: & isti à suo officio similiter remoueri debent. Alij ordinantur non simoniacè ex parte sua, sed tamen à simoniacis, quando, scilicet, ordinatus ignorat simoniam, & ordinator scienter committit eam: & tales in suo officio misericorditer tolerantur. Addit etiam, quòd cùm dicitur ordinatos ab hęreticis, uel à simoniacis esse damnandos, subintelligendum est nisi aliquis uiolentes ab eis ordinaretur. Vltimò determinat de ordines suscipientibus quantum ad ætatem, dicens, quòd Subdiaconus ante decimumquartum

tum annum, Diaconus ante vigesimum quintum annum, & Presbyter ante trigesimum annum ordinari non debent. Et hęc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE SACRAMENTO CONiugij, cuius institutio, vt causa ostenditur.

DISTINCT. XXVI.

TEXT.

Cùm alia sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium sumpserint: matrimonij sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum à Domino, non tamen ad remedium, sed ad officium. &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista vigesimasexta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de sacramento ordinis, quod pertinet ad spiritualem Ecclesiæ multiplicationem: hic consequenter determinat de Sacramẽto Matrimonij, quod pertinet ad eius multiplicationem carnalem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister, qualiter hoc Sacramentum fuerit ante, & post peccatum institutum, ostendit. In secunda verò Matrimonium condemnantes reprobat. In tertia autem, & ultima Mysticam eius significationẽ ostendit. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur ista conclusio. Coniugij sacramentum fuit in paradiso ante peccatum

tum solùm ad officium primo institutum, nunc secundariò in remedium. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit hoc sacramentum ante peccatum fuisse institutū, cùm dixit Adam, nunc os ex ossibus meis. Fuit tamen etiam post peccatum institutum: & sic habet duplicem institutionem, sed differt prima à secunda. Quia prima facta est in paradiso. Secunda extra paradisum. Prima ad officium naturæ multiplicandæ, secunda ad remedium concupiscentiæ. Item Prima fuit necessaria. Secunda fuit voluntaria à tempore generis humani multiplicati. Et est accipienda secundum indulgentiam, quæ pluribus capitur. Quandoque enim capitur indulgentia pro remissione, quandoque pro concessione, quandoque pro permissione. Hic autem accipitur pro concessione. Conceditur enim coniugium sicut minus bonum, quando verò fit causa incontinentiæ permittitur sicuti minus malum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Hæretici Taciani dicti, in hoc perniciosè errant, quòd nuptias condemnant. Quam Magister ponens, condemnat errorem damnantium, & detestantium nuptias, ostendens, quòd bona res sit matrimonium per hoc quòd Christus interfuit nuptiis, & præcepit vxorem à viro non dimitti. Constat ergo tem bonam esse matrimonium, alioquin non esset Sacramentum. Et hęc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertię partis, ponitur hæc conclusio. Matrimonium dicitur esse signū coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, & signum dilectionis, qua coniuges sibi inuicem sunt vniendi. Quam quidem cōclusionem Magister ponens, dicit, quòd Matrimonium est signum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ in conformitate naturæ, & signum vnionis in Charitate. Quæ duo matrimonium carnali copula consumatum perfectè significant, & ideò perfectum est. Matrimonium autem, in quo est cōsensus animorum sine carnali copula, deficit ab hac perfecta significatione. Est tamen verum matrimonium, licèt quædam auctoritates in contrarium dicere videantur. Matrimonium n tale vbi, scilicet, est tantū cōsensus animorū,

est signum dilectionis, qua cõiuges sibi inuicem sunt vnigdi. Aug. enim dicit, Plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas veneris. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVÆ SVNT CONSIDERANDA in coniugio.

DISTINCT. XXVII.

TEXT.

Post hæc aduertendum est, quid sit coniugium, &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista vigesimaseptima dist. cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de sacramento Matrimonij secundum se quantum ad eius institutionem: hic modò determinat de eo, quantum ad eius causam efficientem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quid sit matrimonium. In secunda verò qualis debeat esse cõsensus Matrimonij, subdit. In tertia autem, & vltima, quæ sponsalia coniugium faciant, subiungit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quicunque alicui per Matrimonium legitimè copulatur, sine alterius cõsensu ab eo non separatur. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, definit Matrimonium, dicens, q̃ est viri, & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Ad quam indiuiduam consuetudinem pertinet mutua debiti redditio: & etiam q̃ vnus sine alio continentiam vouere non possit, nec se alteri altero viuente copulare. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio.

clusio. Causa efficiens matrimonij est mutuus cōsensus per verba de præsenti realiter expressus. Quam ponens Magister, dicit, quòd causa efficiens matrimonij est consensus cordium per verba de præsenti expressus, aliter matrimonium fieri non potest. Et hoc confirmat Magister per multas auctoritates, quæ dicunt coniugium esse post talem cōsensum, licèt carnalis copula non sequatur. Postea dicit, quòd aliqui dicunt ante carnalem copulam sponsalia esse, & non coniugium, & aliquos sponsos, & aliquas sponsas, & non cōiuges: & hoc patet, quia sponsus inuita sponsa potest monasterium eligere, coniugatus verò, vel coniugata non potest. Aliquando enim Auctores vocant coniuges ipsos spōsos, quia futuri sunt coniuges. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Sponsalia non de futuro, sed de præsenti coniugium faciunt. Hanc Magister insinuans, distinguit de sponsalibus, dicens, quòd sponsalia de futuro coniugium nō faciunt, sed sponsalia de præsenti, quod probat per multa iura, scilicet, quòd quædam sunt sponsalia de futuro, & quædam de præsenti. Probat etiam, quòd illa sponsalia differunt, quia post sponsalia de futuro licet sponsis ad ordines accedere, non autem post sponsalia de præsenti. Et de hoc vide in littera. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

SI CONSENSVS DE FVTVro, cum iuramento faciat coniugiū.

DISTINCT. XXVIII.

T E X T.

Hic quæri debet, Vtrum consensus de futuro addito etiam iuramento coniugium efficiat, &c.

est signum dilectionis, qua cõiuges sibi inuicem sunt vniti. Aug. enim dicit, Plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas ventris. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

QVÆ SVNT CONSIDERANDA in coniugio.

DISTINCT. XXVII.

T E X T.

Post hæc aduertendum est, quid sit coniugium, &c.

E X P O S I T I O.

CONnectitur ista vigesimaseptima dist. cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de Sacramento Matrimonij secundum se quantum ad eius institutionem: hic modò determinat de eo, quantum ad eius causam efficientem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quid sit matrimonium. In secunda verò qualis debeat esse cõsensus Matrimonij, subdit. In tertia autem, & vltima, quæ sponsalia coniugium faciant, subiungit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quicunque alicui per Matrimonium legitimè copulatur, sine alterius cõsensu ab eo non separatur. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, definit Matrimonium, dicens, q̃ est viri, & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Ad quam indiuiduam consuetudinem pertinet mutua debiti redditio: & etiam q̃ vnus sine alio continentiam vouere non possit, nec se alteri altero viuente copulare. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio.

clusio. Causa efficiēs matrimonij est mutuus cōsensus per verba de præsenti realiter expressus. Quam ponens Magister, dicit, quòd causa efficiens matrimonij est consensus cordium per verba de præsenti expressus, aliter matrimonium fieri non potest. Et hoc confirmat Magister per multas auctoritates, quæ dicunt coniugium esse post talem cōsensum, licèt carnalis copula non sequatur. Postea dicit, ꝙ aliqui dicunt ante carnalem copulam sponsalia esse, & non coniugium, & aliquos sponsos, & aliquas sponsas, & non cōiuges: & hoc patet, quia sponsus inuita sponsa potest monasterium eligere, coniugatus verò, vel coniugata non potest. Aliquando enim Auctores vocant coniuges ipsos spōsos, quia futuri sunt coniuges. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Sponsalia non de futuro, sed de præsenti coniugium faciunt. Hanc Magister insinuans, distinguit de sponsalibus, dicens, quòd sponsalia de futuro coniugium nō faciunt, sed sponsalia de præsenti, quod probat per multa iura, scilicet, quòd quædam sunt sponsalia de futuro, & quædam de præsenti. Probat etiam, quòd illa sponsalia differunt, quia post sponsalia de futuro licet sponsis ad ordines accedere, non autem post sponsalia de præsenti. Et de hoc vide in littera. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

SI CONSENSVS DE FVTVRO, cum iuramento faciat coniugiū.

DISTINCT. XXVIII.

TEXT.

Hic quæri debet, Vtrum consensus de futuro addito etiam iuramento coniugium efficiat, &c.

Cc 2 EXPO-

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesima octaua distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magist. superius ostenderit, quomodo consensus sit causa efficiens matrimonij: hic consequenter ostendit qualis debeat esse consensus, qui matrimonium facit. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter matrimonium de futuro non teneat, etiam si fuerit iuramento confirmatum. In secunda verò subdit quid parentum traditio, & sacerdotum benedictio faciant ad matrimonium. In tertia autem, & vltima subiungit, qualiter verbis essentialibus matrimonij non exprimatur consensus copulæ carnalis. Pro declaratione igitur primæ partis ponitur ista conclusio. Non tenet matrimonium, quod per consensum de futuro contrahitur, licèt fuerit etiam iuramento stabilitum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit primò. Vtrum consensus de futuro firmatus iuramento, faciat verum matrimonium. Et respondet, quòd non, quia per talia verba promittitur futurus consensus, & non exhibetur, cùm iuramento nihil aliud sit quàm confirmatio promissionis super contractu faciendo: Vndè si alter, vel vterque promittentium ad aliam copulam transiret, verum esset coniugium, & dissolui non posset. Postea obijcit in contrarium huius per quandam legem Et respondet, quòd lex illa loquitur de iuramento adhibito per verba de præsenti: vel lex dicit post iuramentum de futuro matrimonium fieri debere, non autem fore. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Parentum traditio, & sacerdotis benedictio ad istius Sacramenti pertinent solemnitatem, sed mutuus consensus ad ipsius pertinet realitatem. Quam quidem Magister insinuans, obijcit contra prædicta, quia enim dictum fuit in præcedenti distinctione solum consensum facere matrimonium, ideò obijcit in contrarium dicendo matrimonium non esse, si non interueniat benedictio, & solennis

nis traditio, & quædam alia. Et respondet Magister, quòd talia sunt de honestate, & solennitate sacramenti, non autem de necessitate. Occultus enim consensus per verba de præsenti expressus facit matrimonium, quamuis Ecclesia per talem consensum in iudicio non prosequatur. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Illis verbis quibus matrimonium contrahitur, consensus copulæ carnalis, & coniugalis non exprimitur. Quam quidem Magister insinuans, quærit in quo debeat esse consensus faciens matrimonium: si enim in cohabitatione, tunc frater, & soror erunt coniuges: si verò in carnalem copulam, tunc inter beatam Virginem, & Ioseph non fuisset matrimonium, siue coniugium. Et respondet, quòd consensus ille debet esse in coniugalem societatem, in cuius societatis signum mulier non de capite, nec de pedibus, sed de latere viri à Deo formata fuit. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

COACTIO EXCLVDIT Consensum coniugalem.

DISTINCT. XXIX.

T E X T.

Oportet autem consensum coniugalem liberum esse à coactione. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista vigesimanona distinctio cum superioribus, hunc in modũ. Cùm enim Magister superiùs egerit de causa efficiente matrimonij: hic modò determinat de impedimentis causæ efficientis. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ostendit, consensum non debere esse coactum, sed liberum. In

secunda verò subdit, qualiter non contra dicens dicatur consentire. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur ista conclusio. Coniugalis consensus oportet, quòd non sit coactus, sed voluntarius. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò, quòd consensus per coactionem extortus non facit matrimonium, quia nec consensus appellari debet, quod auctoritatibus confirmat. Postea dicit, quòd si post talem coactionem subsequens consensus interuenerit, vt pote si simul cohabitent, & contra matrimonium non reclament, tunc videntur realiter consentire, & consensus ille subsequens supplet, quod præcedens coactio tulerat. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Vbi nulla est contradictio, ibi videtur esse euidens, & manifesta consensio. Quam ponens Magister, dicit, quòd ille dicitur consentire qui manifestè, & euidenter non contradicit: & talis tacitus consensus non solùm matrimonium, sed etiam sponsalia prius facta confirmat. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE ERRORE QVI EVAcuat consensum.

DISTINCT. XXX.

TEXT.

Nec solùm coactio impedit, vel excludit consensum, sed etiam error, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de

rit de impedimento coactionis: hic consequenter determinat de impedimento erroris. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit qualis: nam sit error impediens matrimonium. In secunda verò ostendit, qualiter inter beatam Virginem, & Ioseph fuerit verum matrimonium, licèt fuerit absque copula carnali. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter matrimonium contrahatur principaliter propter prolem, & secundariò propter fornicationis vitationem. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. In matrimonio contrahendo quatuor errores possunt contingere, quorum duo ipsum soluere dicuntur. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, statim proponit, quòd error impedit matrimonium, non quidem error qualitatis, vel fortunæ, sed error conditionis, vt quando putatur esse liber, qui seruus est: & similiter error personæ impedit matrimonium: sicut si quis petat hanc mulierem, scilicet, nobilem in matrimonium, & detur sibi alia, scilicet, ignobilis; sicut etiam si aliquis emat aurum, & detur sibi aurichalcum, non est venditio, sed deceptio. Et est error personæ, quando putatur hic esse homo, & est alius. Error autem conditionis est quando liber creditur, qui seruus est. Error verò fortunę est quando creditur diues esse, qui pauperes est. Error tandem qualitatis est, quando creditur pulcher, qui turpis est, vel quando creditur bonus, qui malus est. Postea obijcit de Iacob, qui per errorem accessit ad Lyam. Et respondet, quòd hoc mysticè gestum est, nec fuit matrimonium illud per errorem illum, sed per consensum qui postmodum accessit. Excusatur tamen Iacob de fornicatione, quia ad eam accessit vxorem esse suam credens, & sic maritali affectu eam cognouit, & illa vxorio affectu debitum persoluit: sicuti etiam aliquis nunc excusaretur accedens ad sororem vxoris, quam in lecto inueniens nesciret: sicuti etiam non peccaret, qui Angelum venerans malum crederet bonum esse, & similiter consentiens opinioni illius, quem crederet Aug. vel Amb. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ

partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis inter Mariam, & Ioseph perfectum coniugium fuerit, tamen Maria licitè in sua virginitate permanere proposuit. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit in quo consenserint beata Virgo, & Ioseph, quando fuit inter eos matrimonium celebratum. Et respondet secūdum beatum August. quòd beata Virgo proposuit seruare virginitatem, nisi Deus ei aliter reuelaret; sed ipsum votum non expressit ore, sed committens virginitatem suam Diuinæ dispositioni consensit in maritalem copulam, siue in socię ętatem coniugalem ex familiari consilio Spiritussancti. Etiam secundum Aug. implicitè (licèt non explicitè) consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed Diuinæ dispositioni in vtroque, scilicet, virginitate, & commixtione obediendo. Postea simul cum viro labijs expressit votum, & vterque in virginitate permansit. Deinde dicit, quòd illud coniugium perfectum fuit sanctitate, licèt non significatione: quia coniugium, quòd est sine copula carnali, quāuis, sit perfectum quantum ad veritatem, vel sanctitatem coniugij, non tamen secundum significationem, quia non ita perfectè significat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, sicut cōiugium per carnalem copulam consumatum. Quod autem illud coniugium fuerit perfectum; ostendit per tria bona matrimonij, quæ ibi fuerunt, scilicet, fides, proles, & sacramentum. Proles enim fuit Christus. Fides quia nullum adulterium. Sacramentum autem quia nullum diuortium. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis ponitur ista conclusio. Principalis causa contrahendi matrimonium est prolis procreatio, secunda est fornicationis vitatio. Quam Magister ponens, dicit, quòd matrimonij prima, & principalis causa fuit liberorum procreatio. Secunda verò fornicationis uitatio: sunt etiam aliæ causæ minus honestæ, ut pulchritudo uiri, uel mulieris, abundantia pecuniæ, & diuitiarum. Sunt etiam quædam aliæ causæ honestæ, sicut inimicorum reconciliatio, pacis reintegratio, & huiusmodi. Postea remouet errorem quorundam dicentium propter causam minus honestam matrimonium

monium non contrahi, dicendo quòd propter huiusmodi causas non impeditur, quin sit matrimonium, & quin etiã sit bonum matrimonium, quia malitia, uel peruersa intentio alicuius non commaculat Sacramentum, nec eius bonitatem tollit, nec impedit, quod auctoritatibus confirmat. Vltimò dicit, quòd in matrimonio Virginis beatæ, & Ioseph fuerunt aliæ causæ speciales. Prima fuit, ut Virgo eius solatio, & auxilio sustentaretur. Secunda fuit ut partus Virginis Diabolo celaretur. Tertia fuit, ut Ioseph fuisset testis castitatis, & uirginitatis beatæ Virginis, & post defenderet eam ab infamia suspicionis, ne ut adultera damnaretur ab hominibus. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE TRIBVS BONIS CONiugij.

DISTINCT. XXXI.

T E X T.

Post hæc de bonis coniugij quæ sint, & qualiter coitum excusent dicendum est. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima prima distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de causa efficiente matrimonij, & finali, quę sunt causæ constituentes matrimonium: hic consequenter agit de bonis matrimonij, quæ sunt causæ honestantes matrimonij actum. Diuiditur pręsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister tria esse bona matrimonij ostẽdit. In secunda uerò abortum procurantes fore homicidas determinat. In tertia autem, & ultima per bona matrimonij coitum à peccato excusari declarat. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio.

In ma

In matrimonio communiter triplex bonum est, scilicet, fides, proles, & Sacramentum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, inducit tria esse bona matrimonij, scilicet, fidem, prolem, & sacramentum. Ad fidem autem pertinet, vt vir ad aliam mulierem non accedat, nec mulier alium virum admittat. Ad prolem autem ut amanter suscipiatur, & religiosè educetur. Ad sacramentum verò vt coniugium non separetur. Aliquando autem separatur corporaliter ex aliqua causa, nunquam tamen sacramentaliter per totam hanc vitam, quod auctoritatibus cõfirmat. Addit etiam, quòd sacramentum, quòd est tertium bonum matrimonij, non est ipsum coniugium, sed eiusdem rei signum, cuius est coniugium, scilicet, spiritualis, & inseparabilis Christi coniunctionis, & Ecclesiæ. Postea dicit, quòd bonum prolis, & bonum fidei aliquando in matrimonium deficiunt, nunquam tamen deficit bonum quod est Sacramentum. Deinde dicit, quòd illi, qui contrahunt adinuicem incontinentię causa, dummodo sit perpetuus contractus, & non vitetur generatio prolis, verum matrimonium contrahunt. Illi verò qui venenum sterilitatis procurant, vel similia mala, veri coniuges non sunt. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Qui abortum post animæ infusionem procurant, se esse homicidas non dubitent. Quam quidem conclusionem ponens Magister, quærit, Vtrum illi, qui abortum procurant, sint homicidæ. Et respondet, quòd sic, si puerperium animatum est, aliter autem non. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Tria bona matrimonij sic ordinant coitum, vt ibi peccatum non sit. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit quòd tria prædicta bona matrimonij excusant actum matrimonij ut peccatum non sit, vt quando fide thori seruata coniuges conueniunt causa prolis. Quando verò fide seruata conueniunt coniuges incontinentiæ causa, tunc excusatur coitus, vt non habeat culpam mortalem. Vltimò obijcit in contrarium tripliciter, Primò per Apostolum, qui actum

actum coniugalem per indulgentiam concedit, dicens, hoc autem dico vobis secundum indulgentiam, sed indulgentia non est nisi peccati, ergo à culpa non excusatur matrimonialis concubitus. Et respondet distinguendo de indulgentia. Est enim indulgentia concessionis, & permissionis. Cõcubitus ergo coniugalis, qui fit causa prolis, indulgetur secundum concessionem sicuti minus bonum: sed concubitus, qui fit causa incontinentiæ, indulgetur secundum permissionem sicuti minus malum: excusatur tamen huiusmodi actus coniugalis per bona matrimonij, dum tamen huiusmodi actus intra limites matrimonij, & bona matrimonij sit. sed si excedat limites non excusatur, quod multis auctoritatibus declarat. Secundò opponit per hoc, quòd omnis concupiscentia, & delectatio, quæ est in coitu, mala est, & inordinata, & ita est peccatum, Et respondet illam concupiscentiam semper esse malam, & inordinata inordinatione pœnali, quæ est pœna peccati, non tamen est simpliciter inordinata inordinatione culpæ, quia non est semper peccatum, illa ergo delectatio coitus coniugalis per bona matrimonij defenditur, nisi sit immoderata, & vltra coniugij terminos se extendens, Tertiò obijcit per auctoritatem Gregor. qui dicit, quòd post accessum ad uxorem, debet huiusmodi ab ingressu Ecclesiæ abstinere, quia voluptas ipsa, quæ est in ipsa coniunctione carnali, sine culpa esse non potest. Et respondet, quòd hoc intelligendum est, quando ad vxorem accedit incontinentiæ causa, vel quia vix sine incontinentia acceditur. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE SOLVTIONE CARNALIS Debiti.

DISTINCT. XXXII.

TEXTVS.

Sciendum etiam est, quia cùm in omnibus alijs vir præsit mulieri, vt caput corpori, (est enim vir caput mulieris) in soluendo tamen carnis debito pares sunt. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima secunda distinctio cum superiori, hunc in modum. Cum enim Magister superius egerit de bonis matrimonii, quibus actus matrimonialis excusatur; hic modò determinat de ipso actu secundum, quòd accipit rationem debiti. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter vir, & mulier in soluendo, & petendo coniugii debitum, par habeant dominium. In secunda verò subdit, quomodo reddere coniugale debitum, nullius sit criminis. In tertia autem, & vltima subiungit, qualiter non sit licitum quolibet die exigere, vel petere debitum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. In soluendo, & petendo carnis debitum vir, & vxor habent par dominium. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò, quòd cùm vir in omnibus præsit mulieri, sicut caput corpori, in redditione tamen debiti sunt pares, quia alter alterius corporis habet potestatem, vt alteri poscenti non liceat alteri debitum denegare, siue hoc poscat causa prolis procreandæ, siue incontinentiæ causa, quod auctoritatibus confirmat. Postea subdit, quòd sicut alter alterius habet potestatem, ita quòd nec mulier ad alium maritum, nec vir ad aliam mulierem habet potestatem accedendi: ita etiam nec vir ad continendam habet sui corporis potestatem, nec mulier, nisi de mutuo consensu. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Licet aul-

nullius criminis sit reddere debitum coniugale, tamen exigere vltra generandi necessitatem, est delictum veniale, fornicari verò, aut mechari est mortale. Quam quidem cōclusionem Magister ponens, subdit, quòd reddere coniugale debitum nullius est criminis, exigere verò ultra generandi necessitatem venialis est culpæ, fornicari verò, vel mechari mortalis est culpæ. Postea pluribus auctoritatibus confirmat supradicta, nempè, quòd coniuges nec apertè, nec fraudulenter à carnali debito adinuicem sine communi consensu continere possunt. Deinde quærit, si vir vxori consentiat, quòd continentiam Deo offerat, & à suo iure eam absoluit, Verum possit post datam licentiam reuocare? Et respondet quòd sic in hoc casu, scilicet, si ei concesserat vouere continentiam, & ante votum prohibet implere: si autem post, reuocare non potest. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Nullus in matrimonio licitè potest debitum carnis quolibet die exigere, seu poscere. Quam Magister insinuans, dicit, quòd licèt debitum poscenti sit persoluendum, non tamen licet quolibet die exigere, seu poscere, sicut in diebus festiuis, & ieiuniorum, & processionis, quod auctoritatibus confirmat. Postea ostendit, quòd beatus Hier. vult, quòd reddere debitum sit quādoque peccatum, quod est contra supradicta. Dicit enim beatus Hier. qui vxori debitum reddit non potest orationibus vacare, nec sumere carnes agni, idest, Eucharistiam. Dicit etiam, quòd non est semper reddendum debitum, vt in diebus quibus est orationibus vacandum, vel Eucharistia sumenda. Et respondet, quòd dictum Hier. referendum est ad Ecclesiæ ministros, quibus non licebat sacra officia celebrare tempore coniugalis amplexus. Vltimò dicit, quòd sicut in carnali commixtione, sic etiam in celebrandis nuptijs sunt tempora obseruanda, quia non quibuscunque temporibus sunt nuptiæ celebrandæ, sunt à septuagesima vsque ad octauam Paschæ, & tribus hebdomadis ante festum Ioannis Bap. & ab Aduentu Domini vsque post Epiphaniam. Et hęc de hac distinctione dicta sint satis.

DE DIVERSIS CONIVgij Legibus.

DISTINCT. XXXIII.

TEXT.

Quæritur hic de antiquis patribus, qui plures simul leguntur habuiße vxores, vel concubinas, Vtrum peccauerint? &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima tertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister suprà egerit de bonis matrimonij: hic modò determinat quomodo hæc bona fuerint in matrimonio antiquorum patrum. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister antiquis patribus fuisse concessum, plures habere vxores, ostendit. In secunda verò continentiam Abrahæ continentiæ Ioannis comparat. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter tempore Euangelij virginitas fœcunditati præferatur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur, ista conclusio. Ex Diuina dispensatione antiqui patres plures habuerunt vxores. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit, Vtrum antiqui patres plures vxores sine peccato, vel concubinas habuerint. Et respondens præmittit, quòd secundum diuersitatem temporum fuit etiam varia Dei dispensatio. Ante peccatum enim inter duos tantùm est coniugium inchoatum, secundum quem inchoationis modum, si primi parentes in obedientia perstitissent, per temporis successionem inter duos

duos tantum fuisset matrimonialis contractus. Post peccatum verò primis parentibus adinuicem conuenientibus, & prolem procreantibus filij eorum, vt filiæ coniuncti sunt, sed vnus tantùm vni, & fratres sororibus copulati sunt quia non erant mulieres aliæ, nec viri alij, quibus filij Adæ, & filiæ coniungerentur. Lamech autem primus omnium legitur duas habuisse vxores, quod in eo reprehēdebatur, quia pro explerione voluptatis hoc fecerit. Processu verò temporis cum omnes ferè homines plures Deos colerent, paucis in cultu Dei remanentibus, Diuina dispensatione consultum est, vt viri possent sibi plures vxores in matrimonium copulare, ne cultus, vel notitia Dei deficeret illis paucis deficientibus, sicut patet in Abraham, & Iacob. Vndè & in lege mulier sterilis maledicta erat, quæ non relinquebat semen super terram. Ex his patet solutio ad quæstionem, quòd sine peccato antiqui patres plures habuerunt vxores: non enim (sicut dicit Aug.) hoc erat contra ius naturale, quia non concupiscentia perficiendæ voluptatis, sed prouidentia procreandæ prolis hoc fecerunt: nec erat contra illius temporis matrimonium, nec etiam contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum, non tamen hoc tempore licet, vt facile, & euidenter in littera videre est. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Continentiam, quam Ioannes habuit actu, Abraham potuit seruare solo habitu. Quam quidem Magister insinuans, dicit in commendationem coniugij antiquorum patrum, quòd virginalis castitas non præfertur in merito antiquorum patrum coniugali castitati, quod auctoritate beati Aug. declarat dicentis: Non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullus expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios genuit. Nam illius cœlibatus, & istius connubium pro temporum distributione Christo militauerunt, sed continentiam Ioannes in opere, Abraham solo habitu habebat. Postea obijcit, quòd antiqui patres plures vxores habentes non videntur seruasse fidem tori. Et respondet, quòd fidem tori seruabant, quia cum proprijs vxoribus, vel ancillis, & non

cum

cum mulieribus alienis coniungebantur Et sic patet, quæ fuerit ante legem matrimonij consuetudo, & quòd in matrimonio antiquorum fuerunt prędeterminata bona matrimonij. Postea determinat de matrimonio tempore legis, dicens, quòd per legem Moysi fuit matrimonium determinatum, & quantum, ad legitimarum personarum determinationem: quia non licebat copulari carnaliter matri sorori, nepti, nouercæ, amitæ, materteræ, & quibusdam alijs personis: & quantum ad separationem, quia permisit Moyses aliam ducere, dato tamen prius libello repudij, in quo vir inscripserat causas, per quas vxorem repudiabat, vel propter duritiam cordis eorum permissum est, vt maius malum, scilicet, homicidium tolleretur. Postea quærit, quibus licebat sub lege plures habere vxores, & quibus non. Et respondet, quòd multiplicatio vxorum est generaliter prohibita. Permissum tamen est Regi plures habere vxores, sed non multiplicare idest, plurimas habere, quia talis multiplicatio vxorum propter carnalis actus delectationē mentem eneruat, & allicit. Addit etiam, quòd adueniente tempore plenitudinis iuxta priorem, & honestiorem institutionem vnus tantum vni coniungitur in figura Christi, & Ecclesiæ. Et hæc de secunda parte sufficiant. pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. In hoc tempore virginitas fœcunditati præfertur, & continentia sacerdotibus indicitur. Quam quidem Magist. ponens, dicit, quòd hoc tempore, s. euangelico virginitas fecunditati præfertur, & continentia ipsis præsbyteris præcipitur, cùm tamen in lege fœcunditas virginitati preferretur, & sacerdotibus coniugia indicerentur. Vltimò dicit, quòd virginitas mentis melior est, & commendatior, quàm carnis virginitas, quod auctoritatibus confirmat.

Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

D E

DE PERSONIS LEGITIMIS.

DISTINCT. XXXIV.

TEXTVS.

Nunc superest attendere, quæ personæ sint legitimæ ad contrahendum matrimonium. &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur ista trigesimaquarta distinctio cùm superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de matrimonio, quantum ad eius institutionem, significationem, & quantum ad eius causam efficientem, & finalem, & quantum ad eius bona; hic consequenter determinat de eo, quantum ad causam materialem, scilicet, quantum ad personas contrahentes. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quæ nam personæ sint legitimæ ad contrahendum matrimonium. In secunda verò ostendit, qualiter matrimonium possit propter frigiditatem quandoque dissolui. In tertia autem, & ultima subdit, qualiter amentes, dum sunt in amentia actuali, contrahere non possint matrimonium. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quædam personæ ad contrahendum matrimonium sunt plenè legitimæ, quædam omninò illegitimæ, quædam autem in medio constitutæ. Quam quidem conclus. Magist. insinuans, proponit, quòd ad matrimoniũ contrahendum aliquæ personæ fuerunt legitimæ ante legem, aliæ sub lege, aliæ verò tẽpore gratiæ: quædam & personæ in primitiua Ecclesia erãt legitimæ, quæ modò nõ sunt. Illarũ verò, q̃ vel legitimæ, vel illegitimæ sunt, q̃dã sunt purè

legitimæ, vt illæ quibus impedimentum aliquod non obuiat. Quædam verò sunt omninò illegitimæ, vt illæ quibus obuiat ordo sacer, vel cognatio, vel disparitas cultus, & huiusmodi. Quædam etiam sunt mediæ, quæ nec purè legitimæ sunt, nec omninò illegitimæ, vt illæ, quibus obuiat frigiditas, vel conditio. Tales enim si ignoranter coniunguntur, permanere possunt quibusdam accedentibus causis, & eisdem deficientibus diuidi possunt. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Propter maximam frigiditatem coniugium separatur, vt vir alteri nunquam coniugatur. Quam quidem conclu. Mag. ponens, dicit, quòd illi qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, sic permanere si volunt. si autem mulier causaretur dicens, quòd vult esse mater, & filios procreare, decretum est, quòd vterque coniugium in aliquorum propinquorum manu iuret, quòd nunquam carnaliter conuenerint. Et hoc ita fieri debet. Primò uir, & mulier iurabunt, quòd nunquam carnaliter conuenerunt: & tunc septem de propinquis, qui melius possunt scire ueritatẽ per signa probabilia iurent, quòd credant eos uerum dixisse: & tunc mulier secundas contrahere potest nuptias. Vir autem qui est frigidæ naturæ absque spe coniugij manere debet. Si enim ille aliam uxorem duceret, cogendus esset redire ad priorem. Quando autem impedimentum ex utraque parte prouenit, uterque debet remanere innuptus. Hic autem modus seruandus est, quãdo uterque coniugum idem confitetur: quod si uir asserat se debitum reddidisse, mulier autem diffiteatur, tunc uiro potius adhibẽda est fides, quia uir caput est mulieris, quod Magister auctoritate confirmat. postea dicit, quòd si per aliquod maleficium concubitus non sequatur, illi, quibus hoc euenit, hortandi sunt ut de omnibus confiteantur commissis, & satisfaciant de eis Deo. Ministri uerò Ecclesiæ per exorcismos, uel ecclesiastica sacramenta tales sanare procurent, quod si non possunt, separari ualebunt. Postquam tamen alias nuptias expetierunt, uiuentibus illis, quibus functi fuerunt, non poterunt reconciliari prioribus, quos relique-

reliquerant, etiam si potestas coeundi eis restituta fuerit, nisi forte iudicio Ecclesiæ, quo diuisio, & separatio facta fuerat. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Furiosi, & amentes totaliter non possunt contrahere matrimonium legaliter. Quam ponens Magister, dicit, quòd furiosi, dum sunt in amentia, contrahere non possunt, quod auctoritatibus confirmat. Postea dicit, quòd ille, qui dormit cum sorore uxoris suæ, neutram ex eis habere debet, nec ipsi adulteri unquam debent coniugio copulari: nec etiam propriæ uxori licet sibi reddere debitum, quam sibi reddidit illicitam, sororem eius cognoscendo: quæ opinio Magistri hic non tenetur à modernis. Vltimò dicit, quòd non licet uiro uxorem dimittere, nec è conuerso propter aliquam infirmitatem, uel maculam corporalem, sed debet alter alteri subsidia prouidere, quod auctor. confirmat. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

EODEM IVRE VTITVR uir & mulier.

DISTINCT. XXXV.

TEXT.

Hoc etiam notandum est, quòd Dominus concedit uxorem dimitti causa fornicationis viro, eadem licentia non tollitur feminis. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista triigesimaquinta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Mag. superius egerit de impotentia coeundi, quæ actum matrimonialem impedit: hic modò agit de separatione tori propter

 fornica-

fornicationem, quæ similiter actum matrimonij tollit, vinculo matrimonij durante. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter vterque coniugum possit alium dimittere propter fornicationem. In secunda uerò subdit, qualiter nullus possit in matrimonio ducere, quàm polluit in adulterio. Pro declaratione igitur primæ part. ponitur ista cóclus. Etsi vir vxorem dimiserit causa fornicationis, alteram tamen non ducat ea viuente in statu huius corruptionis. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò quòd sicut licet viro causa fornicationis uxorem dimittere: ita eadem causa dimittere licet vxori virum, quod auctoritatibus probat, postea dicit, quòd illud, quod dictum est, debet intelligi si ille, qui dimittit, simili crimini non subiaceat. Adultera autem adulterum dimitte re non potest causa fornicationis, quod auctoritatibus probat. Deinde dicit, quòd si causa fornicationis facta fuerit separatio, nõ potest vir, vel mulier in aliam copulam transire coniugalem: possunt autem reconciliari, & cohabitare simul, sicut prius si vir vxorem dimissam, & ecóuerso reuocare voluerit, quod auctoritatibus probat. Postea inducit plures auctoritates, quæ dicunt, ꝙ si vir sciat vxorem suam deliquisse, & non agat mulier pœnitentiam, sed in fornicatione permaneat, & hoc patiatur vir cum ea manens, & cohabitans, reus est, & particeps huius peccati; & ideò eam retinere non debet. Si verò mulier dimissa, & à peccato discesserit, & per pœnitentiam illud purgauerit, poterit viro reconciliari, & vir videtur etiam talem recipere debere, sed non sæpè. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista conclusio. Vir non potest ducere vxorem, quam prius per adulterium polluit, si ipsa in mortem viri machinata fuerit, seu si vir dederit fidem, quòd eam duceret, si vir non superuixerit. Quam Magister ponens, probat eam auctoritate Leonis Papę. Obijcit tamen contra hoc Magister per auctoritates beati August. quas soluit dans earum sanam intelligentiam. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

SI PRO

SI PRO EXTREMA CONditione valeat vxor separari à viro, & econuerso.

DISTINCT. XXXVI.

TEXT.

Nunc de conditione videamus, an valeat coniugium diuidere, &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista trigesimasexta distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de impedimentis antecedentibus matrimoniũ contrahendum, & de superuenientibus in contractu: hic modò determinat de incidẽtibus in contractu ipso, sicut est error conditionis. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ostendit impedimentum matrimonij ex parte seruilis conditionis: In secunda verò ostendit impedimentum ex parte ætatis deficientis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Cùm persona depressa seruitute contrahens ignoranter, eã pôt dimittere, & alteri coniungi matrimonialiter. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit primò, Vtrũ seruitus cõiugiũ diuidere possit. Et rñdet, q̃ liber pôt accipere, seruã mulierẽ, & libera mulier seruũ virum, & est verũ matrimoniũ, si liber cognoscat conditionem serui, si aũt ignoret eam, detecta seruitute pôt manere cũ seruo, & ecõuerso, si vult. Sed si nõ vult, dirimendũ est matrimoniũ, quod auctoritatibus probat. Postea quærit, si ambo, s. vir,

& mulier sint seruilis conditionis, Vtrum possit inter eos fieri coniugium. Et respondet ex auctoritate cuiusdam cōcilij, quòd sic, dummodo fiat coniunctio ex voluntate dominorum, quamuis, nonnulli dicant, quòd do minis ignorantibus possit inter eos fieri coniugium. Postea dicit, quòd si mulier accepit virum liberum, & ille postmodum fecerit se seruum alicuius occasione diuortij, vir ille non potest vxorem dimittere, nec illa ob vinculum matrimonij potest in seruitutem redigi, cùm ille non ex consensu coniugis seruum se fecerit, quod auctoritatē cuiusdam concilij probat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio Pueri, & puellæ ante legitimam ætatem non possunt matrimonium iure contrahere. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit quod secundum leges pueri ante decimū quartum annum, & puellæ ante duodecimum annum, non possunt matrimonium contrahere: quod si fecerint ante prædicta tempora, separari poterunt. Qui autem in pueritia copulantur, & post annos pubertatis nolunt se dimittere, sed in coniunctione permanere, ex hoc efficiuntur coniuges, & deinceps nequeunt separari: si verò voluerit se dimittere, poterunt absque vllo impedimento. Addit etiam, quòd sponsalia ante septimum annum cōtrahi non possunt, oportet enim, quòd ab vtraque parte intelligatur, quid inter eos agitur. Vltimò dicit esse determinatum de duobus impedimentis coniugij, quibus solui potest matrimonium ipsum; sed non semper necesse est solui quibusdam alijs additis. Restat autem de illis impedimentis agere, quæ faciunt personas, penitus illegitimas, & primò de ordine. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

IN QVO ORDINE NEqueat fieri coniugium.

DISTINCT. XXXVII.

TEX.

T E X T.

Sunt igitur quidam ordines, in quibus nullatenus potest contrahi coniugium: &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimaseptima distinctio cum superioribus hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de impedimentis matrimonij, quæ faciunt personas medias inter personas legitimas, & penitus illegitimas: hic modò determinat de impedimentis, quæ faciunt penitus illegitimas ad contrahendum. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo per ordinem sacrum matrimonium impediatur. In altera verò subdit, quomodò per vxoricidium impediatur similiter ipsum matrimonium. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Voto continenciæ constricti, vel in sacris ordinibus, vel in religione constituti, matrimonium contrahere ab Ecclesia sunt prohibiti. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quòd sunt quidam ordines, in quibus nullatenus potest contrahi coniugium, & etiam si intercesserit copula fit diuortium, sicut Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. In alijs verò ordinibus permittitur fieri coniugium, nisi vir religionis habitum sumpserit, vel votum continentiæ fecerit, quod pluribus auctoritatibus confirmat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista conclusio. Interfectoribus suarum coniugum, penitus denegatur coniugium. Quam Magister ponens, dicit, quòd occisoribus suarum coniugum penitus denegandum est coniugium: tales autem sic criminosos ecclesiastica disciplina, spirituali gladio, & non materiali gladio feriri iubet, & puniri. Vndè tales debent publicam pœnitentiam agere, & si contumaces fuerint excommunicentur quousque consentiant. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE VOTO.

DISTINCT. XXXVIIII.

TEXT.

Nunc de voto inspiciamus. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesima octaua distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de impedimento ordinis: hic consequenter determinat de impedimento voti. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister distinguit votum in commune, & singulare. In secunda vero quale votum matrimonium impediat subdit. In tertia autem, & vltima subiungit, quomodo viri longe à fœminis propter captiuitatem sequestrati, eas repetere possint redeuntes. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Votum commune est quod omnes accipiunt, cùm spondent diabolo, & pompis eius renunciare: singulare verò est cùm quis spondet virginitatem seruare. Quam quidem cõclusionem Magister insinuans, proponit primò quid sit uotum, & dicit, quòd votum est testificatio quædam spontaneæ promissionis, quæ Deo, & de his quæ Dei sunt propriè fieri debet. Sunt tamen aliqua stultorum uota, quæ frangenda sunt. Postea distinguit de voto, & ostendit quòd votum matrimonium impedit, & dicit, quòd uotorum aliud est uotum commune, & aliud singulare. Commune est illud, quod in baptismo faciunt omnes, cum spondent se renunciare diabolo, & pompis eius. Singulare verò est, cùm quis sponte promittit virginitatem seruare, continentiam, & huiusmodi. Item votorum singularium aliud est priuatum, vt illud, quod est factum in abscondito. Aliud solenne, vt

æ, vt illud, quod est factum in facie, vel conspectu Ecclesiæ. Priuatum autem votum si violetur, peccatum mortale est. si autem solenne violetur, peccatum mortale, & scandalum, est. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secūdæ partis ponitur ista alia conclusio. Omne quod licitè promittimus debemus seruare totum, siue sit priuatum, siue solenne uotum. Quam quidem conclusionem Mag. insinuans, dicit quòd qui priuatum votū n continentiæ faciunt, matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant. si tamen contrahunt non separantur, quia probari non potest, quod occultè factum est. Qui autem solenniter vouent, nullatenus in coniugio manere queunt. Continentiam igitur vouentes siue sint uirgines, siue viduæ, siue uelatæ, siue non velatæ, coniugium nullatenus sortiri possunt: quia quod ante fuit licitum, post votum fit illicitum, quod auctoritatibus confirmat. Postea dicit, quòd illæ quæ continentiam solenniter uouerunt, & non implent, aliquo tempore à liminibus Ecclesiæ debent arceri, & à cœtu fidelium, donec humiliter satisfaciant, & ad bonum, quod inceperant siue inuitè, siue uoluntariè redeant, quod auctoritatibus probat. Obijcit tamen per auctoritatem Innocentii, qui dicit illas, quæ Christo spiritualiter nubunt, si postea cum homine publicè nupserint, non solùm ad coniugium, sed nec ad pœnitentiam recipiendas esse, donec illi, quibus se coniunxerunt, de mundo recedant. Et respondet Magister, quòd auctoritas Innocentij intelligenda est de illis, quæ ab incestus copula discedere nolunt, quæ non sunt ad penitentiam admittendæ: tamen quæ dignè pœnitentiam agere uolunt, à pœnitentia non excluduntur: & illæ sunt, quæ à talibus illicitis amplexibus se separant, quibus illi, quibus iunxerant, se defuncti sunt. Tunc enim eis viri defunguntur, & de mundo recedunt, cùm ab eorum concupiscentia istæ se alienant. Postea dicit, quòd quando vir, & mulier legitimè sunt coniuncti, non potest alter altero viuente ad aliam copulam transire, alioquin adulterium committit, quod est grauissimum peccatū, licèt grauius sit incestus, & adhuc amplius

contra naturam, quod auctoritatibus probat. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Viri redeuntes ex longa captiuitate, quos fœminæ putabunt fore mortuos, possunt vxores suas repetere ex iuris potestate. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit de illis fœminis, quæ putantes viros suos interfectos. vel captos, vel nunquam liberandos, ad aliorum coniugia transierint, si illi, qui putantur perijsse, remeauerit, Vtrum eis reddi debeant, & an ipsæ sint reæ adulterij. Et respondet, quòd cùm prima copula esset legitima, qui sic coniunguntur propter ignorantiam, habent aliquam excusationem de peccato, si tamen caruerint opprobrio malæ voluntatis. Exigit tamen iustitia, vt viris reuersis vxores coniungantur, & reformentur: & si sic voluerint, laudandæ sunt. Si autem ad legitimum consortium redire noluerint, sed cum posterîs viris remanere, meritò excommunicandæ sunt, & communione ecclesiastica priuandæ, quod auctoritate confirmat. Vltimò quærit de illo, qui vxore relicta in patria sua abijt in longinquam regionem, & ibi aliam ducit, postea pœnitentia ductus, vult eam dimittere asserens se aliam habuisse, quæ viuit, Ecclesia etiam (quia ignorat illud quod ipse dicit) non permittat: Quæritur, inquam, Vtrum in hac copula sit coniugium. Et respondet Magist. quòd non, tamen propter ignorantiam mulier excusatur de crimine, vir autem committit adulterium: ex quo tamen vult ad primam redire, & non potest, sed cogitur iudicio Ecclesiæ hanc tenere, per obedientiam, & timorem incipit excusari, Vndè debet ei reddere debitum, sed nunquam ab ea petere. Quod est falsum, quia ex quo non est vxor eius legitima, nullo modo licet ei debitum reddere, & multo minus petere. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE DISPARI CVLTV.
DISTINCT. XXXII.

TEX-

T E X T.

Post hæc dispari cultu videndum est, hæc est enim vna de causis, quibus personæ illegitimæ fiunt ad contrahendum matrimonium. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista trigesimanona distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magist. superiùs egerit de impedimentis matrimonij, quæ faciunt personam simpliciter illegitimam respectu cuiuslibet personæ: hic modò determinat de impedimentis, quæ faciunt eam illegitimam respectu aliquarum personarum. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quòd dispar cultus personas illegitimas facit ad contrahendum. In secũda verò ostendit, quomodo vir possit dimittere vxorẽ, & vxor virum propter aliquod vitium, & peccatum. In tertia autem, & vltima subdit, infidelium conjugium non esse ratum. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio Diuersæ religionis personę ad contrahendum simul matrimonialiter sunt illegitimæ. Quam quidem conclusionem Magister ponens, proponit, quòd matrimonium contrahi non potest ab his, qui diuersæ sunt religionis. Dispar enim cultus facit personas illegitimas ad contrahendum, quòd pluribus auctoritatibus confirmat. Postea obijcit in contrarium per Apost. qui dicit, quòd si quis habet vxorem infidelem, & hęc consentit habitare cum isto, non dimittet illam: & similiter dicit de muliere. Et respondet, quòd Apost. loquitur de illis, qui simul in infidelitate sunt coniuncti, & alter eorum ad fidem conuertitur, tunc enim potest fidelis infidelem dimittere propter fornicationem spiritualem infidelitatis, vel potest eam retinere pro spe conuersionis, & hoc Apo-

stolus

stolis consuluit. Conclusio autem prædicta intelligitur de il lis, qui existunt in dispari religione, cultu, seu fide, qui, scilicet, sic manentes contrahere non possunt. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione igitur secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Præter infidelitatem sunt nonnulla uitia, per quæ uir uxorem dimittere potest, & econuerso. Quam insinuans Magister, quærit, Vtrum propter aliud uitium, quàm infidelitatem uir possit vxorem dimittere. Et respondet, quòd vir sine crimine potest uxorem dimittere, & econuerso vxor uirum propter quasdã concupiscentias illicitas, & quædam uitia, quæ aberrare faciunt animam à lege Dei: & non solùm propter infidelitatem, quod auctoritatibus probat, postea quærit si fidelis infidelem dimittat, uel infidelis à fideli recedat, Vtrum liceat fideli aliam ducere. Et arguit pro, & contra. In fine dicit, quòd si fidelis dimittat infidelem uolentem secum cohabitare, non potest aliam uxorem ducere ea uiuente. Si verò infidelis discedat, & dimittat fidelem volentem secum habitare, non tenetur sequi discedentem, sed licet et alteram ducere. Hoc autem intelligendum est de illis, qui in infidelitate coniuncti sunt. Sed si vterque fuerit fidelis matrimonio coniunctus, & postea alter illorum à fidelitate discesserit, & fidelem reliquerit, non debet dimissus discedentem infidelem sequi: tamen illa viuente non potest aliã ducere, quia inter eos fuit coniugium ratum, quod dissolui non potest. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Coniugium infidelium minimè esse ratum patet ex hoc, quòd omnis actio eorum uerissimè est peccatum. Quam quidem conclusionem Mag. insinuans, dicit quosdam dicere, quòd inter infideles non sic verum coniugium, quia eorum copula non est rata, cùm solui possit: nec eorum coniugia legitima existunt, cum non sint ex fide, omne autem, quod nõ est ex fide, peccatum est secundum Apost. ergo, &c. hoc idem etiam ostendit per August. Magister autem dicit, quòd inter infideles sit legitimum matrimonium, quia est inter legitimas personas, sed non est ratum, quia scilicet, non habet

habet fundamentum fidei; sed fidelium est legitimum, & ratum si legitimæ sint personæ. Insuper Ad auct. Aug. dicit, quòd coniugium infidelium verum est, sed non habet bona matrimonij perfectè. Exponit etiam illud Apost. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE COGNATIONE CARnali, & spirituali, & prius de carnali.

DISTINCT. XL.

TEXT.

Nunc superest de cognatione aliquid dicere. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesima distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de impedimento disparis cultus: hic modò determinat de impedimento cognationis. Diuiditur præsens dist. in duas par. In quarum prima Mag. diuidit cognationem in carnalem, & spiritualem, determinando tñ primò de carnali. In secunda uerò assignat rationem quarundam auctoritatum de gradibus cognationis carnalis. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Cognatio quædam dicitur carnalis, quædam verò spiritualis: & de carnali loquendo dicimus, ꝙ hæc non impedit matrimonium, nisi usque ad quartũ gradũ inclusiuè ut dicit Decretalis. Hanc Mag. insinuans, proponit primò de cognatione, & affinitate esse dicendum. Deinde de carnali loquendo, proponit secundum opinionem nonnullorum, quòd carnalis cognatio protenditur usque ad septimum gradum, qui

qui quandiu cognosci possunt, habent matrimonium impedire. Quidam verò alii dicunt, quòd vsque ad sex gradus. Ratio autem diuersitatis est, quia quidam patrem, & eius filios immediatè ponunt pro trunco, & extunc computant gradus secundum numerum descendentium ab eis, & sic sunt sex gradus solùm. Alij verò ponunt patrem pro trico, & filios eius in primo gradu, & nepotes in secundo, & sic deinceps. Et sic sunt septem gradus, & est solùm diuersitas in modo computandi, & non in personis, neque in numero personarum. Impediebatur autem matrimonium inter consanguineos secundum iura antiqua vsque ad prædictos gradus, sed reuocatum est postea per Decretalem dicentem, quòd consanguinitas non impedit matrimonium, nisi vsque ad quartum gradum inclusiuè. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secundę partis, ponitur ista alia conclusio. Prædictarum auctoritatum ratio, per quandam congruentiam ostenditur. Quam insinuans Magister, dicit, quòd Isid. qui posuit consanguinitatem impedire matrimonium vsque ad sex gradus, assignauit quandam congruentiam, videlicet, quòd sicut sex ætatibus mūdi generatio, & hominum status finietur: ita propinquitas generis sex gradibus terminatur. Secundum illos verò, qui ponebant septem gradus consanguinitatis, fiebat alia adaptatio, nempè, quòd sicut post hanc vitam, quæ septem diebus agitur, Ecclesia Christo iungetur: sic post septem gradus consanguinitatis vir, & mulier poterunt matrimonium contrahere. Postea obijcit per Gregor. qui concessit Angelicis remanere in matrimonio cōtracto in quarto gradu. Et respondet, quòd illa fuit concessio specialis, quia Angelici tunc erant noui in fide. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE GRADIBVS AFFINITATIS.

DISTINCT. XLI.

TEX-

TEXT.

Nunc de affinitate videndum est: &c.

EXPOSITIO.

COnnectitur ista quadragesima prima distinct. cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de impedimento consanguinitatis: hic consequenter agit de impedimẽto affinitatis. Diuiditur præsens distinctio in duas partes. In quarum prima Magister ostendit, quòd affinitas matrimonium impedit contrahendum, & contractum dissoluit. In secunda verò quædam vitia distinguit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Qui infra affinitatis gradum prohibitum coniunguntur, habita notitia abinuicem separentur, & eorum filij legitimi habeantur. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò quid sit affinitas, dicens, quòd est parentela, quæ ad virum ex parte vxoris, & ad vxorem ex parte viri pertinet. Quia enim vir, & vxor vna sunt caro, rationabiliter propinquitas, & parentela vnius efficitur alterius, vt sit vna vtriusque. Vnde vir, & soror vxoris sunt in primo gradu: filij verò sororis sunt in secundo gradu à viro: neptis verò in tertio gradu, & sic deinceps. Dicit etiam, quòd affinitas vsque ad septimũ gradum (scilicet, secundum antiqua iura) matrimonium impedit, sicut & consanguinitas, quod auctoritatibus probat. Postea obijcit in contrarium per auctoritates, quæ dicunt, quòd inter affines potest coniugium contrahi in quarta, & quinta generatione. Et respondet, quòd auctoritates sunt intelligendæ secundum misericordiæ dispensationem. Potest tamen etiam dispensari in copula affinium vsque ad tertium gradum, sicut etiam Greg. dispensauit in quarto gradu cõsanguinitatis. postea quærit, si mortuo viro, vel vxore cesset affinitas: & si mortuo viro vxor contrahat cum alio, & habeat

habeat ex eo prolē, an illa proles posset p matrimoniū cōiungi consanguineis primi viri defuncti. Et respondet ad primum, quòd per mortem alterius coniugum affinitas non extinguitur. Ad secundum dicit, quòd proles suscepta ex secundo uiro, non potest coniungi per matrimonium cō sanguineis primi viri. Et hoc est obseruandum usque ad prædictos gradus secundum antiqua iura; sed non secundū noua. Postea dicit, quòd coniunctos infra prædictos gradus consanguinitatis, & affinitatis; Ecclesia separat. Deinde q̄rit, si coniuncti in gradu prohibito per ignorantiam, & in conspectu Ecclesiæ, & postmodum consanguinitate probata eiusdem iudicio Ecclesiæ separentur, Vtrum illa copula fuerit verum coniugium. Et respondet; quòd quidam dicunt, quòd non, quia non erant personæ legitimæ. Excusantur tamen per ignorantiam de crimine, quia bona fide, & per manum Ecclesiæ conuenerunt, vnde & filij eorum legitimi habentur. Alij uerò dicunt fuisse coniugium, quāuis non essent personæ legitimæ, quia canones talium coniunctiones coniugia uocant. Addit etiam, quòd ad dirimēdum matrimonia contracta in gradu prohibito iuramenta propinquorum sunt recipienda, quia tales magis nouerūt attinentiam ad gradus attinentiæ, qui possunt esse inter uirum, & uxorem. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundę partis, ponitur ista alia conclusio. Quę sit differentia inter raptum, stuprum, adulterium, incestum, & fornicationem, hæc littera dat sufficientem explanationem. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, distinguit diuersa peccata, s. fornicationem, stuprū, adulterium, incestum, & raptum, dicens, quòd licet fornicario sit genus omnis illiciti coitus, qui fit extra uxorē, tamen specialiter intelligitur in coitu uiduarum, uel meretricum, uel concubinarum. Stuprum uerò est illicita uirginum defloratio. Adulterium est alieni tori uiolatio. Incestus est consanguinearū, uel affiniū abusus. Raptus uerò est cùm puella uiolēter de domo patris educitur, ut corrupta in uxorē habeatur. Vltimò ponit quędā affinitatū nomina, quę patent in littera. Et hęc de hac distin. dicta sufficiant.

DE SPIRITVALI COgnatione.

DISTINCT. XLII.

TEXT.

De parentalium graduum famosa quæstione aliquid licèt minus sufficienter diximus: iam de spirituali cognatione addamus, quæ etiam impedit personas, ut non sint legitimæ ad ineundas nuptias, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimasecunda distinct. cum superioribus, hunc in modum. Cum enim Magister superiùs egerit de impedimento propinquitatis carnalis: hic modò agit de impedimento propinquitatis spiritualis. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, quomodo consanguinitas, affinitas, & etiam cognatio spiritualis impediant matrimonium. In secunda verò subdit, quomodo ex baptismo, & confirmatione cognatio quædam spiritualis contrahatur, per quam matrimonium dissoluitur. In tertia autem, & vltima ostẽdit, qualiter tertiæ, vel quartæ nuptiæ nec prohibitæ, nec damnabiles existant. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio, Matrimonium impediunt consanguinitas, affinitas, & etiam spiritualis germanitas. Quam quidem cõclusionem Magister insinuans, proponit primò post prædicta dicendum esse de cognatione spirituali, quæ etiam reddit personas illegitimas ad contrahendum. Deinde distinguit tria, quæ propinquitatem dicunt, & matrimonium

impediunt, scilicet, consanguinitatem, affinitatem, & spiritualem propinquitatem. Consanguinitas est inter eos, qui iunguntur secundum lineam generis. Affinitas uerò est inter eos, qui generatione, & genere quidem non sunt coniuncti, sed mediante genere, & carnali coniũctione sunt sociati. Spiritualis propinquitas verò dicitur illa, quæ est inter compatrem, & commatrem, & inter illos, quorum vnus alterum de sacro fonte leuauit, aut in cathechizatione, vel Confirmatione tenuit: est etiam inter filios eiusdem hominis carnales, & spirituales. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Dumtaxat ex duobus sacramentis, scilicet, baptismo, & confirmatione quædam spiritualis cognatio oritur, ex qua matrimonij contractus dissoluitur. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, dicit, quòd spirituales filij sunt, quos de sacro fonte leuamus, vel quos in confirmatione tenemus. Dicitur etiam filius, vel filia spiritualis ipsius sacerdotis, qui, vel quæ ei sua peccata cõfitetur, vel quam baptizat, quod auctoritatibus probat. Postea dicit, quòd compater, & commater sibi in matrimonio coniungi non possunt, nec pater spiritualis filiæ spirituali, nec mater spiritualis filio spirituali: & si factum fuerit, separari debent. Si autem post legitimum matrimonium contractum, alter coniugum insidiosè (scilicet, vt ab alio separetur) filium de sacro fonte leuauerit, aut in confirmatione tenuerit, non propter hoc sunt separandi. Qui autem hoc fecerit pœnitentia castigandus est. Obijcit tamen contra hoc Magist. per quasdam auctoritates, quæ expresse dicunt eos, qui de lauacro natos susceperunt, separandos esse. Magister autem soluit dicens illa dicta esse ad terrorem, non autem, quòd sit ita faciendum. Vel illæ auctoritates loquuntur de illis, qui prius quàm coniuges fierent, filios suos vicissim de sacro fonte susceperunt. Postea subdit, quòd filij spirituales, vel adoptiui naturalibus nequeunt copulari; quod intelligunt quidam de illis filijs, quibus compaternitas contrahitur. De alijs verò, qui ante compaternitatem, vel post geniti sunt, concedunt, quòd

licitè,

licitè, & legitimè coniungi possint. Et his consentit Vrbanus Papa. Quædam tamen auctoritas dicit etiam post compaternitatem genitos copulari non posse. postea quærit, Vtrum quis commatrem vxoris suæ post eius obitum in vxorem ducere possit. Et respondet, quòd non, quod auctor. confirmat. Obijcit tamen contra hoc per quasdam auctoritates, quarum dat intelligentiam. Deinde quærit, si vir, & vxor simul debeant in baptismo puerum suscipere. Et respondet per auctoritatem Vrbani Papæ, quòd non. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Tertiæ, quartæ, & quintæ nuptiæ non sunt damnandæ, licèt primæ sint solenniter venerandæ. Hanc enim conclusionem Magister ponens, dicit, quòd non solùm primæ nuptiæ sunt licitæ, sed etiam secundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ nuptiæ damnandæ non sunt, quod auctor. probat. Quod autem Apost. bigamos à sacerdotali honore excludit, hoc non facit pro tanto vitio bigamiæ, sed pro sacramenti signaculo, quod ibi non seruatur. Vnde etiam primæ nuptiæ sub benedictione celebrantur. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

DE RESVRRECTIONIS, Et iudicij conditione.

DISTINCT. XLIII.

TEXT.

Postremo de conditione resurrectionis, & modo resurgentium, nec non, & de die iudicij, & misericordiæ qualitate breuiter, disserendum est. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimatertia distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de sacramentis: hic consequenter agit de resurrectione, & gloria resurgentium, ad quam sacramenta perducunt. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, resurrectionem carnis realiter esse futuram. In secunda verò subdit, sanctos habere memoriam eorum, quæ, scilicet, hic sustinuentur. In tertia autem, & vltima annectit electorum peccata non publicari, quæ hic confessi fuerunt. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Iuxta fidem catholicam, & puram debemus credere omnem carnem esse resurrecturam. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò resurrectionem futuram esse ad iussum Domini, & quòd fideles, qui in Christo dormierunt resurgent, quod auctoritate Apost. probat. Postea dicit, quòd causa resurrectionis erit vox tubæ, cuius virtute excitabuntur mortui: quæ quidem vox dicitur tuba, quia erit omnibus manifesta. Dicitur autem nouissima, quia post eam non erit alia: quæ quidem tuba alibi clamor, & alibi vox filij Dei appellatur. Vox autem illa erit Christi, vel vnius, vel plurium Angelorum. Postea ostendit resurrectionis tempus occultum esse, & ignotum, propter quod comparatur mediæ nocti, cum dicitur sponsus media nocte venturus. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis sancti præcedentium malorum memoriam habeant, hoc tamen non erit eis ad gloriæ derogationem, sed magis ad gaudium, & gratiarum actionem. Hanc conclusionem insinuans Magister, quærit, Vtrum electi habeant memoriam præcedentium malorum. Et respondet, quòd habebunt malorum præteritorum memoriam, ex quo tamen in nullo contristabuntur: nec eis erit ad pœnam, vel gloriæ minorationem, vel derogationem, sed gratiarum actio-

ctionem. Et hæc de secunda parte sufficiant, pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio, Electorũ peccata per pœnitentiam hic deleta, ibi non erunt alijs manifesta. Quam quidem conclusionem Magister ponens, subdit, quòd rationabiliter dici potest peccata hic per pœnitentiam tecta, & delecta illic etiam tegi alijs, ita, quòd nullis manifestabuntur, Alia verò cunctis propalabuntur. Postea dicit incertum esse, Verum aliqui sine morte ad iudicium peruenient, Vel aliqui viui inueniantur, & subito moriantur, & sic ad resurrectionem transeant. Subdit etiam duplicem intellectum, quomodo intelligatur Christus iudex viuorum, & mortuorum. In fine dicit, q̃ licèt omnes resurgent incorrupti, idest, cum membrorum integritate, non tamen omnes resurgent impassibiles in gloriam. Et hęc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE ÆTATE ET STATVra resurgentium.

DISTINCT. XLIV.

T E X T.

Solent autem nonnulli percontari, & quærere, an in eadem ætate, & statura corporis omnes resurrecturi sint, &c.

EXPOSITIO

Connectitur ista quadragesimaquarta distinctio cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister suprà egerit de veritate resurrectionis, & eius conditionibus: consequenter hic agit de conditione resurgentium. Diuiditur præsens dist. in duas partes, In quarum prima Magister inuesti-

inuestigat, in qua ætate resurrecturi sint. In secunda verò subdit, qualiter omnes resurgere debeant cum perfecta omnium membrorum integritate. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio Absque vlla ambiguitate omnes homines resurgent in perfecta ætate, in qua Christus resurrexit, sed non in eadem statura. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, quòd omnes homines resurgent in ætate, in qua Christus resurrexit, sed non in statura Christi, sed quilibet in statura sua resurget, quam prius habuit in iuuenili ætate, etiam si senex obiit, vel fuerat habiturus si ante est defunctus. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Etsi generaliter omnes resurgent cum omni membrorum integritate, specialiter tamen electi absque vllo vitio resurgent, & deformitate. Quam quidem Magister ponens, dicit, quòd omnes homines cum membrorum integritate resurgent. In quodcunque enim elementum transeat materia corporis humani, illi corpori reddetur, vbi prius animata fuit, ita tamen quòd tota materia reddetur toti corpori ordinata sine omni indecentia. Hæc autem decentia specialiter apparebit in corporibus sanctorum, quæ erunt incorruptibilia, & impassibilia, subtilia, & agilia. Erunt etiam sine vitio, & deformitate, quia erunt sicut sol fulgida sine vlla corruptione. Præterea sciendum est, quòd damnati etiam cum membris suis resurgent incorrupti, & cum integritate membrorum. Vnde August. ait in littera, cum sua carne. Vtrum autem resurgere debeant cum deformitatibus, quas prius habuerunt Aug. non vult determinare. Deinde subdit, quòd damnati patientur in corporibus pœnam ignis, non tamen consumentur, sicut nunc animus dolorem sentit, & non corpus. Postea quærit, Vtrum dæmones corporali igne crucientur. Et respondet, quòd sic, miro tamen modo igni corporeo alligabitur spiritus dæmonis, sicut spiritus nostri miro modo alligantur corporibus. Postea subdit animas damnatorum etiam sine corporibus ignem sentire corporeum, & in illo igne ante resurrectionem corporum cruciari. Vltimò dicit, quòd fœ-

tus

tus abortiui, & monstra resurgent (sed fœtus qui, scilicet, vixerunt in vtero matris) in natura melios reparata, scilicet, sine monstruositate. Et hæc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE DIVERSIS ANIMArum receptaculis.

DISTINCT. XLV.

TEXT.

Præterea sciendum est, quòd omnes animæ (vt ait Aug.) cùm de hoc seculo exierint, diuersas habent receptiones: &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimaquinta distinct. cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de ijs, quæ ad resurrectionem petinent: hic modò determinat de ijs, quæ pertinent ad resurgentium remunerationem, & punitionem. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter animæ quam citò à corporibus separantur, habitaculis iuxta sua merita, vel demerita reddantur. In secunda verò ostendit, quomodo defunctis exequiæ viuorum pro eis factæ valeant ad suffragium. In tertia autem, & vltima ostendit, qualiter beati in patria pro nobis deprecentur. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. Quam citò animæ in morte à suis corporibus separantur, mox pro mercede suorum meritorum diuersis habitaculis reddentur. Quam quidem conclusionem Magi-

ster ponens, dicit, quòd animæ post mortem diuersa habent receptacula iuxta meritum vsque ad diem iudicij. Post iudicium verò earum pœna, vel gloria augebitur, quod auctoritate beati Aug. probat. Vnde infero, quòd sicut facta resurrectione pœna malorum augebitur: ita gloria, seu beatorum gaudium plus perficietur. Et hęc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Illi de orationibus, & eleemosynis Ecclesiæ, illic hunc profectum recipiunt, qui hic, tali vt eis proficerent meruerunt. Quam quidem conclusionem Magister ponens, dicit, mortuos uiuorum suffragijs posse adiuuari, si tamen hoc dum vixerunt meruerunt. Postea subdit, quòd ista, quæ hic pro defunctis frequentat Ecclesia, mediocriter malis suffragantur ad pœnæ mitigationem, & mediocriter bonis ad plenam absolutionem. Et facta pro valde bonis, qui suffragijs non indignet, fiunt gratiarum actiones. Et facta pro summè malis, qui iuuari nō possunt, sunt viuorum consolationem licèt eis non sint adiumenta. Quod auctoritate beati Aug. confirmat. Postea dicit, quòd pompæ, quæ fiunt in obsequijs, sunt ad viuorum solatium, non autem ad mortuorum suffragium. Laudabile tamen est circa mortuorum sepulturam curam impendere. Deinde quærit, Vtrum suffragia communia, & specialia facta pro bono diuite, plus prosint ei, quàm suffragia communia, quæ fiunt pro paupere. Et respondet dupliciter. Primò, quòd tantum prosunt sola generalia pauperi, quantum generalia, & specialia diuiti: & tamen profuerunt specialia suffragia diuiti, non ad aliud, vel maius aliquid, sed ad idem, ad quod generalia, vt ex pluribus causis vnum perciperetur emolumentum. Secundò dicit, quòd diues citius liberatur, sed non plenius. Deinde quærit de illo qui suffragijs indiget, & morietur in seculi consumatione quando vlterius suffragia impendi non poterunt, Vtrum talis saluabitur. Et respondet, quòd talis per ignem tunc futurum, & per orationes cœlestis Ecclesiæ saluabitur. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Sancti, & Angeli orationes no-

stras

ſtras Deo offerunt, & ea quæ hic apud nos aguntur recognoſcunt. Hanc Magiſter inſinuans, quærit, Vtrum ſancti preces noſtras, & vota ſibi porrecta audiant, & ſciant. Et reſpondet, quòd ſancti Angeli, & ſanctorum animæ Diuinam faciem videntes ea, quę apud nos geruntur cognoſcũt, quantum ad eorum gaudium pertinet, & noſtrum auxilium. Vnde & Angeli dicuntur, orationes noſtras ſemper offere Deo, non tanquam Deum inſtruentes, ſed quid circa nos agendum ſit ad eius veritatem ducentes: & ideò preces noſtræ dicuntur exaudiri, quando cœleſti curiæ earum exauditio innoteſcit, ſeu earum euentus futurus manifeſtatur. Et hæc de hac diſtin. dicta ſufficiant.

SI VALDE MALIS DEtur mitigatio pœnæ.

DISTINCT. XLVI.

TEXT.

Sed quæritur hic de valde malis, Vtrum & ipſi in aliqua pœnarum mitigatione Dei miſericordiam ſentiant, vt minus quàm meruerint puniantur, &c.

EXPOSITIO.

Connectitur iſta quadrageſima ſexta diſtinctio cum ſuperiori hunc in modum. Cùm enim Magiſter ſuperiùs egerit de remuneratione, & punitione animarum ante iudicium, & reſurrectionem: conſequenter hic agit de Diuina iuſtitia, & miſericordia, quibus prædicta diſpenſantur. Diuiditur præſens diſtinct. in duas partes. In quarum prima Magiſt. oſtendit, circa damnatos eſſe aliquam Dei

Dei misericordiam. In secunda verò ponit conuenientiam, & distinctionem, quæ inter iustitiam, & misericordiam existit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista cõclusio. In præmiatione damnatorum, non solùm iustitiam, sed etiam misericordiam quodammodo seruat creator eorum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. Vtrum circa damnatos sit aliqua Dei misericordia. Et arguit secundum quosdam, quòd non per plures auctoritates. Deinde subdit pœnas damnatorum nunquam esse finiendas. Postea soluit, dicens, quòd circa damnatos est aliqua Dei misericordia in pœnę mitigatione, non tamen penitus in absolutione, vel occulta peccatorum reuocatione, sicut contingit in præsenti. Et ex hoc possunt solui auctoritates in contrarium adductæ, quę non omnino misericordiam Dei à damnatis excludunt. Addit etiam quid per occultum Dei iudicium intelligatur, Quandoquè enim intelligitur pœna, qua quisque exercetur ad purgationem, vel mouetur ad conuersionem, vel si contemnit excæcatur ad damnationem. Iudicia quoque Dei interdum appellantur dispositiones, uel dispensationes eius de omnibus rebus. Vnde Paulus ad Rom. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, &c. Et Dauid, Iudicia eius abyssus multa. Intelligitur etiam quandoque pro finali sententia iudicis, qua in futuro diuidentur boni à malis ministerio Angelorum. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione autem secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Quamuis in ordine ad diuinam essentiam misericordia, & iustitia idem sint: tamen respectu diuersorum sensuum, & effectuum in creaturis distinguuntur. Quam quidem conclusionem Magist. insinuans, quærit, cùm Dei misericordia, & iustitia idem sint, (scilicet, in ordine ad Dei essentiam, cui non est aliud esse misericordem, quàm iustum) quare quędam opera attribuuntur misericordię, & quędam iustitię? Et respondet, quòd hoc est propter diuersitatem connotatorum, vel diuersarum de Deo conceptionum, uel propter diuersitatem effectuum in creaturis: propter quam etiam diuersitatem aliqua Diuinę bonitati attribuuntur, aliqua verò misericordiæ.

ricordię. Bonitas enim respicit gratuitam Dei donationem, misericordia verò à malo liberationem. Postea quærit, quo modo intelligendum sit, quòd vniuersæ viæ Domini sine misericordia, & veritas. Et respondet, quòd hoc ideò dicitur, quia cùm sit duplex aduentus Christi, unus misericordiam, alius iustitiam respicit. Vel hoc pro tanto dicitur, quia ad Deum imus à malo declinando per iustitiam, & bona opera faciendo per misericordiam. Et sic vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas, quibus ad Deum imus. Vltimò quærit, Vtrum in omni opere Dei misericordia, & iustitia includatur. Et respondet secundum quosdam, quòd non secundum effectum, sed quod in quibusdam sit tantùm misericordia, & in quibusdam tantùm iustitia, in quibusdam verò misericordia, & iustitia simul. Dicunt tamen in omni opere Dei contineri ambo secundum essentiam, quia vna, & eadem voluntas Dei est iustitia, & misericordia. Alij verò dicunt, quòd etiam secundum effectum, vel signum in omni opere Dei concurrunt simul misericordia, & iustitia; ita quòd nullum sit opus Dei, in quo non sit effectus, uel signum æquitatis, & misericordiæ, siue occultè, siue apertè. Et hæc de hac dist, dicta sint satis.

DE SENTENTIA IVDICII.

DISTINCT, XLVII.

T E X T.

Solet etiã quæri, qualiter dabitur iudicij sentẽtia. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesimaseptima distin, cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de misericordia, & iustitia: hic modò determinat de iudicij modo. Diuiditur pręsens distinctio in tres

partes

partes. In quarum prima Magister ostendit, qualiter non solùm Christus, sed etiam sancti,& perfecti viri in iudicio vniuersali iudicabunt malos, & reprobos. In secunda verò, qualiter Angeli iudicandos ad iudicium debeant congregare, ostendit. In tertia autem,& vltima, Dœmones in inferno damnatos punire debere, ostendit. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur ista conclusio. In extremo iudicio non solùm christus, sed etiam vniuersitas perfectorū iudicabit collegium reproborum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, proponit primò, quòd quidam ponunt iudiciū non voce, vel scriptura proferendum, quia Apost. dicit illud fieri in ictu oculi, sed Diuina virtute manifestabuntur conscientiæ singulorum, qui pœna, vel premio digni sunt. Alij verò contrarium ponunt,& verba premissa Apostoli de resurrectionis statu, & non de iudicio intelligunt. Postea dicit, quòd non solùm Christus iudicabit, sed cum eo etiam vniuersitas perfectorum, qui per duodecim sedes intelliguntur, sicut per duodecim tribus Israel vniuersitas iudicandorum designatur. Iudicabunt autem Sancti non solùm cooperatione, sed etiam auctoritate, & potestate. Quæ tamen sit illa eorum potestas in iudicando, antequam videatur, sciri non potest, nisi quis hoc diuinæ reuelatione didicerit. Deinde dicit, quòd quatuor erunt ordines in iudicio. alij .n. iudicabuntur, & peribunt. Alij uerò non iudicabuntur, & peribunt. Tertij verò iudicabūtur non peribunt. Quarti ante non iudicabuntur, & regnabunt, sicut per exempla declarat in littera. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Ministerio Angelorum congregabuntur ad iudicium exercitus iudicandorum. Quam quidem Mag. ponens, quærit, quid tunc Angeli facient: & dicit, quòd eorum ministerio congregabuntur omnes ad iudicium, quorum ministerium ignis conflagrationis præcedet, quo comburetur facies vniuersi, scilicet huius mundi: & tantum ascendet, quantum ascenderunt aquæ in diluuio. Purgato autem per ignem mundo, Diuina virtute, & Angelorum ministerio resurgent boni, & eorum ministerio

rapien-

rapientur obuiam Christo in aera. Reprobi verò in terra, quam dilexerunt, remanebunt. Postea sequetur iudicium districtum, & vltimum, & ultima sententia iudicis proferetur, qua prolata iusti ibunt ad vitam æternam. Mali verò Angelorum ministerio uirtute Dei cooperante mittentur in infernum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declarat. autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio, Reprobi, & damnati post extremum iudicium punientur in inferno ministerio dæmonum. Quam quidem conclu. Mag. ponens, quærit. Verum homines post iudicium puniantur in inferno uirtute dęmonum. Et respondet secundum quosdam, quòd non, quia post iudicium cessabit omnis prælatio. Alij uerò dicunt, quòd qui fuerunt incentores in culpa, erunt tortores in pœna, sed isti fuerunt dęmones, ergo, &c. Et hęc de hac dist. dicta sufficiant.

DE FORMA IVDICIS.

DISTINCT. XLVIII.

TEXT.

Solet esse quæri, in qua forma Christus iudicabit, &c.

EXPOSITIO.

CONnectitur ista quadragesimaoctaua distinct. cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister superius egerit de iudicij modo, & de ministris iudicis: consequenter hic determinat de forma iudicis. Diuiditur pręsens dist. in tres partes. In quarũ prima Mag. ostẽdit, in qua forma

forma Christus ad iudicium veniens apparebit. In secunda verò subdit locum vbi iudicabit. In tertia autem, & vltima annectit, quomodo corporibus cœlestibus post iudicium maiorẽ claritatem dabit. Pro declaratione itaque primæ partis, ponitur ista conclusio. Christus apparens in forma humana, iudicabit viuos, & mortuos virtute Diuina. Quam quidem conclusionem Mag. insinuans, proponit primò Christum secundum formam hominis iudicaturum esse, quia Deitas à malis videri non potest. Postea dicit, quòd iudicabit in forma hominis gloriosa, in qua à bonis, & malis videbitur: iudicabit autem virtute Diuinitatis vnitæ. Vndè quod dicitur in Ioan. quòd pater ei dedit potestatem iudicium facere, quia filius hominis est: non est sic intelligendum, quòd ex virtute humanitatis sit iudicaturus, vel, quòd ipse solus sine Patre, & Spiritusancto, iudicium sit facturus; sed quia ipse solus in forma serui iudicans, à bonis, & à malis videbitur: secundum quem etiam modum intelligendum est, quòd pater non iudicabit quenquam, sed omnem potestatem dedit filio. Addit etiam, quòd Christus apparebit terribilis impijs, iustis autem mitis. Erit .n. terror malis, & lumen iustis. Postea declarat per simile, quod dixerat, nempè, quòd sicut secundum formam serui Christus dicitur iudicaturus, virtute tamen diuinitatis: ita etiam virtute Diuinitatis, & non humanitatis resuscitabit mortuos: tamen secundum formam humanam sibi suscitatio mortuorum attribuitur, quia in ea meritum, & causam nostræ resurrectionis, sicut etiam redemptionis accepit, idest passionem, & resurrectionem, quod auctoritatibus confirmat. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Vt dicit Ioel Propheta vallis Iosaphat est locus extremi iudicij. Quam quidem Mag. insinuans, ponit auctoritatem Ioelis dicentis. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis. Christus .n. in spatioso loco illius aeris sedebit, & (vt in littera dicitur) ibi cum multis disceptabit in iudicio. Ponit etiam effectũ iudicis, quia eo veniẽte in fortitudine magna, & po

testate

testate ad iudicium, Sol, & Luna dicuntur obscurari, non propter sui luminis priuationem, sed pp claritatem iudicii superuenientem. Dicuntur etiam virtutes, Cœlorum, .i. Angelorum moueri ex admiratione visorum, non autē metu damnationis, vel perturbatione pauoris. Postea dicit ad litteram, ꝙ ante diem iudicij Sol, & Luna ecclipsim patientur, vt ostendit auctoritate Ioelis dicentis. Sol conuertetur in tenebras, & Lunam in sanguinē antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Cœli luminaria facta mundi innouatione, eruntq̃ nunc sunt, lucidiora. Quam quidem conclusionē Mag. ponens, dicit, ꝙ post iudiciū facta innouatione mundi, Cœli luminaria maiorem claritatem recipient, quod auctoritate Esaię probat, Erit .n. tunc lux Lunæ, sicut lux Solis: & lux Solis septempliciter. Sicut enim omnia ,ppter peccatum hominis deteriora facta sunt: ita post reparationem eius omnia meliorabuntur. Et si quæ auctoritates videantur dicere solem, & Lunam cessare, intelligendum est, quantum ad motum, & quia beati eorum lumine non indigebunt. Quis tamen tunc futurus sit usus Solis, & Lunæ, dicit se ignorare. potest tamen dici probabiliter, ꝙ erit in decorem, & perfectionem uniuersi, & in manifestationem laudis. Et hęc de hac distinctione dicta sufficiant.

DE DIFFERENTIA MANsionūm in cœlo, & in inferno.

DISTINCT. XLIX.

T E X T V S.

Post resurrectione verò facto vniuerso, impletoq; iudicio, suos fines habebunt ciuitates duæ, vna Christi alia Diaboli, vna bonorum, altera malorum: &c.

E X P O-

EXPOSITIO.

Connectitur ista quadragesima nona distinctio cum superioribus, hunc in modum. Cùm enim Magister superiùs egerit de pertinentibus ad iudicium generale: hic consequenter agit de finali remuneratione. Diuiditur præsens distinctio in tres partes. In quarum prima Magister distinguit remunerandorum, scilicet bonorum, & malorum meritum. In secunda verò subdit, qualiter omnibus insit beatitudinis desiderium. In tertia autem, & vltima consequenter annectit, non omnes æqualiter habere beatitudinis præmium. Pro declaratione igitur primæ partis, ponitur hæc conclusio. Sicut ciuitas bonorum post iudicium consumanda est in gloria, ita malorum in miseria. Quam quidem conclusionem Mag. ponens, dicit, post iudicium ciuitatem bonorum consumandam esse in gloria, malorum verò in pœna, scilicet boni post iudicium in gloria, mali verò in pœna collocabuntur. Quæ tamen pœna, & gloria diuersimodè à diuersis participantur. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione verò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Constat omnem hominem naturaliter appetere beatitudinem. Quam quidem conclusionem Magist. ponens, quærit. Quomodo intelligendum sit, quòd omnes appetunt beatitudinem, cùm non omnes cognoscāt beatitudinem? mirum quidem est, quomodo eam appetant. Et videre videtur Mag. quòd omnes sciunt, quæ sit beatitudinis ratio, nesciunt tamen vbi sit. Ratio enim beatitudinis, non est habere quod delectat, sed habere, quod homo vult, & nihil mali velle, quod auctoritatibus probat. Postea quærit, Vtrum inter bonos vnus alio in Deo plura cognoscat. Et respondet, quòd non, saltem de pertinentibus ad beatitudinem, sed in modo cognoscendi est differentia. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. In Regno Cœlorum, non est omninò æqualis beatitudo electorum. Hanc Mag. insinuans, quærit. Vtrum differenter Deum viden-

videntium æquale sit gaudium. Et respondet primò Mag. quòd sic non tamen erit beatitudo æqualis, quæ non solùm in gaudio, sed etiam in cognitione consistit. Alio modo respondet, quòd æquale erit gaudium, quo ad omnia, de quibus gaudendum est, nō tamen quo ad modum gaudendi, nec quo ad intensionem affectionum gaudentium. Postea in fine dicit, quòd sine dubio beatitudo Sanctorum erit maior post iudicium, quā ante, quia maius erit gaudiū, & perfectior erit cognitio, quod probat auctoritate Aug. Et hæc de hac distinctione dicta sint satis.

SI MALI IN INFERNO peccabunt.

DISTINCT. L.

TEXT.

Hic oritur quæstio ex premissis ducens originem. Suprà enim Aug. loquens de malis in inferno damnatis, & bonis in Cęlo glorificatis, dixit, quòd nec bonis voluntas, nec malis facultas eße peccandi poterit. &c.

EXPOSITIO.

Connectitur ista quinquagesima, & vltima distinctio huius quarti libri cum superiori, hunc in modum. Cùm enim Magister suprà egerit de gloria beatorum: hic finaliter agit de pœna malorum. Diuiditur præsens distinctio, & vltimo huius libri in tres partes. In quarum prima

Magister determinat, an damnati habeant facultatem peccandi. In secunda verò an sciant ea, quæ aguntur in hoc mundo. In tertia autem, & vltima determinat, an Sancti in Cœlo, videant damnatorum pœnam in inferno. Pro declaratione igitur primę partis, ponitur ista conclusio. Mala voluntas damnatorum, pro vt existit extra merendi statum, est pęna, & non culpa, uel peccatum. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit, Vtrum verum sit, quod dicit Aug. nempè, quòd in malis, & damnatis non sit facultas peccandi, cùm tamen continuè habeant malam voluntatem. Et respondet secundum quosdam, quòd illa mala voluntas non est culpa, sed pęna. Secundum alios verò est culpa, sed per eam nihil demerentur, quia non sunt in statu demerendi. Magister autem primam opinionem approbat, scilicet, quòd talis voluntas sit pœna: quia sicut cedit bonis ad gloriam, quòd non possunt habere malam voluntatem: ita malis in pęnam, quòd non possunt habere bonam voluntatem. Postea quærit, cur mali dicuntur esse in tenebris exterioribus. Et respondet, quòd hoc ideò dicitur, quia penitus erũt exclusi à visione Dei, tum propter malitiam uoluntatis, tum propter obliuionem Dei, quàm in eis causabit grauitas tormentorum. Ante iudicium tamẽ non tam profundas pœnas patientur, sicut post iudicium. Et hæc de prima parte sufficiant. Pro declaratione uerò secundæ partis, ponitur ista alia conclusio. Damnati, qui in inferno tormenta patiuntur, non recognoscunt ea, quæ in mundo aguntur. Quam quidem conclusionem Magister ponens, quærit. Vtrum damnati cognoscunt ea, quæ in mundo aguntur. Et respondet, quòd non, habent tamen aliquam curam de suis notis, quando non uident eos secũ in tormentis, nec in gloria cum beatis. Vbi etiam incidẽter subdit, quòd animæ à corporibus separatæ, in locis corporalibus possunt detineri ad pœnam, & ponit exemplum de diuite damnato. Qualiter autem sint intelligenda de diuite, & Lazaro, dicit esse dubium, & incertum. Et hæc de secunda parte sufficiant. Pro declaratione autem tertiæ partis, ponitur ista conclusio. Beati in cœlo absque compassione

passione vident damnatos, & eorum tormenta in inferno. Quam quidem conclusionem Magister insinuans, quærit. An illi qui sunt in inferno, & qui sunt in gloria se vicissim, & mutuo uideant. Et respondet, quòd ante iudicium boni malos, & mali bonos uident; post iudicium uerò tantùm boni malos uidebunt, & non econuerso. Postea quærit, quomodo boni possint uidere damnatos absque compassione. Et respondet, quòd hoc ideò est, quia uoluntas eorum perfecta est, & conformis Diuinæ uoluntati, & iustitiæ. Deinde, quærit. Vtrum ex hoc, quòd Sancti uident damnatorum pœnas, eorum gloria minuatur, uel gaudiũ augeatur. Et respondet, quòd ex hoc eorum gloria, & gaudium augebitur, quod pluribus auctoritatibus confirmat. Vltimò Magister epilogat, quæ dixerat, & finem operi imponit. Et hæc de hac ultima distinctione dicta sint satis. Ad laudem omnipotentis Dei, qui trinus, & vnus est.

Explicit Quarti Libri Sententiarum Expositio.

ISTI SVNT ARTICVLI, in quibus Magister Sententiarum non tenetur communiter ab omnibus.

PRIMI LIBRI.

PRimò, quòd Charitas, quę diligimus Deũ, & proximum, Deus est. i. Spiritussanctus, vel quòd charitas, quæ est amor Dei, & proximi, non est aliquid creatum. Distin. 17. cap. 2. Hoc autem.

Secundò, quòd nomina numeralia dicta, de Deo dicuntur solũm priuatiuè, uel hęc nomina numeralia, trinus, & Trinitas, nõ dicunt positionem, sed priuationem tantũm. Dist. 24. c. Si diligenter.

Tertiò, quòd simile, & æquale similiter dicuntur de Deo priuatiuè. Distinct. 31. cap. Hoc idem.

Quartò, quòd Deus semper potest quicquid aliquando potuit, & vult quicquid uoluit, & scit quicquid sciuit. Dist. 44. cap. Præterea quæri solet.

SECVNDI LIBRI.

PRimò, quòd Angeli non meruerunt beatitudinem per gratiam sibi datam, sed quòd præmium præcessit meritum, & postea meruerunt per obsequia fidelibus exhibita, vel quòd Angelis pręmium præcessit, & meritũ respectu præmij substantialis habet subsequi. Distinct. 5. c. Vlt. Hic quæri solet.

Secundò, quòd Angeli in merito respectu præmij essentialis, & in ipso pręmio proficiunt vsque ad iudicium. Distin. 11. c. Pręterea illud.

Tertiò

Tertiò, quòd Charitas est Spiritussanctus, & illa, quæ animæ qualitates informat, atque sanctificat. Distinct. 27. cap. Cùm ergo dicitur.

Quartò, quòd in veritate humanæ naturæ nihil transit extrinsecum, sed quòd ab Adam descendit per propagationem auctum, & multiplicatum resurget in iudicio. Distinct. 30. cap. Penul. Quibus responderi.

TERTII LIBRI.

PRimò, quòd anima à corpore exuta sit persona. Distinct. 5. cap. Hic à quibusdam opponitur.

Secundò, quòd Christus conuenienter mortuus, & non mortuus dicitur, passus, & non passus. Distin. 21. c. Vlt.

Tertiò, quòd Christus in triduo mortis fuit homo. Distinct. 22. cap. 1.

QVARTI LIBRI.

PRimò, quòd sacramenta legalia non iustificabant, etiā si cum fide, & deuotione fierent. Distinct. 1. cap. sacramentum.

Secundò, quòd homo sine medio videbat Deum ante peccatum. Distinct. eadem. cap. Triplici.

Tertiò, quòd circuncisio non conferebat gratiam ad benè operandum, sed solùm ad dimittenda peccata valebat, similiter nec virtutes, ad augmentum conferebat. Dist. eadem. 1. cap. Ideò autem.

Quartò, quòd paruuli ante octauum diem morientes incircuncisi peribant, & quòd causa necessitatis poterant ante circuncidi. Distinct. ead. cap. si uerò.

Quintò, quòd quædam sacramenta nouæ legis, instituta sunt in remedium tantùm, vt matrimonium. Distin. 2. cap. 1. Iam ad Sacram.

Sextò,

Sextò, quòd baptizati baptiſmo Ioannis nõ ponentes ſpem in illo, non erant baptizandi baptiſmo Chriſti. Diſtinct. 2. cap. Vlt. Vel aliter. Baptiſmus Ioannis cum impoſitione manuũ æquipollebat Baptiſmo Chriſti, ita quòd baptizatus Baptiſmo Ioannis, non erat baptizandus.

Septimò, quòd Deus potuit dare potentiam creaturæ creãdi, & interiùs abluendi, ideſt peccata dimittendi. Vel ſic, quòd Deus poterat dare poteſtatem alijs baptizandi interiùs, & quòd creatura potuerit ſuſcipere; & ſimiliter quòd Deus poteſt poteſtatem creandi creaturæ communicare, & creare per creaturam tanquam per miniſtrum. Diſtinct. 5. cap. Vlt.

Octauò, quòd Sciſmatici degradati, præciſi ab Eccleſia hæretici, & excommunicati, non habent poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti. Diſt. 13. cap. 1. Illi verò.

Nonò, quòd brutum non ſumit verum corpus Chriſti, & ſi uideatur. Diſtinct. ead. 13. cap. 1. Illud etiam ſanè.

Decimò, quòd ſcientia diſcernendi, vt notat habitum ſcientiæ, ſit clauis. Diſtinct. 19. cap. 1.

Vndecimò, quòd Epiſcopi ſymoniaci degradati non poſſunt conferre ordines. Diſtin. 25. cap. De ſymoniacis.

Duodecimò, quòd ſecundus maritus alicuius mulieris incognitæ carnaliter à primo, ſit bigamus per cognitionẽ illius, & prohibetur ab ordinibus. Diſt. 27. c. Vlt.

Decimotertiò, quòd cognoſcens ſororem vxoris ſuæ, non tenetur vxori petenti debitum reddere. Diſtinct. 34. ca. De his 2.

Decimoquartò, quòd ille qui vxore viuente duxit aliam in aliena patria, qui rediens ad conſcientiam vult eam dimittere, & non poteſt: ſi cogitur ab Eccleſia remanere, & debitum reddere, quia ſibi non creditur, dicit Magiſter, quòd incipit excuſari per obedientiam, & timorem, & tenetur reddere debitum ſi petatur. Diſtin. 38. cap. Vlt.

Decimquintò, quòd peccata deleta, non pateſiant alijs in iudicio. Diſtinct. 43. cap. Hic quæritur. Verum electis.

Articuli

Articuli prædicti fuerunt (vt fertur communiter) Parisijs condemnati. Sunt alij etiam quam plurimi omnium penè facultatum articuli studiosè, & auctoritatiuè condemnati, quos hic breuitatis causa ponere nolui, tanquam ad rem nostram minimè spectantes.

F I N I S.